This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

OCT 11 1906

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Class

Seimopff.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

IN OVIDII FASTIS

OCCURRENTIUM

AD EDITIONEM GIERIGII

ACCOMMODATUS.

LIPSIAE

SUMTU ENGELHARD. BENIAM. SCHWICKERTI

CIↃIↃCCCXIV.

GENERAL

PA6519
F2
1812
v.2.
MAIN

INDEX
RERUM ET VERBORUM
IN OVIDII FASTIS
OCCURRENTIUM.

4—372

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

INDEX RERUM.

A.

Acaſtus. Poſtquam antiquiſſimi ritus religioſi ex opinione ſuperſtitioſa „*triſtia crimina caedis flumineo tolli poſſe aqua*“ orti mentionem fecerat poeta, alterum huius rei exemplum fecit Pelea, Phoci caede contaminatum, quem Acaſtus, Iolci, partis Theſſaliae, rex per Haemonias ſolverit aquas. II, 40. Ex Oriente poſſe videri profectum in Graeciam huius ritum expiatorium propter locum Geneſ. XXXV, 2. verisimile ſit; ubi, poſt pefariam Sichemitarum caedem, omnes ſuos iubet *ſe mundare* h. e. aqua abluere Iacobus. Alia tamen potior cauſſa erat idolorum cultus, quorum ſignis quaſi contaminati erant Iacobitae.

Acca quae IV, 854 et V, 453 vocatur, eadem *Larentia* ſive *Laurentia* nominata erat III, 55. Uxor erat Fauſtuli, pecoris regii magiſtri (Liv. I, 4, 5-6.) at pauperis (III, 56.) Romanae nutrix gentis adpellatur ibd. Moeſta luget cum marito necem Remi cruentam IV, 854. Item V, 453—482. Atque hoc quidem loco utrique fingitur umbra Remi cruenta adſtitiſſe, nocte, lecto (v. 457) atque inſiliſſe eos rogare Romulum, ut celebrem feſto ſignaret honore caſus ſui funeſti diem. v. 474. Hunc *Remuria* (v. 479) eſſe orta, horumque nomen, litera prima nimis aſpera R in leniorem L mutata, in *Lemuriorum* tranſiiſſe nomen, de quibus I. I. diſputatur.

Achelous. Naupactous vocatur h. e. rex Naupacti urbis Aetoliae, quae Lepanto hodie dicitur. Deinde fluvius, diſterminans Acarnaniam et Aetoliam, fluviique Deus. „*Solvit nefas Alcmaeonis parricidae fluminis ſui aquis*“ II, 43. Quale iudicium tulerit poeta de hoc ritu expiatorio docet v. 45-46. 2.) Nec liquidae, vinctis flore, bibuntur aquae: Donec eras mixtus nullis, *Acheloe*, racemis (h. e. dum mera bibebatur aqua, nullo admixto vino) gratia ſumendae non erat ulla roſae V, 342-344.

Achilles. Auguſti celebraturus laudes modo meritis ipſius digne occaſione diei Februarii quinti, quo nomen Patris Patriae ad eum delatum erat, *pectus ſibi par* h. e. ingenium quale Homeri fuerat, cum caneret iram *Achillis*, ſibi exoptas II, 119-144. 2) Diſcipulus Chironis, Centauri, in narratione de huius vita et fatis V. 379-414. primum ita eius fit mentio v. 585. ille manus, *olim miſſuras Hectora leto*, creditur in lyricis detinuiſſe modis. Id. v. 390: puer Aeacides. Porro v. 400: Haemonius puer. Achilles v. 407. Caet. amabiles finxit Achillis pueri mores, inprimis vero pietatis erga doctorem Chirona affectus Poeta V, 407-412.

Acis. Siciliae amnis, IV, 467-468: Iamque — curſu praeterit (Ceres filiam requirens a Plutone raptam.) et ripas, herbifer Aci, tuas.

Acmonides. Trium unus Cyclopum, qui candens tingere ferrum in mare Trinacrium i. e. Siculum ſolent, IV, 287. 288. (Ab Ἄκμων, incus, dis.)

Acragas. Item: Agrigentum. Noſtro aevo: *Girgenti* v. not. ad IV, 475. Plura dedit Seume de hoc oppido in itinerario ſuo inſcripto: Mein Spaziergang nach Syracus.

Actiacus, a, um. *Frondibus Actiacis comtos redimita capillos* Pax, ut adſit et toto mitis in orbe ut maneat, pie et pulcherrime precatur Poeta I, 711-12.

Actorides. H. e. Menoetius Actoris filius, Argonauta v. not. ad II, 59. Inter exempla perniciosae Graecorum remotiſſimi aevi opinionis, ritibus quibusdam vel atrociſſima poſſe expiari crimina primus commemoratur I. I. Cfr. v. 45. 46.

Adraſtus. Seu genus Adraſti, (ſcil. eripuit Trojanis Palladium h. e. Graecorum quis, ſeu nepos ideſmque genus Adraſti h. e. Diomedes. v. not.) — eripuiſſe datur. VI, 433-434.

Adriacus, a, um. Adriacum ſcl. mare. IV, 501. *Late patens* adpellatur, cujusque aequoreas ſicca pererraſſe Ceres aquas curru, cui frenati juncti erant angues, dicitur v 497-498.

Aedilis. Adde quod Aedilis, pompam qui funeris irent, Artifices (h. e. Tibicines) ſolos juſſerat eſſe decem. VI, 663-664. (Qui fuerit iſte Aedilis et quo anno juſſerit quod juſſiſſe legitur, v. in Not. ad l. l.

Aegaeus, a, um. Hinc (Attica relicta) init (Ceres filiam requirens amiſſam) Aegaeum, ſcil. pontum ſ. mare) quo Cycladas adſpicit omnes. IV, 565. Nomen mare, quod Cyclades inſulas ambit, ab Aegeo Athenarum rege et Theſei patre accepit.

Aegeus. Athenienſium rex, Theſei pater, credulus immerita Phalida (h. e. Medeam) juvit ope. II, 41, 42. Cfr. colloquium Medeae cum Aegeo in Eurip. Med. v. 664-759.

Aeneada, ae. Horreat Aeneadas et primus et ultimus orbis I, 717. Aeneadae ſunt per ſe poſteri Aeneae, deinde imperatores Romani e gente Iuli et l. l. nominatim Tiberius, cui Poeta non amore ſed timore, ut videtur, motus, quo ſibi callidius ab ipſo caveret, quaque adulatus eſt opportunitate oblata. 2) Semper Aeneadas, placido, pulcherrima, (Venus) vultu Reſpice; totque tuas, Diva, tuere nurus IV, 161-162. Quum per nurus l. l. non poſſint non mulieres romanae omnino intelligi, patet Aeneadas quoque eſſe, ut ſaepe, Romanos omnino. De his quoque priori loco capi poterit.

Aeneas. Carmenta fatidica his celebrans ſiſtitur futurum ejus in Italiam adventum verbis: jam pius Aeneas ſacra et, *ſacra altera*, patrem afferet. Iliacos excipe, Veſta, Deos. I, 527-728. 2) Simillimus huic est locus, qui legitur IV, 57-58: Hinc (ab Anchiſe et Venere) ſatus Aeneas, pietas ſpectata per ignes, Sacra, patremque humeris, *altera ſacra*, tulit. 3) De veteris Trojae digniſſima praeda favilla, (ſcil. fuit illa Veſtae) qua gravis (oneratus) Aeneas tutus ab hoſte fuit, etc III, 423-429. 4) Hunc morem (juſta perſolvendi mortuis) Aeneas, pietatis idoneus auctor, attulit in terras, juſte Latine, tuas. Ille patris genio ſolennia dona ferebat. II, 543-545. (De Feralibus ſeu parentandi ritibus ſermo eſt). 5) Annam, Didonis ſororem, delatam navi, ventis acta, ad litus Laurentinum tempore, quo Laviniam, Latini filiam, jam duxerat populisque mixtis duobus regnum Latinorum condiderat, quo modo hoſpitio exceperit, non ſine arte expoſuit Poeta III, 599-632. 6) Serus ab Iliacis, *et poſt Antenora*, flammis attulit in Latium Deos h. e. ſedem in Italia fixit. IV, 77-78. 7) Vinalium ſacrorum origo e pacto Rutulorum cum Mezentio voteque Aeneae repetitur IV, 878-900. Mezentius nimirum ſibi pepigerat auxilii contra Aeneam ferendi conditionem muſtum de lacubus Rutulorum proximi anni. Aeneas contra promiſerat Jovi e palmite Latio muſtum. v. IV, 878-900.

Aeneius, a, um. Inter argumentorum turbam, ut verbis utar Poetae ipſius, quam ordine recenſuit IV, 784-798, quamque habuerunt Romani cauſſam orti moris, Palilium die (d. 21. Apr.) ſeque, tranſiliendo flammas, (v. 727) ovesque et evilia (v. 735-742) ſulphuris fumo, luſtrandi, recepit ſextum argumentum hoc: An magis hunc morem *pietas Aeneia* fecit, innocuum victo cui dedit *ignis* iter? IV, 799-800.

Aeolius, a, um. Flamina non conſtant: (a d. 16. Febr. ad 22. ejusd. Menſ.) et ſex reſerata diebus carceris Aeolii janua laxa patet. II, 455-456. Senſus: Venti undique irruentes nunc hi nunc illi turbine tum perflant terras.

Aeſtas. Tum mihi non dubiis auctoribus incipit aeſtas: et tepi-

di finem tempora veris habent. V, 601-602. (D. 14. m. Maji.)

Aequicolus. v. de sede et moribus hujus populi not. ad III, 93. Quo quidem loco *asperi* adpellantur et Martium mensem bis quintum s. decimum anni sui habuisse dicuntur. Livius auctor est descripsisse eb Aequicolis Ancum Marcium regem jus, quod suo tempore Fetiales habebant, quo res repetebantur. I, 32. Qui idem eod. loc. Aequicolos antiquam vocat gentem.

Patet igitur eandem inprimis bellicam fuisse atque hinc *asperam* Nostro dici.

Aequinoctium et *vernum* quidem hac Noster verborum circuitione notat: *Tempora nocturnis aequa diurna.* III, 878. Subsequi porro illud tribus serius diebus accessum solis ad arietis signum. Ibd. v. 877. Cfr. v. 851-852; ita ut incidat in d. 24. m. Mart. v. not. ad l. l. et v. 877. Hodie res aliter se habet, cum Aequinoctium viginti fere octo diebus ante eveniat, quam Sol arietis attingat stellas. v. d. h. re. Bode Sternk. § 216-226.

Aequus. Volsci Aequique ab A. Postumo Tuberto d. 17. Jun. a. U. c. 324 fugati commemorantur VI, 721-724. Dictator dictus erat ante bellum et pugnam propter domestica dissidia a T. Quintio genero. v. Liv. IV, 26, 11. A quo severissimi imperii vir adpellatur.

Aesculapius. Non a suo sed a parentum nomine designatus commemoratur (I, 291.) his verbis: „Phoebo Nymphaique Coronide natus." Templum ipsi decrevit Senatus Romanus, cujus in insula Tibridis conditi situs verbis notatur ornatis l. l. v. 292. Dedicatum est ipsis Kalendis Januariis (Hinc omnium prima post ipsius Jani commemoratio hujus Dei templique ejus in hoc Fastorum opere.) A. U. 462. v. Notata ad l. l. 2) Vitam restituit Hippolyto, Thesei filio. VI, 746-756. Quo quidem loco a matre *Coronides* vocatur. Jupiter avus, (I, 294.) exemplum nimiae veritus artis, nepotem propter illud aulum fulmine percutit. VI. 759-760. At idem eundem quoque Phoebi nati motus querelis Deum esse jussit. Ibd. 761-762. Inter astra *Ophiuchi* nomine receptus praebuit Nostro opportunitatem intertexendi Episodium de ipsius Hippolytique fatis; ortu Ophiuchi, astri caeterum hac verborum circuitione significato tantum: „Hanc quoque (Auroram) cum patriis Galatea receperit undis, plenaque securae terra quietis erit: (H. e. XI. Kal. Jul. sive nocte, quae d. 20. et 21. Jun. intercedit) *Surgit humo juvenis telis afflatus avitis,* (h. e. avi i. e. Jovis. Cfr. I, 294.) et gemino nexas porrigit angue manus. v. VI, 733-736. Vide ibi notata.

Aethra. Hunc (Hyan s. Hyanta) stirps (i. e. filia) Oceani maturis nisibus Aethra edidit et Nymphas h. e. Hyae sorores s. Hyades. V, 171-172.

Aetnaeus, a, um. Flammas Cacus ore fonante vomit. (postquam in silva Aventina contra Herculem frustra rem saxis stipitibusque gesserat). Quas quoties proflat, spirare Typhoea credas, et rapidum *Aetnaeo* fulgur ab igne jaci. II, 573-574. Fulgura e voragine seu Cratere montis Aetnes vere et saepius emitti et sursum jaci, res est ex itinerariis etiam eorum satis nota, qui nostro tempore vel conscenderunt montis vertices vel haud procul inde remoti conspexerunt hunc rerum antiquissimis temporibus gestarum testem earundemque perenne hodie monumentum.

Aetne. Alta jacet vasti super ora Typhoeeos Aetne, cujus anhelatis ignibus ardet humus. IV, 491-492.

Afer, ra, rum. Aequora legisse Afra Cybele narratur IV, 289, dum navis, qua e Phrygia atque adeo ex Asia in Italiam et Romam quidem deducebatur, cursum tenuit inter Africam et Siciliam. Placuisse sibi videtur Poeta in inserendo longo locorum recensu, quo tabulae ope geographicae perspicere possumus totum, quod

quis confecerit, iter. Duplex enim ejusmodi multorum locorum occurrit catalogus. Primus nostri loci, quo cursus navis, cui imposita erat Cybeles symbolum h. e. lapis, indicatur IV, a 247-349; alter errorum Cereris filiam requirentis eod. libr. a v. 461-585.

Agave. Pertinet ad hanc loc. III, 721: Tu quoque Thebanae mala praeda tacebere matris. v. not. Cf. ind. s. v. *Pentheus.* Caeterum locus omnis a v. 719-724 notabilis est propter praeteritionis, quam dicunt, figuram, qua quinquies usus est in continua orationis serie poeta noster.

Agenoreus, a, um. H. e. ad Agenora ullo modo pertinens. Cujus cum filia esset Europa, Europa vera a Tauro (i. e. a Jove sub forma Tauri) rapta e Phoenicia, tergo ejus insidens, in Cretam vecta esset, (v. Fab. V, 603-620.) Taurus vero Coeli inter astra sive signa a Jove receptus esset (l. l. v. 617: „Taurus init coelum." Cfr. IV, 720: „Junone invita munus amoris habet") propterea ipse quoque h. e. sidus ab ipso vocatum" *bos Agenoreus* adpellatur VI, 711-712: *Tertia lux* (d. 15 Jun.) *veniat, qua tu, Dodone Thyene, stabis Agenorei fronte videnda bovis.* (Paulo spumosior poetae fluxit orationis cursus. Sedatior fluet oratio, si sensum simpliciter et nude sic eloquaris: Die 15. Jun. Hyades heliace oriuntur. Nisi *Dodone Thyene* forte fit nominatim, quam nunc dicunt stellam *Aldebaran* s. das Auge des Stiers; cui circumpositae sunt Hyadum stellae. Nam non possum induci quin credam micantissimam illam stellam colore quoque rubicundo insignem non insigni atque praecipuo nomine notatam fuisse a veteribus.

Agonalis. Lux agonalis I, 313. Dies agonalis Ibd. 324. v. Agonia.

Agonia s. Agonalia. Festum (I, 325.) piando Jano sacrum (I, 318.) et die quidem V. ante Id. Januar. celebratum. (I, 317). In originem vocabuli ita inquirit poeta, ut *sex* diversas ea de re afferat sententias (I, a v. 319-323.) quarum in extremo loco allata, tanquam vera et certa sibi visa, adquievit v. 331-333. Sterilitate materiae motus, cum nihil praeterea haberet quod de ipso Festo adderet, Poeta, commemorando *cruentum* numinibus Jani placandis sacrificium a rege sacrificulo oblatum, arietem nimirum, (v. I. 333-334.) opportunitatem sibi quaesivit, et invenit exspatiandi in locum, arte et ingenio pertractatum, (I, a v. 337-456.) de variis inprimisque *cruentis* sacrificiis (a v. 349) deque eorum omnino *origine* et *caussis.* Inter caussas, cur hoc vel illud animal huic vel illi Deo aut Deae immolatum sit, agnosces *affectus irae et ultionis studium*, quibus laesa numina, more humano, indulgentes, non nisi sanguine unius animalium, a quibus se laesa putarent, placari potuerint. Longissime immoratur lascivus Poeta Episodio (v. 390-440) caussam continenti, cur Priapo asellus caedi solitus sit. — Caeterum Agonalia repetita sunt M. Majo. V, 721.

Agrippa. Tiberini filius, patrem excipit in regno Latinorum. IV, 49. Est in serie regum Albanorum loco excitato commemoratorum ab Ascanio s. Iulo ordine nonus.

Alba. Rex Latinorum. IV, 43-44. Cujus atavus Aeneas, abavus Julus s. Ascanius, proavus Silvius, (si hic Iuli, de quo dubitatur, fuit filius) avus Aeneas Silvius (v. notata.) pater Latinus, filius Epitos, nepos Capys etc. fuit. v. de hac et reliqua tum majorum tum posterorum Iuli serie, quae habet Poeta a v. 25-60.

Alba Longa. Inde rediens, luna fulgente, Romam Proculus in media via habuit obvium Romulum in coelum receptum. v. Loc. II, 499-512 Fabula vaferrime inventa ad sedandos concitatos nece Romuli populi animos. De Alba longa jussu Tulli Hostilii diruta v. Liv. I, 29. Est enim narratio Livii de excidio et ruinis hujus urbis, quae per quadringentos steterat annos, inter maxime splendidas arte referenda.

Albanus, a, um. Menſis Albanorum tertius jam ante Romulum a Marte nomen habuit, III, 89.

Albula. Nomen amnis Tiberini vetuſtiſſimum. Noſter II, 389-390: Albula, quem Tibrin merſus Tiberinus in unda reddidit etc. H., e. cujus nomen mutavit in illud Tybridis Tiberinus in gurgite Tuſcae merſus aquae. (Cfr. IV, 47-48. Quo loco Albula ſeu Tiberis aqua Tuſca adpellatur; Tiberinus vero eſt in Catalogo regum Albanorum poſt Aſcanium ſ. Iulum rex ordine octavus.) Tibris Deus V, 645-646, de ſe ipſe loquens: Venit et Alcides, turba comitatus Achiva. *Albula*, ſi memini, tunc mihi nomen erat. Item IV, 67-68: Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis Claviger (Herculeſ) et tanto eſt *Albula* pota Deo.

Iam quod ad notationem vocis attinet, Schellerus in Lexico ſuo non dubitavit nomen ab deminutae ſignificationis forma adject. *albus*, a, um, repetere, ita ut *albula* ſit ejusd. foem. intelligique debeat *aqua*. (Das weiſsliche Gewäſſer.) At cum aquae Tiberini conſtanter *flavae* et *arenoſae* dicantur, mallem a vocabulo antiquiſſimae originis *Elb* i. e. flumen, amnis, deducere nomen, quum ipſe Schellerus, nec male, vocab. *Alba* ab aeque caſca voce *Alb* ſ. *Alp*. h. e. monte, qui paſcuis ad juga usque aptus eſt ſua, derivaverit. Nam obtinet adhuc hanc ſignificationem vocab. *Alp* inter Helvetios, ut vocab. *Elf* illam fluminis in genere inter Scandinavios.

Alcides. Herculis cognomen derivandum haud dubie ab αλκὴ h. e. robore ejus i. u. ſit: filius roboris aut belli. Nam ἀλκὴ ap. Eurip. Phoen. 434. denotat quoque pugnam. Juxta mythum vero Alcei fuit, Perſeos et Andromedae filii, nepos. Amat uti hoc Herculis nomine Poeta. 1) Occupat (Cacum) Alcides, adductaque clava triuodis Ter quater adverſi ſedit in ore viri, I, 575-576. (Omne de Caco et Alcide epiſodium continetur loco L. I, a v. 543-584.) 2) Cultibus Alciden inſtruit illa (Omphale Maeonis) ſuis. II, 318. (Epiſodium hoc de Omphale et Alcide pertinet a Lib. II. v, 303-358.) 3) Inter exempla quibus probabile redditur multa per Grajos ſermoni Latino immiſceri ſeu jus Latii accipere potuiſſe vocabula (v. L. IV, 63-80) eſt et Alcidis per Italiam ex Hiſpania in Graeciam reditus V, 65-66: Venerat Evander - Venerat Alcides, Grajus uterque genus, Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis Claviger; et tanto est Albula (Tibris) pota Deo. 4) Venit et Alcides, turba comitatus Achiva. — Excipit hoſpitio juvenem Pallantius heros: (Evander.) Et tandem Caco debita poena venit. V, 645-648: (Sunt verba loci, quo Poeta inquirit in originem ritus ſolemnis, Romae quoque anno Idibus Maiis repetiti, ſimulacra virorum ſcirpea eaque numero triginta de ponte Sublicio in Tiberim mittendi. Cujus quidem moris origo duplici modo ad Herculem refertur; vel ita ut eum ſubſtituerit mori vivos homines vinctos in Tiberim dejiciendi, vel a comitibus ejusdem longius cum duce ſuo ire negantibus, at dulci tandem patriae amore tactis hincque mandantibus, ut mortuorum ipſorum corpora in Tiberim abjicerentur, quo ejus avecti aquis in mare ſpem haberent reliquam perveniendi ad littus Graeciae, patriae ſibi carae. v. V, 621-660.) 5) Hebes uxoris commemoratio meriti Herculis de Romanis v. VI, 75-82. 6) Herculi Cuſtodi templum dedicatum in Circo Flaminio d. 4. Jun. cum Titulo ſeu inſcriptione, e qua patebat, Syllam probaſſe opus. VI, 209-212. v. Not. 7) Aedes ejusdem Herculis alia, in qua novem Muſarum ſigna M. Fulvius Nobilior dedicaverat. Hinc ita Noſter VI, 799-800: Dicite Pierides, quis vos adjunxerit iſti, (Alcidi) cui dedit invitas victa noverca (Juno) manus. (Scil. in coelum recepto.) Jam poſtquam Pieris Clio docuerat Poetam, (v. 801-811) quod rogaverat quali adorans in templo ipſo Alciden et Muſas, ita finem imponit narrationi et

Carmini sexto ipsi: Annuit Alcides increpuitque lyram. VI, 812.

Algidus, a, um. Delphin exortus d. 17. Jun. viderat in campis, *Algida terra*, tuis, Volscos fugatos Aequesque VI, 721-724. Algidus et mons et Algidum oppidum Latii haud procul ab Urbe dissita fuere. Hinc Triumphus de Aequis Volscisque ibi victis *suburbanus* adpellatur. v. 723. Liv. IV. 27: „Sicur bina castra hostium parvo inter se spatio distantia viderant, ipsi quoque mille ferme passus ab hoste, Dictator (A. Postumius Tubertus) Tusculo (hodie, Frascati), Consul (T. Quintius, Dictatoris gener.) Lanuvio (oppido juxta viam Appiam inter Ariciam, Ardeam et Albam) propiorem locum castris ceperunt.“ Colligere inde jam licet, ubi vel hodie quaerenda sit *Algida terra*.

Almo. Flumen parvum seu potius rivus cursu brevissimus (v. Poetae Nostri Metam. XIV, 329) inter Ostiam et Romam a parte meridionali in Tiberim influens. IV, 337: *Est* locus, in Tiberin qua lubricus influit Almo, et nomen magno perdit ab amne minor. — Ibi Cybeles simulacrum ejusque sacra, quoque anno, ab Archigallo, sacerdote senc purpurea induto veste abluebantur. v. Not. ad v. 339-340. Hinc Claudian. d. Bell. Gildon. v. 117-120: Tuque, o si sponte per altum vecta Palatinis mutasti collibus Idam, *praelatoque lavas Phrygios Almone leones*, maternis precibus natum jam flecte Cybelle. 2) Deus amnis ejusdem, cujus filia fuisse perhibetur *Lala*, (λαλιά, locutuleja.) postea, *Lara*, Larium mater tutelarium, Dea muta deinde dicta. v. II, 583-616. Ad quam quidem Nympham seu Naïda pertinent verba v. 602-603: Saepe illi dixerat Almo, Nata, tene! tene! (i. e. compesce linguam) — nec tamen illa tenuit. — luturna soror ejusdem dicitur v. 603. Quae quidem rei ratio inservire quoque posset interpretationi Fabulae, ejusque sensui eruendo.

Alpinus, a, um. Alpino Roma sub hoste jacet. VI, 558. Sic Gallos, qui Alpium e montibus descendisse in Italiam Romanis videbantur, Capitolia oppugnantes circumloquitur Poeta. v. 351.

Altare. Idibus (Februarii h. q. d. 13. Febr.) agrestis fumant altaria Fauni, Hic ubi discretas insula (Thybridis) rumpit aquas. II, 193-194. De insula cfr. I, 289-294. It. Met. XV, 739. sqq. De Fauni sacris II, 267-452. 2) Ecce, nefas visu, mediis altaribus anguis Exit et, exstinctis ignibus, exta rapit. II, 711-712. v. Not.

Amarantus. Quum occupatae in floribus carpendis et colligendis Proserpinae comites ab Hyacintho et Amaranto tantum allici et detineri de industria dicantur, ut hos his alloquatur verbis flores Poeta IV, 439: Has Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris; patet praeferendam esse alteram lectionem: *Narcisse!* — quum Poeta, haud dubie respiciens fabulam utriusque floris, hos solos ita alloquens deprehendatur. Sic celeb. quoque sensit Operis editor. Cfr. eund. in Not. ad V. 223-224, ubi de Hyacintho, et ad v. 225-226, ubi de Narcisso sermo est, in flores a Flora mutatis. Caet. Amarantus proprie est: die unverwelkliche Blume, τὸ ἄνθος ἀμάραντον. Das Tausendschön, ut volunt.

Amata. Turnus an Aeneas Latiae gener esset Amatae, bellum erat. IV, 879. Amata erat Latini regis conjux et Laviniae mater.

Amenanus, i. Siciliae flumen prope a Catana fluens urbe. (Quae hodie Catania vocatur.) Hinc Ceres amissam quaerens filiam Amenana quoque praeterit cursu flumina. IV. 467. v. not.

Ampelos. Vindemitoris seu Vindemiatoris inter sidera a Baccho relatus nomen habet. v. III, 407. Cfr. v. 414. Oritur d. 5. Mart. Secundum Columellam XI, 2, 24: d. 2. Mart. At sec. eund. l. I. § 58: d. 26. Aug. et secundum Plin. H. N. XVIII, 31: d. 22. Aug. At cum in ala Virginis septentrionali positum sit hoc astrum, patet mense Augusto ra-

diis id occulteri solis, atque adeo non de ortu sed de occasu heliaco ejus sermonem esse, mense vere Martio oppositum, fere esse soli et, quod inde sequitur, oriri quando sol occidat. Caeterum Ampelos, puer Thracicus, nomen dedisse viti (ὁ ἄμπελος) a Baccho acceptae fertur, III, 409-411. Uvas legens de ulmo decidit et, quod v. 414 supplendum est cogitatione, casu gravi periit. Amissum vero Bacchus in astra vexit. v. 414.

Amphiaraides. H. e. Alcmaeon. Quartum exemplum pernicioſissimae illius Graeciae priscae praejudicatae opinionis nefarie facta lustrando expiari posse. v. de eo not. ad II, 43.

Amulius. Raptas fratri (Numitori) victor habuit opes. III, 50. Hinc contemtor aequi (v. 49.) et durus Numitoris germanus adpellatur IV, 53. (Quo quidem loco idem in serie regum Albanorum decimus quartus recensetur.) Rheae Silviae sive Iliae (II, 383-385. It. III, 35.) et Lausi, fratris Iliae, natorum Numitoris, patruus. IV, 54. Lausum interficit. Ibd. v. 55. Ex Ilia natos geminos h. e. Romulum et Remum amne jubet mergi Tybridis. III, 51. Romuleo trajectus ense cadit. III, 67. Longaevo restituuntur a nepotibus (Romulo et Remo) regna avo. (Numitori.) Eod. libr. v. 78.

Anapis. Flumen exonerans se in portum Syracusarum majorem. v. not. ad IV, 469. Ibi Ceres amissam quaerens filiam et „*fontem lenis Anapi praeteriisse*“ legitur.

Anctle. Praefatur Poeta narrationi de mirabili Ancilis e medio coelo a Jove in terras missi lapsu ita, ut primum de Egeriae fonte et rivo, quales erant suo tempore, pauca referat III, 273-275; deinde de Egeria Numae quondam conjuge et consilio, suo vero tempore Dea grata Camenis loquens hoc innuat: dedisse Numae consilium *Deûm metu* truces molliendi animos Romanorum, aut efficiendi ut feritatem exuant armisque potentius aequum habeant. v. 275-284. Jam sequitur exemplum rei, qua metus Deorum incuti solet mortalibus, assidua tonitrua, rutilae fulminum eorumque frequentium flammae et effusae in terras aquae. v. 285-288. Occasione tali opportune et scite utitur Numa ad edocendos suos *de ira Jovis deque placanda eadem.* Ipsum vero Egeriam edocuisse, piabile esse fulmen et flecti posse saevam Jovis iram v. 289-290. Jam quibus artibus quaque vi, monente Egeria, Picum Faunumque Numa coegerit ut ritum piandi Jovem proderent, docetur a v. 291-322. Jupiter utriusque valida deductus arte praesens de coelo adest Numae, prudentemque et pium regem dignum declarat (v. 344.) quem edoceat modum procurandi fulmina s. tela sua (a v. 323-345. Reconciliatus Numae Romanisque pollicetur *certa imperii pignora* v. 345-346. Quo facto inter tonitrua sublimis per aethera fertur reditque in coelum. v. 347-348. Quum crastino die et sole quidem orto certa illa imperii pignora se daturum promisisset Jupiter, jam dehinc narratur quo exceperit animo turba Quiritium dicta regis, a v. 349-356. Egregius sane h. e. legibus humanae naturae conveniens locus. Tum deinceps sequitur narratio supra commemorata de mirabili scuti (v. 373) quod *ancile* vocarunt, (v. 372) e coelo a Jove in terras missi lapsu seu casu leni III, 357-378. De vocabuli notatione notationisque caussa vid. Poeta ipse v. 377-378 et doctiss. loci intpr. Jam cum *fors imperii* consisteret in illo ancili (v. 379.), nam certum imperii pignus (v. 346 et v. 354) se ancilis munere daturum Jupiter declaraverat, (alterum erat *Palladium* v. loc. in Ind. s. h. voc. laud.) Numa, ut ne insidiantes huic imperii pignori id surriperent et auferrent, plura callide simili caelata figura fieri jussit factaque instituto a se Saliorum sacerdotum ordini custodienda tradidit. v. 379-393. Finem imponit Poeta loco de Saliorum origine, festo,

coeleſtibusque Martis armis, (v. 259-260.) h. e. ancilibus ita, ut ſubjungat brevem opinionis ſuperſtitioſae (v. 393-396.) et ritus ſacerdotalis expoſitionem. v. 397-398.

Ancus Marcius. Quartus Romanorum rex. / Cognomen *ſacrifici* unde invenerit apud Noſtrum, VI, 803, h. e. haud parci nec infrequentis Deorum cultoris, facile patet e Liv. I, 32: 1) quod religionibus proximo regno neglectis aut prave cultis longe antiquiſſimum ratus eſt *ſacra publica*, ut ab Numa inſtituta erant, *facere*. (Et hinc haud dubie proprie *ſacrifici* adpellantur.) 2) Quod contemtui vel exteris adeo populis initio regni propterea fuit, quia *inter ſacella et aras acturum eſſe regnum* rati ſunt. Regnavit vero Ancus annos quatuor et viginti. (mortuus eſt a. U. c. 136.) *cuilibet ſuperiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par.* v. Liv. I, 35. Jam ab hoc deducit rege genus *Marciae*, uxoris ſuae, Poeta loco ſupra laudato, itemque *Marcii Philippi*, cui matertera Auguſti nupſerat.

Anguis. Triplex datur in coelo hujus nominis ſidus. Primum ambit polum arcticum inter urſam minorem et majorem ex parte inſinuatum. Quod quidem *Hydrae* vocabulo nunc diſtinguitur a reliquis. Alterum ejusdem nominis ſidus, quod hodie *Draconis* verbo disterminant a reliquis, caput quidem porrectum habet in hemiſphaerium boreale, caudam vero et corpus longe habet protenſum in partem globi coeleſtis auſtralem. Pertinet ad hoc aſtrum locus II, 243-266. Fabula omiſſa, qua, a v. 246-264, cauſſa originis denominationis Signorum redditur, notare apta conſilio noſtro verba liceat haec v. 243-245: *Continuata loco tria ſidera, Corvus et Anguis, et medius Crater inter utrumque — Idibus (Febr.) latent. oriuntur nocte ſequenti. (d. 14. Febr.)* it. v. 265: *Dixit; et antiqui monumenta perennia facti, Anguis, Avis, Crater, ſidera juncta micant.*" Tertium coeleſte anguis ſignum eſt Ophiuchi in manibus, qui lade nomen habet *anguiferi* (Conum. XI, 2) et *anguitenentis* (ὀφιοῦχος. Cic. d. Nat. D. II, 42.) Hinc. Noſter VI, 733-736: D. XI. Kal. Jul. (h. e. d. 21. Jun.) Surgit hume juvenis, telis afflatus avitis, (h. e. Aeſculapius ab avo Jove fulminis ictu proſtratus, at Ophiuchi nomine paulo poſt Coeli ſignis inſertus) *Et gemino nexas porrigit angue manus.* Cur *anguis geminus* ipſius ſit in manibus patet e v. 749-752, inprimis e nota locisque in nota laudatis ad verba. VI, 752: *Uſus et auxilio eſt anguis ab angue dato.* Caeterum ſub ſerpentis vivi forma Aeſculapium Deum relicta Epidauri urbe Romam petiiſſe et e navi romana ipſum ſe contuliſſe in inſulam Thybridis aquis circumfluam, ut ibi coleretur, (v. I, 289-294.) commenti ſunt veteres. v: loc. claſſ. in Metam. XV, 622-744. Certe, ut Epidauri, ita et Romae ſub imagine *anguis* cultus eſt. Porro et inter attributa ejus *angues* baculo, quem manu geſtabat, *duo* circumplicati fuere. Ariſtophanes adeo in Pluto a v. 732-741 Aeſculapium, nocte in templo ſuo aegrotos obeuntem, ſibilis finxit editis arcelliviſſe duos angues, qui, lambendo palpebras Pluti coeci, reſtituerint viſum Deo, ſeu, ut lumina recuperaret, effecerint. Perſ. Sat. I, 113: pinge duos angues, inquit, ſacer eſt locus. Cur pictis anguium ſignis uſi ſint, ut caverent ne profanaretur locus ſacer, equidem neſcio. 2) Anguis in portentis. Sic II, 711-712: Ecce, nefas viſu, mediis altaribus anguis Exit et, extinctis ignibus, exta rapit. — It. II, 340-342: — Pertimuit attonitusque metu recedit: ut ſaepe viator turbatum viſo retulit *angue* pedem. 3) Angues frenatos currui jungit Ceres. IV, 497. Synon. voc ſunt *Draco* et *Hydrus*. Nam eadem Ceres v. 561. in dracones tranſit et aligero tollitur axe. Libro vero II. qui v. 243 et v. 266 dictus erat *anguis*, hydrus dicebatur v. 257. *Hydrus*, ſignum coe-

leste, de quo l. l. sermo est, nominatur a Germanico quoque in Vers. Arat. v. 429, itemque ab Hygino II, 40. 4) Mille manus illis (Gigantibus) dedit (Terra, mater Gigantum) et pro cruribus angues. V, 37.

Anna Perenna. Incipit locus de hac Dea, quae ex numero indigetum fuit et fausta anni exordia significavit, (v. Not. ad III, 145-146.) a L. III. v. 523; finitur vero demum v. 696. Quum non satis constaret, quaenem esset haec Dea, inter sex diversas de ea sententias, quarum quatuor brevissime recensetur a v. 657-660 hanc unice ob caussam ut nullam silentio praeteriret, (v. 544) primam ponit hanc: coli sub Annae Perennae nomine *Annam Didus seu Elissae sororem germanam.* v. 559-560. Sic viam sibi munivit ad narrationem, quae suo jure et perfecta ingenio et elaborata industria dici posse videatur. Orditur eam ab Elissae fatis extremis a v. 545-556. Tum Anna tertio pulsa, postquam Dido, soror mortem sibi conscivérat, anno (v. 557-558) e moenibus Carthaginis, coacta fugit, Melitenque petit insulam (Maltam hodie dictam, belli inter Franco-Gallos et Anglo-Britannos [Anno aer. nostr. 1802] recrudescentis funestissimi totiusque quodammodo rerum Europae publicarum commutationis caussam.) Excepta benigne, a Batto rege, hospitio biennii spatium tranquille (v. 575) ibi exegit. Tertio anno Battus fratris Didus et Annae, Pygmalionis, minis territus denunciare miserae exilium vel invitus cogitur. Jussa fugit committitque denuo se undis. III, 565-580. Cursus erat in Italiae oram Siciliae obtentam. At tempestate orta procellosa navis detorquetur a cursu ita ut Laurentem deferatur tandem in ripam, ubi, expositis omnibus, navis perit. v. 581-600. Incidit in errantem Aeneas. Agnoscitur ab Achate. Adloquitur trepidam Aeneas et, ut suam intret domum, persuadet eidem. v. 601-627. Lavinia, uxor Aeneae, commendatam sibi a marito simulatae quidem excipit amicitiae signis, at intra pectus, zelotypia tacta, mox furialiter odit. Hinc per somnium Anna de vitae, quas Lavinia ei struat, insidiis a Didone sorore admonita nocte lecto exsilit et e fenestra se dejicit. Pererrans arva in Numicio flumine perit. v. 628-648. Conversa res in fabulam ita, ut Nympha Numici facta nomen accepisse inde crederetur, quod in *amne perenne* lateat. v. 653-654. Qua re cognita, qui quaesierant per agros Sidonida (v. 649.) laeti celebrant diem *dum indulgent genio.* v. 655-656. Atque hinc repetendam Poeta putavit *originem* et *causssam* festi *genialis* (v. 523.) Annae Perennae mense Martio coli coeptae, (v. 146) cujus Idib. Mart. (v. 523.) *a plebe* juxta Tiberim inter pontem Milvium Anienisque confluentem (v. Not. ad 524.) celebrati juxta rei ipsius naturam expressam exhibuit imaginem descriptione ejus festivissima, quam inde a v. 523 — ad v. 542 narrationi de caussa originis Festi praemissam legimus. — Jam cum opinionum circa hanc Deam, quae nimirum ea fuerit, magna esset diversitas, Poeta vero propositó convenienter suo nullam silentio praetereundam censeret, (v. 544) subnectit, quatuor aliis brevissime de hac Dea commemoratis (a v. 657-660.) sextam hanc, quam a veri fide non dissidere ipse judicat; (v. 662) juxta quam Annae Perennae sub nomine culta sit *a plebe*: 2) *Anna* alia quaedam, anus pauper quidem at sedula, suburbanis e Bovillis, („sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae" h. e. dimidiis a Roma duobus milliaribus Germanicis cum quarta fere unius eorum parte. v. Schol. ad Pers. VI, 55.) quia plebem, quae in montem sacrum secesserat, defectam cibo, coctis nutriverit libis v. 661-675. Cui quidem cum, pace domi facta, plebs grata *Perennae* nomine signum posuerit, hoc colendae Annae Perennae occasionem dedisse. Ad festi tan-

dem dici ritus rediens v. 675 commemorat obiter et hunc: puellas festa hac Annae Perennae die coire et obscoena et probra certi argumenti cantare; (v. 675-676. Cfr. Not. ad h. l.) seu jocos veteres dictaque obscoena canere. (Quae sunt verba v. 695-696.) Caussam rei et argumentum simul carminum lascivorum continet Fabula relata a v. 677-694. *de Marte Minervae amore correpto et ab Anna, Dea nuper facta, eluso.*

Annalis, e. Sacra recognoscere Annalibus (Libris) eruta priscis. I, 7. Quales fuerint qualesque intercesserit inter eos et Fastos discrimen, v. expl. in Not. illustr. intpr.

Annus. Quod ad notationem hujus vocabuli attinet, recte se habet illa haud dubie quae e deminutae significationis ejus forma deducitur et ex analogica vocis circus notione. Quum nimirum circulus sit linea orbicularis parva, circus proprie nihil aliud significaverit necesse est, quam lineam et deinde rem formae rotundae majoris ambitus. Quae si ita sint, nullus dubitarem, annulum quoque proprie nil notasse aliud quam lineam, deinde vero rem formae orbicularis parvam, annum vero orbem majorem. Hinc tandem prodiit significatio 2) temporis spatii in semet ipsum quasi redeuntis i. e. orbis annui. Jam videamus, quae de anno doceat Noster. 1) *Annus Latius* (I, 1) est Romanorum, qualis constitutus est primum a Romulo, deinde a Numa tandemque a Julio Caesare. (III, 155-166.) α) 1) Tempora digereret cum conditor Urbis, *in anno constituit menses quinque bis esse suo.* I, 27-28. 2) Nec totidem veteres, quot nunc, habuere Kalendas, (id est, quod inde sequitur, menses) ille (Romuli) minor geminis mensibus annus erat. III, 99-100. 3) Ergo animi indociles et adhuc ratione carentes (Romuli aevo) mensibus egerunt lustra minora decem. Annus erat, decimum cum Luna replevenat orbem. III, 119-121. (Subjunxit *caussam* omnibus locis *eandem* male divisi anni: ignorantiam cognitionis astrorum, nominatimque cursus per duodecim signa Zodiaci solis specioši illius ab occasu ortum versus (v. III, 105-112); itemque adjecit *argumenta probabilia* erroris in digerendo anno admissi, ut excusaret Romuli insciticm.) 4) Annus erat brevior; nec adhuc pia februa (i. e. piamina mensis Februarii. Haec vero pro Februario posita sunt ipso.) norant; Nec tu dux mensum, Jane biformis, erat. V, 423-424. 5) Aeternae pater urbis ait: Arbiter annorum — (Mars) *A te principium Romano ductimus anno:* primus de patrio (patris mei, Martis) nomine mensis est. III, 73-76. β) At Numa — mensibus antiquis adposuit duos. I, 43-44. Cfr. III, 151-154. (Januarium et Februarium, v. 43.) Ratione *ordinis*, quem adpositi a Numa obtinuerunt, monet Poeta II, 46-52: Jani quidem mensem semper anni primum fuisse, Februarium (qui sacer erat inis Manibus, v. II, 52; quoque Numa Februis i. e. piaculis avitae expiare umbras voluit, Cfr. v. 19-46.) vero ob rem, cui sacer erat, anni imum seu ultimo loco positum fuisse monet Poeta II, 47-52. (Hinc soliti adhuc observari moris origo, intercalandi extremo hoc mense, repetenda est, quippe quo finito consummati erant anni dies omnes. Cfr. Macrob. loc. in Not. ab eruditiss. Edit. laud.) Inde quoque factum est ut *Terminalia* mense Februario, vel mutato mensium ordine, celebrarentur, quae finem imposuerant sacris anni, seu inter dies anni festos ultimum occupavarant locum II, 50. Per Decemviros continuata Januarii et Februarii tempora credita sunt h. e. instituisse hos ut Januarium deinceps ordine exciperet Februarius, v. II, 53-54. Cfr. Not. γ) Tandem Julius Caesar annum solarem exactis dispositit notis et in lustrum quodque accedere jussit unam diem. v. praeclare agentem de tempore a Julio Caesare emendato Poetam III,

155-166. — Annus quare frigoribus i. e. tempore frigoris h. e. bruma incipiat, seu a die solstitii hiberni, Janus docet Poetam, veris tempora aptiora anni initiis existimantem. (a v. 149-160.) paucissimis his verbis: Bruma novi prima est veterisque novissima solis: Principium capiunt Phoebus et annus idem.

Aonius, a, um. Cadmus, Tyriis ab oris, in Aonia constitit exsul humo h. e. Boeotia. I, 489-490. 2) *Gorgonei equi* (h. e. Pegasi) — *ungula levis Aonias effodit aquas* i. e. Hippocrenen, fontem Heliconis, montis Boeotiae, aperuit. III, 449-458. 3) Talibus *Aoniae* facunda voce Camenae reddita quaesiti caussa furoris (Gallorum, Cybeles sacerdotum) erat. IV, 245-246. *Aonia Camena* l. l. est *Erato* (vid. v. 195) Heliconis, montis Musis sacri, alumnarum una. (vid. v. 193.)

Aphidna. Oppidum Laconicae nobilitatum Castoris et Pollucis cum Apharei Messenii filiis, Lynceo et Ida, quibus illi sponsas rapuerant, pugna, qua Castor perit. v. Not. ad V, 699 et 705. Nomen loci ipsum legiter v. 708.

Apicatus, a, um. Conjux apicati cincta Dialis h. e. Flaminica uxor Flaminis dialis pudica. v. not. ad III, 397. Apex insigne sacerdotii istius.

Appulus, a, um. Sic rex Appuliae Daunus, socer Diomedis adpellatur IV, 76. Apulia provincia regni Neapolitani nostris temporibus ab Italis *Puglia* dicta.

Aprilis. Memorabilia, inprimis sacra, hujus mensis pertractata leguntur libro Fastorum nostrorum quarto. De mense ipso ita agit noster ut 1) partim exponat de *ordine* ejus 2) partim inquirat in *notationem* nominis ejusdem. Veneris eum fuisse (I, 39. IV, 14. 27-28) seu Veneri sacrum, de eo ne dubitasse quidem quisquam videtur, et Poeta hoc tanquam certum et evictum ponit, ita ut adeo dicat IV, 115-116: Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi audeat? a nobis sit procul iste furor. Jam quod ad *ordinem* attinet, *quartus* hic post Numae tempora (I, 43-44.) mensis, *secundus* ex instituto Romuli fuit. *Caussam* hujus instituti subjungit Poeta I, 40: *quia haec generis princeps* (die Mutter seines Stammes) fuerat. Item IV, 23-28: Hoc pater Iliades (Romulus) videt; et *auctores retulit ipse suos.* Utque fero Marti primam dedit ordine sortem; — sic Venerem — *alterius* voluit *mensis* habere locum. Hac occasione utitur ita ut *a summa generis antiquitate et nobilitate* repetat opportunitatem adulandi Caesarem Germanicum et, cum adulationis genus ad omnes omnino Germanici consanguineos pertineret, quod voluit haud dubie, favorem sibi conciliandi domus Caesareae omnis. Quam quidem eandem ob caussam instituit haud dubie stemma duplex, quo primum Aeneae genus *a patre* spectatum ad *Jovem* refert ipsum (IV, 29-35) pater vero cum *a Venere* genuisset Aenean, auctor fuit gentis Iuliae, quae, *a matre* genus spectatum, hac quoque jam ratione ad divos referre posset originem. (v. 35-40.) Pergit persequi, inserta regum Albanorum serie, (a v. 41-56.) alterum *stemma*, Romuli nimirum, qui e filia regis Albani natus, genitus vero a *Marte*, non dubitaverit *suos semper Venerem Martemque dicere parentes.* (v. 57). Hinc *tempora Dis generis continuata* dederat h. e. menses Martis et Veneris seu *Aprilis* (v. 20.) deinceps se excipere jusserat. (v. 60.) Quaerens igitur principium familiae Augustae *tres* Poeta invenit Deos huic cognatos. Transit dehinc ad *notationem* vocabuli *Aprilis* (a v. 61. sqq.) et, dum livoris incusat, qui mensis honorem Veneri eripiant, operosius ipse, a v. 61-87, id agit, ut monstret: recte repeti *multorum sermonis latini vocabulorum originem*, propter advenas Grajos aut eos qui colonias e Graecia in Italiam olim deduxerint, *e sermone Graeco.* Itaque nec mirum videri debere, si nomen Aprilis

ipse e Graeco ἀφρός, spuma maris (v. 62.) et, quae inde nomen acceperit, ab Ἀφροδίτη derivandum censeat. At, data hac adulationi etymologia, subjungit a v. 87-89. alteram his verbis: Nam, quia ver *aperit* tunc omnia — Aprilem memorant ab *aperto* tempore dictum. Quam dum invidiae lividae per adulationem v. 85-86. tribuit, tamen inde viam sibi invenit aptissimam digrediendi *in laudes Veneris* egregias ad exemplum illarum Lucretii compositas et *ad laudes Veris* Veneri apti. a. v. 91-132. 2) Idus Apriles notabiles cur sint? v. IV, 621-624. Eaedem Veneris Idus appellantur v. 629.

Aquarius. Sermonis usus circuitu laudat Poeta transitum Solis in hoc Zodiaci signum sic I, 652: Haec ubi transierint. (Januarii mensis dies et, secundum nexum, d. 17. Januar.) Capricorno, Phoebe, relicto, *Per juvenis curres signa gerentis aquam.* (Ex Astrologorum, quos hodie Astronomos vocant, rationibus, haec sic se habent: Sol speciosum suum ab occasu ad ortum persequens motum (cujus vera causa verus est circa solem annuus *Terrae* ab ortu ad occasum motus) die 17. Januar. ita conspectui tum subduxerat stellas aquarii, ut trans ipsius Solis globum, et Terrae quidem e regione, positas essent, ipse vero medius interesset Sol inter Tellurem et has Aquarii stellas. Terra vero tum a Solis, si tales dantur, incolis cum male sana prole sua inter Leonis stellas errans conspicitur.) 2) *Jam puer Idaeus* (H. e. Ganymedes, Aquarii nomine inter astra receptus, unde ex urna aquam in terras fundit, ut pocillator quondam Jovis nectar e cratere in pocula fuderat.) *media tenus eminet alvo, Et liquidas mixto nectare fundit aquas.* II, 145-146. (Quod juxta leges motus Terrae circa solem erit: Paulo post Nonas Februarias (d. 5. Febr.) stellae sideris Aquarii, emersae solis radiis tempore diluculi, iterum apparere incipiunt suntque signum instantis temporis pluvii, quod in Graecia et Italia tum ingruit. Hinc Horatius quoque Sat. I, 1, 36: inversum contristat Aquarius annum. 3) *Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna. Proximus aetherios excipe Pisces, equos.* (Solis.) II, 457-458. Si hoc recte se habet, rei natura postulare videtur, ut hic occasus Aquarii cosmicus intelligatur. Nam sol mense Februario, speciosо quoque die citatiori cursu ab austro appropinquatus aequinoctiorum lineae, occultat maturato ortu astra denuo, quae ante diluculum conspicua jam erant facta. Occasum vero Aquarii l. l. evenire ait d. XV. Kal. Mart. h. e. d. 15. Febr. Caeterum talia hodie facillime illustrari, corrigi — et accuratius constitui possunt vel ope Systematis solaris et Globi coelestis, arte factorum.)

Aquila. I. 1) Signum militare: Non illi (Romani priscae aetatis) coelo labentia signa movebant; sed sua: quae magnum perdere crimen erat. Illaque de foeno. Sed erat reverentia foeno, *Quantam nunc aquilas cernis habere tuas* etc. III, 113-116. v. Notata. 2) Signa, decus belli, Parthus Romana tenebat; *Romanaeque aquilae signifer hostis erat.* V, 585-586. 3) Parthe; refers *aquilas*: victos quoque porrigis arcus. V, 593. II) Signum seu sidus hujus nominis coelestе idque boreale. Ornata verborum ambage utitur Poeta ortum ejus significaturus V, 732: Hane ubi lucem dives aquis acceperit Amphitrite (h. e. die VIII. Kal. Jun. h. e. d. 25. Maj. inclinata) *Grata Jovi fulvae rostra videbis avis.* 2) Simili verborum circuitione idem designat aquilae sidus VI, 195-196: Si quaeritis astra: *Tunc oritur magni praepes adunca Jovis.*

Aquilo. Rege Numa fructus non respondebant labori. — Nam modo siccus erat gelidis Aquilonibus annus, etc. IV, 641-643. Aquilonis igitur in Italia tum eadem fuisse natura videtur, qualis vere novo in Germania Euri esse solet, hoc est: gelida et sicca.

Ara. 1) *Caesaris arma canant alii; nos Caesaris aras.* (Scil. canamus. H. e. res belli-

praeclare gestas celebrent alii carminibus, ego Fastorum hoc in opere curam ejusdem sacrorum seu circa res sacras v. c. templa, partim condita, partim instaurata, laudabo. I, 13. 2) Janus de se I, 275-276: Ara mihi posita est, parvo conjuncta sacello: Haec adolet flammis cum strue farra suis. (Cum hoc Jani responso arctissime cohaerent interrogantis Poetae verba v. 257-258: Cum tot sint Jani, cur tas sacratus in uno, hic ubi juncta foris templa duobus habes? — ita ut locus alter alterius inserviat interpretationi. Cfr. ergo Nota ad loc. v. 257-258. De sacrificiis incruentis (*cruento* luce Agonali piabatur. v. I, 318-334.) Jane oblatis cfr. v. 127-128. Item Kal. nominatim Januar v. 171-172.) 3) *Ara* (olim) *dabat fumos herbis contenta Sabinis*, (vom Säbeod. Sadebaum Cfr. IV, 741.) *Et non exiguo laura adusta sono.* I, 333-334. (Sensus: Nec pretiosa nec cruenta quondam erant sacrificia, Diis facta. 4) *Cum stabis* (o caper!) *ad aram, In tua quod spargi cornua possit, erit.* I, 357-360. (Cfr. loc. class. de mactandi ad aram ritibus v. 319-329; notasque, quibus ab Edit. illustr. loc. enucleatus est.) 5) Quid tuti superest; animam cum ponat in aris Lanigernmque pecus, ruricolaeque boves? I, 383-384. 6) Haec tua constituit Genetrix (Livia, mater Tiberii) et rebus et ara. (Concordiae posita.) I. 649. 7) Ture vacent *aras;* stentque sine igne *foci.* II, 564. v. Ind. s. v. Focus. 8) *Ara* fit: huc ignem carto fert rustica testu Sumtum de tepidis ipsa colona *focis.* II, 645-646. (Loc. class. de sacris in ara tumultuaria seu subitaria sub dio Termino factis. v. a v. 639-678. 8) *Ara* Deae (Vestae) certe tremuit, pariente ministra; (Sylvia Vestali) et subiit cineres territa flamma suos. III, 47-48. 9) Vis et effectus Deorum metus feris Romanorum animis a Numa incussi hoc declaratur signo III, 283-284: Atque aliquis, modo trux, visa jam vertitur *ara*; vinaque dat tepidis salsaque farra *focis.* 10) Ante tuos ortus (Liber s. Bacche!) *aras* sine honore fuerunt, etc. III, 727. v. Ind. s. v. Focus. N. 13. 11) Et feror (Helle) et Phrixus, velati tempora vittis, (στέμματα v. Interpr. ad Act. App. XIV, 13.) stant simul ad *aras.* (victimarum instar mactandi.) III, 861-862. 12) I, pete *virginea*, populus, suffimen ab *ara*: Vesta dabit. — Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla; Tertia res, durae culmen inane fabae IV, 731-734. Cfr. v. 725-729. It. v. 637-640. [De *februis casiis* (v. 726) h. e. piaminibus die Romae natali h. e. Palilibus usitatis sermo est l. l.] 13) Fossa repletur humo, plenaeque imponitur *ara*; Et novus accenso finditur igne *focus.* IV, 823-824. [Est inter ritus templi augurandae Urbi capti.] 14) Pro cane sidereo (qui caussa robiginis segetisque praeceptae habebatur) canis hic imponitur *aras.* IV, 941. Cfr. Ind. s. v. Focus. N. 19. 15) Praestitibus Majae Laribus videre Kalendae *Aram* constitui, signaque parva Deum; etc. V, 128-129. 16) Nos quoque (Floram) tangit honor. Festis gaudemus et *aris;* Turbaque coelestes *ambitiosa* fumus. V, 297-298. De ultionis Deorum neglectorum studio et de eorundem cultorum clementia cfr. sqq. 17) Dicta (Martis, Junonem in urbe nati sui frequentissimo celebratum iri cultu) fides sequitur. Centum celebramur in *aris*, VI, 55. (Sunt ipsius verba Junonis.) 18) Quaeritur in scena cava tibia; quaeritur *aris* etc. i. e. desideratur usus tibiae in sacris rite faciundis. VI, 667.

Ara. 1) *Maxima Herculis.* Constituitque sibi, (Hercules) quae Maxima dicitur, aram; Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet I, 581-582. (Eadem dicta est Ara Jovis inventoris et Romae fuit ad portum Trigeminum. v. not. ad. l. l Cfr. Liv. IX, 29, 9-11.) 2) Ara Pacis a. U. c. 741. d. 2. Jul. jussu S. P. Q. R. in ipsa Curia posita I. 709. V. Not.

Eadem ara Pacis adoranda erat d. 27. Mart. III, 879-882; Cfr. not. 3) Ara Termino subitaria quoque anno Terminalibus sub Dio exstructa a dominis agrorum. [Von den Eigenthümern benachbarter Grundstücke.] II, 645. Est ibi a v. 639, sqq. loc. class. isque longe suavissimus de sacris Termini seu ritibus, quibus d. 23. Febr. a paganis cultus est. 4) Ara Jano posita parvo conjuncta sacello. I, 275. 5) Ara Jovis Elicii. III, 327-328. v. loc. Liv. in Not. 6) Ara Jovis Pistoris. VI, 350. Cfr. 394. Quo posteriori loco *candida* adpellatur. Causam originis hujus hoc sub cognomine Jovi in Capitolio (v. 349: *in arce Tonantis*) positae arae pertractavit Poeta a libri laudati v. 349-395. Est inter locos largo ornatus poetici instructos apparatu. 7) Ara Saturni. VI, 403-404. Nomine Saturni omisso haec de loco leguntur, ubi erat posita: Curtius ille lacus, *ficcas qui sustinet aras*, nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.

Arabs, bis. Diversumque locis alta pererrat iter. Nam modo *turilegos Arabas*, modo despicit Lydos. (De Cerere filiam raptam per omnes orbis terrarum angulos anxie quaerente.) IV, 568-569. Caeterum thuris cum vera sit Arabia patria, aptissimum patet Arabibus dedisse Nostrum epitheton turilegos eos adpellando.

Arcadia. Arcadiam deserit Evander juvenis cum matre Carmente seu Carmenta fugatus. I, 477. Cfr. omnis locus ad utriusque in Italiam adventum pertinens a libr. laud. v. 461-586. a) Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos? — Faunus (i. q. Pan) in Arcadia templa Lycaeus habet II, 423-424.

Arcadius, a, um. Proxima prospiciet Tithono nupta relicto Arcadiae sacrum pontificale Deae. I, 461-462. [H. e. Administrabuntur d. 11. Januar. a Pontifice Maximo sacra Carmentae s. Carmentalia.] a) Arcadiis plurimus in jugis Pan esse solebat. II, 272. [Colebatur nimirum hic pecoris Deus prae omnibus reliquis ab Arcadiae incolis rei pecuariae propter ingenium terrae suae fere unice deditis.] 3) Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos? — II, 423. 4) Ab Arcadiis cultus est inprimis Mercurius in Arcadia natus ex Maja Jovi. Hinc factum est ut ejusdem Dei (alipedis v, 100) sacra edoceret gentes Italiae Evander. V, 85-100. 5) Pleiades, inter quas Maja Mercurii mater fuit, ab Atlante ibidem e Pleione genitae. V, 81-84.

Arcas. 1) *Nomen proprium.* α) *Arcas magnus* nomen dedit *Arcadiae*, mediterraneae Peloponnesi regioni, *Luna ipsa antiquiori* I, 469-470. β) *Arcas puer.* De quo vid. n. 1. 2) *Nomen gentilitium. Arcadis Evandri nomen.* V, 643. Quo loco breviter repetita legitur narratio (I, 461-542.) de adventu ejus in Italiam (v. vocabb. *Carmenta*) alia de causa, quam priori loco inserta 3) *Nec alter montibus Ausonitis Arcade major erat*, I, 542. v. Ind. s. v. *Ausonius.* 4) Arcades Pana *Deum pecoris, coluerunt* II, 271. v. ibi not. 5) *Arcades ante Jovem genitum terras habuisse suas* et *gens Luna prior* fuisse dicuntur II, 289-290. cfr. n. 1. (Nostro loco laudato *gens* quoque terrae Arcadiae, priori vero (I, 469) *terra ipsa Arcadica* prior Luna fuisse fertur.) 6) Arcades hunc (Mercurium e Pleiadum una, Maja dicta, a Jove genitum et in monte Cyllene Arcadiae altissimo in lucem editum) — rite colunt; *Luna credita terra prior.* V, 89-90. 7) Nomen quoque fuit pueri, quem Callisto, Lycaonis Arcadiae regis filia, pepererat, quique Arctophylacis nomine cum matre in Ursam mutata in superas raptus est a Jove domos h. e. inter sidera coeli relatus est. v. Notam ad II, 183, omninoque omnem locum a v. 153-192. It. Not. ad Lib. VI, v. 235.

Arctophylax. Nomen sideris hujus graecum habes II, 190. Latinum vero e graeco translatum (Custos Ursae) cod. libr. v. 153. Signa propinqua in coeli parte

posita boreali micant Ursa major Ursaeque Custos. v. 189. Arctophylax formam sequentis terga Ursae habet. v. 190. [Cum nostris in terris propius ab Arctico polo positis per totum annum aut omnino non, aut per perbreve tempus sub finientem] labatur, [Nam temporis impeditus angustiis, quod indagatu per se jam facile foret, non, dum haec scripsi, ad liquidum perductum habueram] facillime potest inveniri, linea recta ab extrema caudae Ursae majoris stella ad Arcturum, rubicundo in Arctophylacis corpore radiantem colore, ducta. Est haec certe ratio et via inveniendi in coelo astri hujus, quam ineundam censuit et suasit immortalis, immortali dumtaxat Astronomiae suae opere, La Lande. Mythum arctissimo nexum vinculo cum illo de Ursa poli arctici majori exposuit pluribus Poeta II, 153-192. v. Not. ad loc. omn. 1) De ortu ejus in Italia, (ubi occidit), Poeta haec habet II, 153-154! Tertia nox veniat; (d. 11. Febr.) Custodem protinus Ursae adspicies geminos exseruisse pedes. [Ursa major contra, *ut apud nos nunquam, sic nec in Italia et Graecia occidit.* v. duo loca lepidissima accommodatae hujus ad fabulas rei, II, 191-192. IV, 575-582. Hom. Od. V, 275 simpl. ait: „εἴη δ' ἄμμορος ἐστὶ λοετρῶν Ὠκεανεῖο." At *in locis propius a Polo antarctico dissitis ne oriuntur quidem unquam signa ista.* Cujus rei Anglo-Britanni v. c. testes forent, qui in coloniam deducti sunt in Novae Hollandiae insulam, ubi egregie omnibus instructa rebus inhabitant duo recens ab ipsis condita oppida, quorum notissimum, haud procul dissitum a sinu Botany-Bay dicto, nomen accepit Port Jacson.] 2) De occasu ejus, d. 5. Mart. quem errore lapsus pro ortu posuit Poeta, (v. not. ad loc. laudand.) haec habet III, 405-406: *Sive est piger ille Bootes, Mergetur visus effugietque tuos.* v. not. *Piger* appellatur haud dubie propterea, quod, ut omnes stellae circa polos positae, minoris ambitus lineam conficit circularem eodem temporis spatio, quo v. c. maxini circuli, aequatoris, stellae hunc percurrunt, ita ut horum motus celerior, illorum tardior videatur. 3) Cum, ut locus, qui praecessit, docuerat, Bootes unum idemque fit cum Arctophylace astrum, pertinet huc locus V, 733: *Auferat ex oculis veniens Aurora Booten* h. e. dies 26. Maj. occultari incipit a Solis orientis radiis. 4) Idem astrum respectu fabulae, quae caussam refert, cur ita sit nominatum, (v. II, 153-192.) *Lycaon* adpellatur. Hinc pertinet huc locus etiam VI, 235-236: *Tertia post Nonas removere Lycaona Phoebe fertur: et a tergo non habet Ursa metum* h. e. occidit d. 7. Jun. Nam *Phoebe* i. e. Luna h. l. simpliciter pro nocte omnino posita legitur. Caet. v. Not. ad l. l. v. 235.

Arctos, i. 1) Callistus, filiae Lycaonis, Arcadiae regis, a Jove vim passae et a Junone ira furente in Ursam mutatae, fata commentitia dederunt sideri nobilissimo, *Septem trionum* vocabulis a Romanis quondam insignito, illud nomen. v. Fab. II, 153-192. [Hinc patet, cur Graeci signum istud coeleste τὴν Ἄρκτον, Romani vero *Ursam* scil. majorem dixerint. Rectius ergo et nos diceremus *die grosse Bärin*, non: der grosse Bär.] Cum nec in Italia atque Graecia finientem subeat, sed, quod inde sequitur, conspicuus sit quaque anni totius nocte, lepide satis et facete hoc tribuitur inextinctae Junonis irae II, 191-192: *Saevit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn, Menaliam tactis ne lavet Arcton aquis.* 3) Libro tertio v. 793 adpellatur: *Lycaonia Arctos*, ad quam proclinis vergat stella *Miluus* h. e. qui oriatur d. 18. Mart. v. Not. 4) *Quis tunc senserat, geminos esse sub axe polos? Esse duas Arctos; quarum Cynosura* (Ursa minor, eadem, qua major, forma, cujus ultima caudae stella est *polaris* h. e. circa quam propemodum *immo-*

tem vertitur linea aequinoctiorum f. aequatoris axis) *petatur Sidonitis; Helicen* (Ursam majorem) *Graja carina notet?* III, 105-108. Sermo est l. l. de priscis Romanis, qui tempore Romuli non in ligna coelestia sed militaria oculos mentesque habuerint intenta. Cfr. v. 103. 5) „Errat et in coelo; (Ceres filiam raptam quaerens) *liquidique immunia ponti* (i. e. nec occasum nec ortum passa unquam) alloquitur gelido proxima signa polo. Parrhasides stellae, (namque omnia nosse potestis, *Aequoreas nunquam cum subeatis aquas*) Persephonem — monstrate parenti. Huic Helice (ursae majoris astrum) talia verba refert: Crimine non vacua est. Solem consule, qui late facta diurna videt. „IV, 575-582. [Non potui a me impetrare, quin transcriberem totum hunc locum, cum vere sublimia haec ficta videantur: Stellae vident quicquid in totius globi terrestris superficie evenit noctu, Sol vero quicquid ibidem interdiu.]

Ardea. Rutulorum oppidum. v. de eo not. ad II, 721. 727. 749. Lentam, regnante Tarquinio superbo, a Romanis patitur obsidionem, quae militibus nimium otii praebet. Hinc nexu rerum aut fortuito aut necessario fatalia gignuntur sequentia: 1) Lucretiae stuprum. 2) Regifugium. Cujus quidem anno quoque d. 24. Febr. (v. II, 686) celebrata memoria Poetae patefecit aditum ad locum II, 685-852, maxume commendabilem summae, qua decurrit narratio, facilitatis orationisque elegantiae artificio. 2) Caeterum de Rutulorum, quorum civitas Ardea fuerat, tempore Aeneae, rege Turno, quodammodo locus huc pertinet, certe de eo admonuisse non ingratum erit IV, 879-900.

Arethusa. Frigidus Syracusarum fons. v. not. ad IV, 423. Quo quidem loco Nympha fontis, Arethusa, coelestium matres ad sacras vocasse dapes narratur. Quarum in numero cum Ceres quoque esset venisseque, rapta est absenti filia Persephone f. Proserpina. Vid. omnino loc. IV, 417-618.

Arethusis, idis. Syracusas Arethusidas abstulit armis Claudius. IV, 873-874. (Abstulit diripuitque hanc *vel adhuc* nobilissimam urbem Claudius Marcellus A. U. 540. (a. C. n. 216.) v. Not.

Argei. Non occurrit hoc ipsum quidem nomen apud Nostrum; at fuit proprium (v. not. ad V, 651 et ad v. 621) simulacrorum, quae formas referentia virorum cum essent scirpea (v. 622) (*imagines scirpeae.* v. 659.) aut straminea (v. 631) quoque anno Idibus Majis solenni pompa (v. not. ad v. 621) a virgine Vestali e ponte sublicio mitti in aquas Tiberis solebant. Ab Argivis, comitibus Herculis ex Hispania redeuntis, juxta Tiberis ripam in montibus, quibus Roma postea inaedificata est, spemque Laremque ponentibus, nomen accepisse innuit Poeta ipse a v. 651-661. Recensuit, ante hanc, duplicem aliam sententiam; alteram a v. 625-632, alteram vero a v. 633-4. Caet. omnem locum de Argeis, quo de tempore et caussa originis ritibusque rei istius exponitur, habes a Libr. V. v. 621-662 Quum a remotissimis temporibus ritus origo et caussa repetenda esset, aptissime Tibrin Deum, cujus ripae (v. 635-638) Urbe longe sint vetustiores, finxit communicantem sibi earum rerum notitiam.

Argei. Itur ad Argeos — hac, si commemini, praeteritaque die. III, 791-792. (H. e. die 17 et 18 Mens. Mart. ad loca, quae Argeos vocabant, eunt, ut sacra ibi faciant, Pontifices.) V. not.

Argestes. Ventus Nostro appellatur frigidus, qui surgat d. 2. m. Maj. V, 159-162. Caurum sive Corum [den Nord-Westwind, welcher auch bey unsern Landleuten wegen Nässe und Kälte, die ihm folgen, verrufen ist.] intellexisse putant, cum Argestes sit der Süd-Westwind. v. loca in Not laudata. Cfr. Schleusn. L. N. T. s. v. *Κάικιας.*

Argi, orum. Magnaque pars deſertis (a ſe) venerat Argis. V, 651. (Argolidis in Peloponneſo civitas, Junonis cultu et Inacho tum rege tum flumine clara. Hinc Argivus moriens optat: (v. 656) *litus ad Inachium ut pulvis inanis eat.*

Argos, us. Poeniteat Sparten, *Argosque*, meaſque Mycenas et veterem Latio ſuppoſüiſſe Samon? VI, 47-48. (Sunt verba Junonis vindicantis ſibi honorem dicti a ſe menſis Junii, monentisque Romanos de magnitudine favoris ſui, cum Romam tandem vel locis ſibi cariſſimis quondam praetulerit ita ut, ſi ſaluti conſultum cupiant ſuae, iis etiam conveniat religioſe cavere, ne ipſam poeniteat illius favoris. Quod quidem facturi ſint, ſi impediant, ne vel honos quoque menſis ipſi eripiatur. Cfr. voc. Argi, orum.)

Ariadnaeus, a, um. Baccho placuiſſe coronam, *ex Ariadnaeo fidere* noſſe potes. V, 345-346. v. de corona et fidere not. ad III, 511-516. et Ind. ſ. v. corona.

Ariadne. Non diſertis quidem verbis nomen ejus legitur; at omnis locus III, a v. 459-516 ad eam pertinet. Occaſione nimirum commemorati ortus ſideris Coronae borealis (Die menſis Martii 8.) inſerit hiſtoriam originis et cauſſae denominationis aſtri iſtius, quae repetitur a querelis Ariadnes (v. 469-506) de perfidia Bacchi, hujusque, qui verba querentis audiverat, (507.) promiſſis, injuriam factam compenſandi coelum cum ea petendo, mutatae nomen *Liberae* imponendo, et transformando gemmas Coronae ſuae in *ignes* h. e. ſtellas v. 515 et 516.

Aricia. Inſpice, quos habeat nemoralis Aricia Faſtos. — Eſt illic menſis Junonius. VI, 61. (Sunt verba Junonis menſis Junii nomen et honorem vindicantis.) V. 63: Junonale ibi leges tempus. — Jam quod ad oppidum attinet ipſum, ejus ſitus auſtrum verſus, et intervallum, quo a Roma diſſitum erat, cognoſcitur 1) ex Horat. Sat. I, 5, 1-6: Nam huic, Maecenatis Roma Brundiſium iter facientis, in via Appia comiti Aricia *ſtatio eſt prima*: Forum Appii, locus, Pontinos juxta paludes, quae inde trajiciendae erant navigiis, (v. 12, 13) poſitus et a Luca quoque commemoratus. Actt. XXVIII, 15.) *ſecunda*, ita tamen ut addat: Hoc iter *iguavi diviſimus*, altius ac nos praecinctis, *unum*. Cfr. Cic. p. Mil. Capp. XIX-XXII. E cujus quidem verbis patet, Bovillas, oppidum, item fundum et inſanas Clodii ſubſtructiones, porro villam Albanam Pompeji, in Albano monte poſitam, Ariciam inter et Romam ad viam Appiam e porta Capena (cfr. Ind. l. h. voc.) Neapolim et Brundiſium ducentem, poſita fuiſſe. — Cur vero *nemoralis* Aricia adpelletur v. ſ. v. *Aricinus*. Cur *ſuburbani* Aricini, (v. VI, 58.) praeter locum Horat. laudatum, Martialis, exactiſſima uſus ratione, docet Epigr. IX, 65: „Octavum domina Marmor ab Urbe legit, qui nemus Aricinum petit. (H. e. Diſtabat trium fere horarum, cum duodecim minutis quartae partibus, e noſtra computandi ratione, a Roma lucus ille Aricinus, ſi 75 milliaria ſeu 75,000 paſſus Romani, quod volunt et ponunt, gradum circuli aequinoctialis aut meridianorum orbium aequant.)

Aricinus, a, um. Quod ſi forte vacas, peregrinos inſpice Faſtos: Menſis in his etiam nomine Martis erit. — Tertius Albanis — fuit — Inter Aricinos Albanaque tempora conſtant etc. i. e. apud Aricinos quoque, ut apud Albanos, menſis anni tertius Marti ſacer fuit. III, 87-88-91-92. v. ibi notata. 2) Vallis Aricinae, ſilva praecinctus opaca, eſt lacus, antiqua religione ſacer. Hic latet Hippolytus etc. III, 263-265. (Omnino omnis locus a v. 261-276 ratione Topographiae eſt notabilis.) 3) Lucus eum, (Hippolytum conſternatis direptum equis, V, 309-310, at ab Aeſculapio vitae reſtitutum, VI, 733-763, a Diana vero ſub *Virbii* nomine ex Attica Aricinum in lucum translatum) nemorisque tui, Dictynna

(h. e. Diana) receſſus celat: *Aricino* Virbius ille *lacu*. VI, 755-756. Caeterum vallis, lucus, lacus, clivus Egeriae, Ariciae, Virbi, cum ante Portam Capenam et juxta viam Appiam, omnium maxume viatoribus frequentatam, poſita eſſent, inde factum eſſe videtur, ut regio iſta a) locus eſſet latronum occultator et receptator. v. Cic. p. Mil. Cap. XIX. (Qualem paucis abhinc annis beato quoque Seumio a ſicariis ibidem oppreſſo ſe exhibuit. v. Itinerarium Viri, cui titulum fecit: Mein Spaziergang nach Syracus.) Item ſedes mendicorum. Juvenal. Sat. IV, 117: „*Dignus* (Catullus, unus procerum a Domitiano in concilium vocatorum de menſura patinae, cui rhombus ingentis magnitudinis, in Adriatico captus ſinu, poſſet imponi) *Aricinos qui mendicaret et axes, blandaque devexae jactaret baſia rhedae.*“ It. Perſ. Sat. VI, 55-56: Accedo Bovillas (v. Ind. ſ. h. v.) clivumque ad Virbi: praeſto eſt mihi Manius heres, h. e. unus aliquis maxume humili et obſcuro loco natus, e grege mendicantium ad clivum Virbi et ad Bovillas. Martial. Epigr. XII, 32: migrare clivum crederes Aricinum h. e. omnes mendicos. Ramler ad l. l. (T. V, p. 203): Hier hielten ſich die meiſten Bettler auf. Cfr. Juv. III, 13-14; ubi de Judaeis: *quorum cophinus foenumque ſupellex*“ h. e. qui, cum per ſe jam egeſtate laborent ſumma, tamen populo Romano vel pro locis ſacris i. e. ſede in valle et luco Egeriae, ubi degunt vitam miſeram, mercedem pendere jubentur. Caeterum Scholiaſt. Perſii ad Sat. laud. v. 56 monet, *clivum Virbi* ab urbe quatuor diſtaſſe millibus h. e. ſpatio unius cum dimidia horae parte, e ratione computandi noſtra.

Aries. 1) De ariete proprie ſic dicto, et *primum* quidem circuitione verborum notato I, 333-335: Agonalibus h. e. d. 9. Januar. Rex placare ſacrorum Numina (Jani) *lanigerae conjuge* debet *ovis*. 2) Nec coeant pecudes, ſi levis abſit amor. Cum mare trux aries cornu decertat; at idem frontem dilectae laedere parcit ovis. IV, 100-102. 3) Inter bona, quae paſtores a Dea Pale precibus impetrare ſtudent, retulit Poeta in concepta eximia a ſe precum formula: Sitque ſalax aries, conceptaque ſemina conjux reddat, et in ſtabulo multa ſit agna meo. IV, 771-772. II. De ſigno zodiaci inter verna primo, arietis nomine inſigni, occurrunt loca haec: 1) circuitione verborum et vocabulo *ovis* tanquam vocabulo generis uſum intellexiſſe et intellegi voluiſſe arietis ſignum, III, 851-852, docet res ipſa docentque verba Fabulae, quae cauſſam exponit relati inter ſidera arietis a v. 853-876. Sunt vero verba loci v. 851-852 haec: *Nunc potes* (d. 23. Mart.) *ad ſolem ſublato dicere vultu: hic here Phrixeae vellera preſſit ovis.* Jam cum per ſtellas arietis tranſeat linea quoque aequinoctiorum, quam hodie aequatorem dicunt, patet cur v. 877-878 ſtatim ſubjungat aequinoctii verni mentionem: Tres ubi Luciferos veniens praemiſerit Eos, (h. e. d. 24. Mart. v. not. ad v. 851.) *Tempora nocturnis aequa diurna feres.* 2) De ſolis egreſſu ex arietis ſigno haec habet Noſter IV, 713-715: Poſtera cum veniet, terras viſura patentes Memnonis in roſeis lutea mater equis: (h. e. d. 20. Apr.) *E duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen,* (v. Fab. III, 853-876.) *Sol abit.* 3) Occaſum arietis refert ad d. 25. April. ſic IV, 901-903: Sex ubi, quae reſtant, luces Aprilis habebit, in medio curſu tempora veris erunt *et fruſtra pecudem quaeres Athamantidos Hellae,* ſignaque dabunt imbres.

Arion. Arripuit utraque Poeta manu et hic, occaſione memorandae Delphinis aſtri, per ſolem d. 3. Febr. effectae, occultationis matutinae, anſam hanc datam, gratiſſimis diſtinguendi picturis texta carminis ſui, per ſe levidenſis fili, interſerendo narrationem de Arionis Muſici ortu, fac-

tis et fatis II, a v. 97-ad v. 119. Est inter insigniora operis loca referendus hic, qui fabulam de Arione habet, locus. Quanta mimirum esse possit Musices vis, qua per sentiendi facultatem, nominatim nervis acusticis propriam, agat in mentes vel ferocissimorum hominum, et qua emollire easdem possit, egregiis Τπερβολῆς imaginibus, ut jam Amphionis et Orphei exemplis illustratum fuerat, sic et hujus nostrae fabulae illustratur splendidis Phantasiae commentis. Dolendum vero, lectores eadem hac fabula laedi exemplo, humanam naturam feritate belluinam saepe excedere, quoties, ut hoc scias, ab auri sacra fame stimuletur, ut gubernator et nautae Arionis, v. 97-100.

Arionius, a, um. Nomen Arionium Siculas impleverat urbes. II, 93. v. Ind. s. v. Arion.

Aristaeus. Qui fuerit, expositum leges in Nota ad I, 363. Opportunitatem fabulae aut verae aut fictae de apum examinibus e putrescente bovis s. juvenci mactati corpore natis [*mille animas una* (bovis anima, *necata tedit* v. vers. 380] enarrandae dedit consilium Poetae *causſam* afferendi, cur *boves* coeperint immolari. Haud feliciter vero res ei cessit. Vid. voc. *apes.*

Aſcraeus, a, um. Ecce Deas vidi: non quas praeceptor arandi viderat; Ascraeas cum sequeretur oves i. e. Hesiodus. VI, 13-14. [Finxit l. l. Poeta, simulat vero factum, quod finxit; (v. 3, 4.) at quomodo e legibus phantasiae nexuque hujus cum corpore, quo motus et affectus excitat, factum illud accipiendum sit, praeclare exposuit etiam a v. 5-8;) finxit, inquam, sibi, sollicita cura de origine nominis Junii mensis in nemore abdito, meditanti, adstitisse Junonem, Heben et Conoordiam; causſamque, ratione nominis, egisse priorum utramque suam; Concordiam vero, ne in litem studio certaminis irrent, cavisse. Has igitur Deas vidit Poeta; Musas vero Hesiodus. v. illustr. loci Intpr.

Asia. Perqua urbes Asiae longum petit Hellespontum. (Ceres natam requirens amissam) IV, 357. Propter commemoratos in sequentibus Arabes et Indos oppositosque Hesperios v. 571-572, intelligi debet *tam minor* [hodie Natolien sive die Levante dicta, nomine utroque ab ortu solis repetito (ἡ ἀνατολὴ scil. τοῦ ἡλίου et le Levant scil. du soleil, quippe quae Graecis, Italis, Francogallis etc. h. e. omnino Helperiis orientem versus solem posita est] h. e. inferior specie, *quam superior.*

Assaracus. Cujus pater Tros, filius Capys, nepos Anchises, pronepos Aeneas, abnepos Ascanius seu Iulus. IV, 34-40. Jam ad hunc Iulum gens Iulia, cujus in gratiam stemma regum tum Trojanorum (a v. 27-40) tum Albanorum (a v. 41-60) intextum est operi, generis primordia retulit.

Astrologus sive, quo hodie hoc literatorum hominum genus nomine vocatur, *Asironomus.* Nomen ipsum in loco, qui totus in laudibus et felicitatis praeconio versatur eorum, qui primi in rerum coelestium natura indaganda operam sublimis, immo divini, collocaverint ingenii sui, hoc vero est Astronomorum, non occurrit. V. Loc. I, 297-310. Memorabilis est inprimis sententia Poetae nostri, *de incredibili mentis humanae opinionum commutatione*, rerum maxime sublimium cognitione et contemplatione sensim effecta; qualem cognitionem ait esse illam immensae rerum universitatis, qualemque judicii mentis de pretio rerum externarum commutationem inprimis illam cognitionem sequi sibi persuasum esse declarat. Addit etiam, se non posse non illos, qui talia ratiocinando habeant cognita, auctos cogitare vi et corroboratos *ad frangendos facile propensionum seu studiorum naturae impetus.* Non dubito, quin summam voluptatem e lectione loci nostri perceperint divini, aetatis recentioris, ingenii

viri v. c. Copernicus, Keplerus, Newtonus, aut adhuc percipiant multi illi propter hanc sublimis scientiae cognitionem florentes aetate nostra laude viri, quorum nomina verecundus pudor hominem obscurum adjecisse vetuit.

Astronomia. Si, quo extulerit ornatu et qua sententiae amplificatione poeta hoc: „Romanos veteres ignarissimos fuisse Astronomiae artis" discere cupias, v. III, 105-112.

Asylum, i. Inter duos fuit lucos, qua petit aequoreas advena Tibris aquas, et vicinos Urbi. Asylum a Romulo ibi apertum est Kal. Febr. v. not. ad loc. II, 67-68. *Judicium Poetae* de hoc Asylo, non favens cauſſae Romuli, legitur II, 140: Tu recipis luco, submovet ille nefas. Occasione templorum Vejovi d. 7. Mart. ante duos lucos istos dedicatorum, verborum circuitu notata plura habebis de Asylo Romuli III, 431-434. Cfr. impr. illustriss. intpr. loci excitati.

Atlanteus, a, um. Quis tunc cum Romanam noverat artem, qui bene pugnarat — Pleiadas senserat *Atlanteas* etc. III, 105. H. e. Tempore Romuli nemo coelum, omnes arma curabant i. e. ut omne Literarum ita nominatim Astronomiae studium neglectum jacebat, ut mirum non esset, si Romulus annum decem menses constituerit. Caeterum Pleiades dicuntur *Atlanteae* ob causam relatam a Poeta ipso V, 81-84. Cfr. IV, 169. sqq.

Atlantis, idos. 1) Annam Perennam fuerunt qui dicerent Nymphen Atlantida et nutricem Jovis. III, 659-660. 2) Dardanos Electra Atlantide, (v. not. ad IV, 177-178) h. e. Atlantis filia, cretus. IV, 31.

Atlas, antis. Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn — Hinc fata Pleione cum coelifero Atlante jungitur, ut fama est; Pleiadasque parit. V, 81-84. v. ibi de Atlantis stemmate et stirpe not. 2) Coeli pondera sensit Atlas. II, 490. [Tremefacto utroque, nutu Jovis, polo.] 3) Pliades incipiant humeros relevare paternos h. e. Atlantis. IV, 169. [Sententia simplex: d. 2. Apr. Pleiades, in dorso Tauri positae septem stellae, occidunt.] 4) Nondum stabat Atlas, humeros oneratus Olympo: cum satus est — Hyas. Hunc stirps Oceani (filia Oceani, cum Atlas esset filius Iapeti, fratris Oceani) maturis nisibus Aethra edidit et Nymphas h. e. Hyades. V, 169-172. [Atlas igitur Pleiadas e Pleione, Hyadas vero ex Aethra genuit.]

Atrium Libertatis. Hac quoque, ni fallor, (die, i. e. Idib. Apr.) populo dignissima nostro *atria* Libertas coepit hebere sua. IV, 623-624. v. summe venerandum Intpr. ad h. l. laud. Cfr. Heyne et Voss. ad Virg. Georg. II, 502. Ex quo loco patet, cur Noster Atria Libertatis dicat *populo dignissima.* Nam ibi *tabularia populi* adservabantur h. e. publica instrumenta v. c. redemtionum tabulae, e quibus patebat, quanti a Censoribus Publicani conduxerant vectigalia populi Romani. „Appius Claudius de Clodii servis habuit quaestionem in atrio Libertatis. Mentio ejus fit a Liv. XXV, c. 7. Erat autem aedes Libertatis in monte Aventino." Haec sunt verba Ottonis ad Orat. Cic. p. Mil. c. 22. Cfr. Tacit. Hist. I, 31.

Attalus. Phrygiae rex. IV, 265-266. v. notata de ipso l. l. Invitus, nec nisi a Dea ipsa coactus, eam, i. e. Cybelen, Romam proficisci permisit. 266-272.

Attica terra. Cujus portus adit Ceres. IV, 502. Subjicitur statim narratio, quomodo Ceres, maestissima propter filiam nusquam repertam, in Eleusiniorum agrorum gelido sederit saxo et invitata a sene Celeo hospitioque benigne excepta gratiam retulerit dono artis, filio Celei, i. e. Triptoleme, dato, arandi, serendi, satuque metendi. Hinc repetenda est origo mysteriorum Eleusiniorum. V. inde a v. 502-562.

Attin, inis, et *Attis, idis.* Phryx puer, facie spectabilis, qui

casto devinxerat amore sibi Deam turrigeram h. e. Cybelen. Castitate vero, quam Deae promiserat, violata, coitu cum Sagaritide Nympha, furore percitus exsecuit sibi virilia. Atque haec redditur caussa cur Galli, Phrygiae Deae sacerdotes, suum quoque mutilaverint corpus. v. de fatis miseri locum IV, 221-243. Plura dedit in notis illustriss. Oper. edit.

Augustus, a, um. (Attentos esse jubemus lectores ad modum quo, sibi temporis et suae conditionis sub Tiberio acute perspiciens rationes, locum *de cognomine Augusti* ita pertractavit, (Libr. I, a v. 590-616) ut rei, per se levioris fortasse momenti vitae, *summam conciliare studeret dignitatem).* Verbi originem repetit Noster ab *augure*, ita ut *augustum* sit, quodcunque sua Jupiter *augeat* ope I, 611-612. Hinc votum v. 613. (Hinc igitur quoque illud in titulis imperatorum quondam: *semper Augustus*, versum legebatur in sermonem patrium: *allezeit Mehrer des Reichs.*) 2) Ex ustatiori vero significatione denotavit vocabulum *augustus, a, um*, idem quod sanctus, a, um. I, 609-610. (D. d. d. geweihete, geheiligte.) Sic templa sacerdotum rite dicata manu *augusta* vocata sunt. v. Ibd. Summus ipse quoque Jupiter eodem nomine dici solitus est v. 608. Itaque nulli nomina tanta contigerunt viro, (v. 592) quibus socium summo cum Jove ipso haberet nomen, (v. 608) quam *Octaviano*, cum a Senatu *Augustus* diceretur. v. 590. 2) Cujus *tanti cognominis heres* (v. 615.) fuit ipse quoque *Tiberius*, susceptio, quod sustinuerat pater h. e. vitricus, orbis onere. I, 615, 616. Efficitur inde per *Augustos* I, 531 intelligendum esse utrumque et *divum (Deum*, v. 533.) *Augustum* et *Tiberium*, quem nominatim spectant verba Carmentae vaticinantis v. 533, 534: „Inde nepos, (Jul. Caes. *divi*) natusque Dei, (Augusti *divi*) licet ipse recuses, pondera coelesti mente paterna feret."

Augusta, sic Julia quoque appellatur I, 536. Sub Julia vero non filiam Augusti, sed Liviam uxorem intelligendam esse docetur in nota ad l. l. Post obitum Augusti et ex ejus testamento demum *Augustae* cognomen et *Juliae*, nomen gentis, adfumsisse Tacit. diserte ait verbis Annal. I, 8. (A. U. 767. p. C. n. 14.)

Augustus mensis. Mille Lares Geniumque ducis, (i. e. Caesaris, Octaviani Augusti) qui tradidit illos, Urbs habet; et vici numina trina colunt. Quo feror? *Augustus mensis* carminis hujus jus habet. V, 145-148. — Inter *numina trina* sive *aeternos tres Deos* (IV, 954) est Poetae Augustus. (IV, 951-952.) Multos opinor juvabit contulisse, propter rei similitudinem, locum de cognomine *Patris Patriae*, Octaviano consensu omnium ordinum dato, quod ornamento ei laudi est ipsi haud dubie longe insigniori, quam illud Augusti videri poterit. Conferant igitur loc. II, 119-144. Cum Augusti vero cognomine utiliter contenderis locum ingenioli Poetae nostri, *de Majestate* V, 19-32.

Ausonis, idis. Lyricis capta erat Ausonis ora sonis. II, 94. (Sermo est de Arione aures mentesque Italorum arte sua musica demulcente.)

Ausonius, a, um. Vindicas Ausonias Junonis cura Kalendas. I, 55. Ausoniae cur dicantur Kalendae v. in not. 2) *Nec alter montibus Ausonis Arcade major erat.* I, 542. Haec Evandri magnitudo haud dubie arctissimis limitanda est, ut verba ipsa volunt, finibus. Nam montes Ausoniae sunt colles (v. 517 coll. 515.) quibus postea Roma paullatim inaedificata est. Magnus igitur potentia fuit inter eos, qui in regione colles septem illos circumjacente sedem fixerant. 3) *Carpenta prius Ausonias vehebant matres - Mox honor eripitur.* I, 619-621.

Auster. 1) Numen venti hujus nominis II, 71-72: Saepe graves pluvias (d. 1. Febr.) adopertus

nubibus Auster concitat, aut posita sub nive terra latet. Cfr. not. 2) In spe vitis erat: coelum nigrescit ab Austris et subita frondes decutiuntur aqua. V, 323-324. (Est l. l. poetice inter effectus neglecti Florae Deae cultus.) 3) Pelion Haemoniae mons est obversus in austros. V, 381. 4) Syn. *Notus*. Corpora nuda gerebant, docta graves imbres et tolerare Notos. II, 300. [Natura venti in Italia, qualis fuerit, satis patet ex hoc et primis duobus locis laudatis.

Aventinus rex. Inter reges Albanorum ordine duodecimus. IV, 51.

Aventinus mons. 1) Ab Aventino rege vocatus est hoc nomine. IV, 51-52. 2) Evandri tempore Cacus timor fuit atque infamia silvae Aventinae. I, 551. 3) Aventinis in herbis eodem aevo pavit armenta Hercules. IV, 67. 4) Inter merita Herculis in terram romanam Hebe uxor refert VI, 81-82: quod Cacus Aventinam sanguine tinxerit humum. 5) Clamor Aventini saxa propinqua ferit. VI, 518. (Clamor Inus, cui manus injecerant puerumque Melicertam revellere pugnabant, a Junone stimulatae, Bacchae Latiae, cuique Hercules ex Hispania cum vaccis Iberis redux, clamore audito, opem fert. Caeterum, cum Bacchus esset filius Semeles, sororis Inus, hujusque alumnus, non satis patet, quomodo tum jam Bacchae Latiae commemorari potuerint.) 6) Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra. (Tempore Numae.) Quo posses viso dicere: Numen inest. etc. III, 295-296. [In eo medio oracula Fauni et Pici erant. Quorum quidem ope Numa l. l. Jovem deducit de coelo et de *ancilli*, pignore imperii, promissum accipit. v. loc. a v. 299-349. Huc pertinent verba v. 329: Constat Aventinae tremuisse cacumina silvae. [Adjectus est mons Urbi ab Anco Martio. v. Liv. I, 33.] 7) Aventinum mane cacumen adit Remus auguria consulturus. IV, 816. 8) Lunae aedes in monte Aventino III, 883-884: Hujus quoque tempora mensis finit Aventino Luna colenda jugo. 9) Item templum Bonae Deae. IV, 148-159. Nam de Aventino monte intelligenda esse verba: „Est moles nativa: loco res nomina fecit. Appellant saxum; pars bona montis ea est.“ — docent verba, quae sequuntur v. 151-172: Huic Remus institerat frustra etc. Cfr. IV, 816. Templa patres illic, oculos exosa viriles (Deae bonae) *leniter acclivi constituere jugo*. v. 153-154. 10) Aedes Palladis in eodem monte fuit: Coepit Aventina Pallas in arce coli. VI, 728. v. not. (Dedicatum d. 17. Jun.)

B.

Bacchus. Syn. *Lyaeus* I, 395: item *Liber* III, 728. Cfr. v. 713. Commendat se ab arte locus I, 353-360, qua simpliciter eloqui hoc voluit Poeta: Baccho *caper* mactari coeptus est, quod palmites carpendo seu vites rodendo nocebat huic Bacchi dono, qui itaque placandus erat hostis sui sanguine. 2) Festa corymbiferi celebrabas, Graecia, Bacchi, tertia quae solito tempore bruma refert. I, 393-394. Vid. de his festis diebus tertio quoque anno in honorem Bacchi per omnem Graeciam celebratis Not. Edit. summe Vener. ad l. l. Rationem, qua ipsi quoque Dii, qui in numero comitum cultorumque ejus erant, ista celebrasse Bacchi sacra narrentur, cognosces e loco ut nativi leporis, ita salacis quoque petulantiae notis insigni I, 392-440. 3) Jamque nemus Bacchi, Tmoli vineta, tenebat. II, 313. (Sermo est de Hercule famulo Omphalen dominam umbraculis manu sustentis ab ardentibus solis inter eundum tuente radiis. Caeterum verba loci II, 328-330, docent Omphalen *sacris Bacchi* operari voluisse *et* omnia laute, largiter et magnifice propterea praeparanda curasse, ut hoc, digno satis Deo modo, faceret. Verba vero, quae dictis fidem addunt sunt haec: *positis juxta secu-*

huero tertio. (Omphale et Hercules.) *Cauſſa: repertori vitis pia ſacra parabant, quae facerent pure, cum foret orta dies.* 4) Occaſione commemorati ortus fidetis Coronae borealis, quem, veſpertinum puta, ad d. 8. Mart. retulit, III, 459 - 460, inſerit fabulam Poeta, quae explanat unde et cur illud aſtrum, nomen *Coronae* acceperit. Cfr. v. 513 - 516. Quae quidem fabula pertinet ad Ariadnes et Bacchi amores ſeu potius conjugium, cujus *fides laeſa* a Baccho, ab expeditione Indica reduce facto, aptiſſimam poetae praebuit anſam immorari fere unice *querelis Ariadnes* a L. III, v. 471 ad v. 505, in quibus confictis ingenium illius ab arte compoſitae orationis non deſiderabia. Aptiſſimam vero ſtatuerim anſam immorandi querelis Ariadnes, quia *ultima* Ariadnes in his terris fata et id, propter quod omnino ejusdem erat mentio facta, ſtatim, continuoque quaſi cum cauſſa effectu, *enarrata* ſubſequuntur. Bacchus nimirum, qui verba querentis audiverat, ut eam ſolaretur, ſub Liberae nomine cum ea coeli ſumma petit novemque Coronae aureas gemmas in totidem micantes transformat ſtellas III, v. 507 - 516. Cfr. Libr. V. v. 346, ubi *Ariadnaeum ſidus* vocantur. 5) Bacchus *candidorum quoque mellium repertor* (III, 761 - 762.) celebrabatur; ſeu a Baccho mella quoque reperta ferebant; (III, 736.) quo ſenſu hoc dixerint, docent verba libri laudati a v. 737-744. (Nam alio ſenſu Flora Dea ſuum habet mella munus. V, 271 - 272.) Tinnitibus nimirum cymbalorum, aliorumque inſtrumentorum ex aere factorum ita motas obſervaverat apes ut, quaque moverent aera ſonitus parte, eo ſequerentur. Sic actae et *errantes colligere et claudere alveariibus coeuntes* didicit Bacchus; ipſeque, qui ſuccis gaudebat dulcibus, (v. 735 - 736.) inventi praemia mellis (v. 744.) habuit. Caeterum e locis laudatis omninoque ex omni fere oratione, qua agit *de Liberalibus* a Libr. III, v. 713 - 790. patere videtur, Romanos Libero d. 17. Mart. *mellium inventori* potius, nec tam Baccho, *vitis repertori*, (II, 329.) ſeu *uvae commentori* (III, 785.) feſtum eſſe voluiſſe. Reliqua vide in Ind. ſ. v. *Liberalia.* 6) Baccho ex India, Gange totoque Oriente ſubacto, reduci facto ut *exquiſitorum* ita *ſumtuoſiorum* ſacrificiorum origo et cum laude quidem, ut videtur, tribuitur) III, 727 - 732. Immo *cruentorum* quoque, majorum certe, v. 732. Cum ſenſu vero dolentis de orto more *ſacrificia ſumtuoſa atque adeo cruenta offerendi Dis*, ingenii morumque, ipſius in laudes, pronunciaverat judicium ſuum Poeta, I, 337-456. 7) *Hedera gratiſſima eſt Baccho et cur?* III, 767 - 770. 8) Bacchus *puer* ſemper *juvenisque* viſus. Nam *media* eſt *aetas* inter utrumque ipſi. III, 773 - 774. 9) Bacchus item prae reliquis *patris* ornatur cognomine. III, 775. Cfr. not. 1) Quia liber eſt, propterea quoque Liber dictus eſt. III, 777. 11) *Noverca Bacchi*, h. e. Juno, puerum infantem quaerit ſcil. irae ſtudio, ut inventum malis adficiat aut adeo e medio tollat. III / 769 - 770. 12) Ab his *malignae* voluntatis *novercae* Bacchi in ipſum, matremque ipſius Semelen, ſenſibus pendet origo Fabulae, quam Poeta refert L. VI, a v. 485 - 550. Poſtquam nimirum Bacchus, foetus immaturus utero matris a patre Jove ereptus et femori ejusdem inſutus ad maturitatem pervenerat, curam pueri *nutrienti* et *educandi* (VI, 486, 488.) ſuſcepit *Ino*, Semeles ſoror, utraque Cadmi, Thebarum conditoris, filia. Quae quidem ipſa *noverca* quamquam Phrixi et Helles *impia* et *ſcelerata* (v. Fab. L. III, v. 853 - 876. Cfr. II. 628. Cujus verba: „*Caeſtiorum die feſta procul hinc procul - impia eſto quae ruricolis femina toſta dedit.*“ quo ſatis intelliges cfr. Not. et verba l. l. III, 855 - 858.) at *matertera* (VI, 523.) *pia et benigna* Bacchi fuiſſe fingitur. Hinc imolaca-

hile atque vere furiale Junonis odium, quo percita in Inus maritum Athamanta, liberosque Inus, Learchum et *Melicertam*, inque ipsam tandem quoque Inonem saevit et furit (v. 487 - 498.) ita, ut haec tandem a Moluri, scopulo isthmi Corinthiaci, se cum filio Melicerta in mare dejiceret. v. Not. ad VI, 495. Excepta vero cum filio a Nereidibus illaesa per undas in Italiam fertur, (v. 499 - 502.) et in eam quidem hujus terrae regionem, quam juxta Tibridis ripas *Evander cum Arcadibus* tum jam occupatam tenebat. Per miri *Anachronismi* vitium Maenades Ausoniae, (v. 504.) quae eaedem (v. 507.) Bacchae Latiae et (v. 514.) Thyades vocantur, commemorantur, quae *lucum* incoluerint haud multum a loco, ubi Tibridis undae *in mare altum* se dividant et liberiori patent campo. (IV, 291-292.) Jam sequuntur, unde intelligas, cur huic de Baccho loco inferenda erant, quae ad Inonem propius spectant. Iuno nimirum ultionis, ne nunc quidem extinctae, studio ducta insidiose se immiscet, dissimulata Deam, Thyadum choro et materteram Bacchi, quia hujus Dei educationis curam gesserat, *cultricibus adeo ejusdem* ita suspectam reddit, (v. 607 - 512.) ut haud multum abesset, quin filium Melicertam miserae matri ereptum necarent. (v. 513 - 518.) At impeditae et fugatae ab Hercule, ex Hispania qui modo advenerat, relinquunt, quam vexaverant, Inonem cum filio. (v. 419 - 422.) Jam, postquam Herculem edocuerat, quae sit, unde advenerit et qualibus acta malis et per quam, hospitio, ut ipse Hercules, ab Evandro hujusque matre Carmenta benigne excipitur et, excepta cum filio, ut videtur, vitam omnem reliquam tranquille in domo Evandri transegit. (v. 523 - 550.) Cujus cum matrem, Carmentem, vaticinantem *praeterita tanquam futura* semel jam exhibuisset, (I, 509 - 536.) artificium hoc sertans, eandem denuo Inoni roganti, futura ere resignantem h. e. praedicentem, facit VI, 535-548. Praedicta vero hujus sunt argumenti: Inonem post mortem *Deam* fore, v. 549-550, et Deam quidem *Pelagi*, v. 543, *Leucotheen* a Graecis, (v. 545. Cfr. 501.) a Romanis *Matutam* vocatum iri; Melicertam vero filium vita defunctum ipsum quoque *Ponti fore numen* (v. 543.) et in *portus* ipsi jus omne futurum esse. (v 546.) Hinc, quem Graii *Palaemona* dicturi sint, *Portunum* Deum (v. 547. Cfr. v. 550. Add. v. 501.) fore Romanis. — Quaeris, *quem in finem* omnia ista exposita sint a Poeta, *quoque nexu* cohaereant cum proposito ejusdem? — *Matralium* d. 11. Jun. a *matribus* (VI, 475.) in honorem *Matutae parentis*, h. e. matris, (v. 479 - 480.) Deae Thebanae, (v. 476. H. e. Inonis) cui eadem quondam die templa dederat Servius Tullius. (v. 479 - 480.) celebratorum sic originem, causas, ritus etc. consilio aptissime suo enarravit. — Observationes jam duas, antequam finem omni imponamus disputationi huic, subnectere liceat has: 1) Similitudinem causarum cultus Matutae Deae et Portuni Dei, utriusque tanquam *Ponti numinum in Italia*, cum causis cultus Leucothees et Palaemonis *apud Graecos* occasionem dedisse videri fabulae *de Inone cum filio e Graecia in Italiam, tempore Evandri, navi*, ut vitae periculis se naturaque sinum subduceret, *vecta*. (Sic enim mirus e sinu Corinthiaco, in quem cum filio se praecipitaverat Ino mater, ad ostia Tybridis sub mari profunde, ope Nereidum factus transitus capi posse videtur.) Nam ut *Matuta Dea*, ita et *Portunus Deus* in *indigetum* numero potius ab initio fuisse videntur. 2) Temporis in rationes non male quadrare tempus, quo per Fabulae argumentum *aequales* exhibentur sibi *Bacchus*, Cadmi, e Semele filia, nepos, *Evander* Arcas et *Hercules* Tirynthius. Nam omnium horum

vita incidisse certe putatur in spatium, quod interest annos 1306-1236. ante Christum natum. 13) Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam ex Ariadnaeo sidere nosse potes. V, 346. 14) Pars (Hyades *ab imbre* dictae, h. e. ab ὗειν) Bacchum nutrisse putat. V, 167. Cfr. v. 166. 15) Bacche — si domus illa (Thebana Cadmi, cujus filia altera Semele, *mater* tibi, altera Ino *matertera* et *educatrix* fuit.) tua est, dirige navis iter. VI, 484. (H. e. ades, et coeptis fave meis.) 16) Bacchus *Cornutus* III, 499-600: Ceperunt matrem (Ariadnes h. e. Pasiphaen) formosi *cornua* tauri; *Me tua.* (Sunt verba Ariadnes.) *item* III, 789-790: Mite pater (Bacche.) caput huc *placataque cornua* vertas; et des ingenio vela secunda meo. 17) Tandem *Bacchi* nomen per notissimam Metonymiae caussae materiei figuram pro *vino* simpl. positum legitur α) V, 264: Si bene floruerint vinea; *Bacchus erit* h. e. largus erit tali anno uvarum proventus atque adeo copia s. abundantia erit vini ipsius uberrima. β) Huc (in lucum et ad fontem montis Aventini, ubi Oraculum Fauni et Pici v. Virg. Aen. VII, 81 sqq. v. Heyne ad h. l.) venit, et fonti rex Numa mactat ovem, plenaque *odorati* disponit pocula *Bacchi.* III, 300-301: γ) Nunc dape, nunc posito mensae nituere *Lyaeo* h. e. Baccho i. e. vino. V, 521.

Baculus. Est inter insignia Jani dextra eum tenentis. I, 99. 2) Incumbens baculo, quem dextra gerebat, sistitur idem a Poeta v. 177.

Battus. 1) Rex Meliten insulae, quae nunc *Malta* est, excipit hospitio Annam, pulsam, post fata Didus sororis, domo h. e. Carthagine ab barba, Mauritaniae rege. v. III, 567-579. 2) Battus alius est ille, non cum nostro errore permutandus, qui Aristophani commemoratur in locutione proverbiali Plauti sui v. 926; quo loco Sycophantam, qui adhuc calumniis et delationibus victum sibi quaesierat, jam vero, restitutis Pluto oculorum luminibus, fontes illos vitae servandae obstructos viderat, respondentem facit, modo ad risum movendum satis idoneo, admonenti viro honesto de discenda arte meliori aliqua: Ie vel ad incitas redactum jam nolle discere quidquam, quo tibi, quo aliis prosit: οὐδ' ἄν, εἰ δοίης γέ μοι, τὸν Πλοῦτον αὐτὸν καὶ τὸ Βάττου σίλφιον. (Veniam petimus, si in vertendo loco nos moribus hominis accommodaverimus. Nam ex mente Poetae ipsius hoc foret: Nein, ich mag nun nichts anders jetzt noch lernen, und wenn du mir auch alle Schätze des Plutos und allen Teufelsdreck des Battus geben wolltest.) Jam cum τὸ σίλφιον, laserpitium, (assa foetida) cujus multus, auctore Plinio H. N. XIX, 3. jam quondam fuit usus et in culina et in medicina, patriam haberet teste eodem *regionem Cyrenaicam*, patet intelligendum esse in loco Aristoph. *Battum*, conditorem Cyrenes, urbis Africae nobilissimae non multum dissitae ab urbe orae Africae borealis maritimae, quae sub Tripolis nomine adhuc floret. De quo quidem Batto pluribus agit Herod. IV, 155. Cfr. c. 153 et 154.

Bellona. Tusco sacrata bello et d. quidem 4. Jun. (perquam ornate hoc effatur tempus Poeta, triplici usus formula L. VI, 198-200.) a quo? qua occasione? et ubi? — v. VI, 201 — 205. Ante templum, sive inter hoc et Circum Flamineum, area fuit brevis cum columella *bellica* dicta, supra quam, a Fetialibus, hasta, *belli* in regem aut gentes *praenuntia*, consuevit mitti. v. 205-208. Cfr. Not. et loc. in Not. laud. Liv. I, 32.

Bimaris, e. Effugit — Ceres filiam requirens — Adriacumque (mare) patens late, *bimaremque* Corinthum. IV, 501. Corinthus nimirum in Isthmo, quo Peloponnesi peninsula cum continenti Europa h. e. cum Attica terra nominatim (Hodie *Livadiae* pro-

vincia) continetur, sita erat. De quo quidem *Isthmo* Nostier haec habet VI, 495: „*Est spatio contracta brevi, freta bina repellit. Unaque pulsatur terra duabus aquis.*“ Quae quidem *aquae duae*, aut *freta bina*, causam continent cur Corinthus *bimaris* dicatur. Et est quidem mare alterum, orientem versus, *sinus Saronicus*, (Hodie *Golfo di Eugia*) alterum vero, occiduum solem versus, *sinus Corinthiacus* (Nostris temporibus *Golfo di Lepanto* dictus.) Quum hic mercaturae faciendae situs urbis aptissimus esset, magis quoque *duplici* portu adjuvabatur, *Cenchrearum* ad sinum Saronicum, septuaginta *stadiis*, h. e. milliaribus Germanicis duobus cum quinta et quod excurrit Milliaris ejusdem parte, a Corintho disitum, (Cfr. Schleusneri Lex. N. T. I. v. Κεγχρεαι. It. Ovid. Trist. I, 9.) *Lechaei* portu vero ad occasum s. ad sinum Corinthiacum. Caeterum ad utrumque portum emporia quoque erant condita sive oppida, iisdem distincta nominibus, quae portus habebat cujusque.

Bona Dea. Templum hujus Deae e Senatus decreto (V. 153 - 154.) exstructum in saxo, quod bona erat pars montis Aventini (ibd. v. 149 - 153. Cfr. IV, 816) et a virgine casta *e Clausorum genere* quondam *ipsis Kalendis Majis* dedicatum erat. Hinc opportunitas Poetae oblata est loci de hoc templo libro quinto inferendi inde a v. 148 - 158.) Restitutum seu instauratum est a *Livia*, uxore Octaviani Augusti. v. V, 155 - 156. *Viri ab accessu legibus prohibebantur* (v. 153.) De Dea ipsa agit illustr. Op. Edit. in Not. ad v. 148. De omnibus, quae ad cultum Deae pertinuerint, agentem laudat Ernest. in Clav. Cic. Broukhous. ad Tibull. p. 124 - 125. It. p. 133. Cfr. Cic. p. Mil. c. 5. p. Dom. 38 sqq. ad Attic. I, 13. Suet. Caes. 6. Caeterum eadem Dea *Fatuae* etiam nomen habuit et *Faunae* fuisse credita, Fauni regis Latii et post fata pastorum Dei, uxor. v. Justin. 43. 1; et, quos Scheller. laudat, Labeon. ap. Macrob. I, 12., Bassus ap. Lactant. I, 22.

Bootes, ae. ὁ Βοώτης, *ου*, bubulcus, boum agitator, impulsor. Quoties de *astro coeli* sermo est, toties cogitandum de eodem, quod alio nomine *Arctophylax* vocatur, de quo vid. Ind. s. h. v. Nomen Βοώτου referendum est ad illud Ἀμάξης plaustri, quo astrum *Ursae majoris* etiam nuncupatur. v. Not. Edit. ad II, 153. Inprimis cfr. loc. Hom. Odyss. V, 270 - 273: Αὐτὰρ ὁ (Ὀδυσσεὺς) πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως, ὕπνος οὐδὲ οἱ ὑπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἵπτατο Πλειάδας τ' ἐσορῶντι καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην, Ἄρκτον θ', ἣν καὶ Ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν etc. Est nimirum bubulcus is, qui agitat boves ita, ut regat plaustrum. Anacreon tempus eventi lepide ficti, tempus videlicet hyemis et mediae noctis per astri Bootae designatum in coelo locum ita definit Od. II: Μεσονυκτίοις περὶ ὥραις στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη κατὰ χεῖρα Βοώτου; etc. Noster occasum ejus, perperam his commemorat verbis III, 403 - 406: „*Cum croceis rorare genis, Tithonia conjux coeperit et quinta tempora lucis agat: Sive est Arctophylax sive est piger ille Bootes, mergetur, visus effugietque tuos.* Recte observat Edit. illustr. eum tum potius (D. 5. Mart.) vespere oriri. Apud nos enim illo tempore conspicitur in angulo inter Eurum et Boream ita, ut post mediam fere noctem circulum transeat meridianum, longissime a polo arctico meridiem versus remotus. Recte vero se habeant *fortasse* quae monet Poeta de occasu Bootae V, 733: *Auferat ex oculis veniens Aurora* (Scil. D. 26. Maj.) *Bootem.* Tum enim solis occidentis, ipse in occidentem vespere versus, paulisper occultatus latere potest. Caetera cur *piger* adpelletur Bootes loc. prior. v. Edit. Not. ad Met. II, 176. quo loco *tardus* vocatur.

Lago di Caſtel Gandolfo). Schol. ad Perſ. Sat. VI, 55: „Bovillae ſunt vicus *ad undecimum* lapidem Appiae viae: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam conſecratus ibi comprehenſus eſt, inde Bovillae dictae.“ Perſ. l. l. locum facit ſedem mendicorum et infimae omnino plebis hominum; ut Cic. p. Mil. 19. regionem illam omnem invidioſam et latronum plenam dicit. Cfr. not.

Briareus. Centimanus, adfuit Jovi auxilio in bello contra Titanas. v. Hom. Iliad. I, 402 - 406. Jupiter, milvi interventu, ſortem eluſit, quam parum aberat quin Briareus impleret, *quaque impleta aeternos vincere potuiſſet Deos.* III, 805 - 808. Caeterum l. l. de *ſecunda* Briarei commoratione in regno Tartari ſermo eſt. Nam evocatus a Jove cum Cotto et Gyge e Tartaro, in quem a Saturno erant detruſi (v. Heſiod. Theog. v. 618 ſqq.) Titanibusque eorum ope victis, Jupiter iisdem horum in Tartaro cuſtodiam commiſit. v. Heſiod. l. l. v. 733 ſqq. Briareo fuit etiam nomen *Aegaeon*, quod Jovem oppugnans habet apud Virg. Aeneid. X, 565 - 568. Hom. l. l. haec de duplici hoc nomine habet: ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ τε πάντες Αἰγαίων'. Neptuni erat filius, hinc et vel e poſterioris nominis notione b. Köppen, ad Hom. l. l. colligit fuiſſe eum inter numina Ponti. E nominis Βριάρεως notione, qua βριαρὸς ſit perquam robuſtus, fortis, Fabula optime illuſtrari poſſe videtur.

Brontes. Nomen unius trium Cyclopum a βροντή, tonitru, ita dictus. Candens tingere ferrum cum fratribus in mari Trinacrio i. e. Siculo narratur IV, 288.

Bruma. Per ſe eſt ſolſtitii hiberni, ſpecioſi illius, locus, per quem linea tropica Capricorni ducta eſt. Jam *diem*, quo ſol, longiſſime auſtrum verſus remotus, circulum tropicum illum Capricorni in coelo percurrere videtur, *brumam* dixere et inde principium anni conſtituere Romani, Hinc I, 163: "*Bruma noviſolis prima eſt dies, veteriſque noviſſima. Principium capiunt Phoebus et annus idem.* Cfr. de mirabili ſolſtitiorum inſtituto Socrates ap. Xenoph Memorabb. IV, 3. §. 8 - 10. Qui quidem ſuam in rem convertens inſtitutum illud facit argumentum quo oſtendat: ὡς ἐπιμελῶς οἱ θεοὶ, ὧν οἱ ἄνθρωποι δέονται, κατεσκεύακασι. Caeterum modus, quo ex obliqua axeos Telluris poſitione rem omnem omnium primus explicuit Copernicus, virum vel ſine aliis inventis digniſſimum reddidiſſet immortalitate, quam peperit nomini ſuo. Commendat enim ſe modus rei mirabilis explicandae vel ſumma ſua ſimplicitate. 2) *Feſta Bacchi, tertia quae ſolito tempore bruma refert.* I, 393 - 394. Feſta Bacchi ſunt *Antheſteria* ab Antheſterione h. e. *ſexto* anni menſe ita dicta. Incidebat vero Antheſterion in poſteriorem menſis Novembris et priorem Decembris partem. Quod convenit certe cum loco noſtro. Nam alii inducti notatione verbi, ab ἄνθος, flos, repetiti, *octavum* Antheſteriona fecerunt menſem i. u. inter Januarium et Februarium medius intereſſet. *A tertia bruma* h. e. a tertio quoque, quo repetita ſunt, anno, nomen accepere Τῶν τριετηρίδων. v. Not. *Solitum tempus* vero anni menſis, de quo diſputatum eſt, eſſe videtur.

Brutus. 1) L. Junius Brutus, ſapiens *ſtulti* imitator II, 717. Brutus adeſt; (Lucretiae ad moribundae lectum) tandemque *animo ſua nomina fallit.* Ibd. v. 837. Brutus clamore Quirites concitat — capit annua Conſul jura. v. 849 - 852. 2) (D) *Brutus.* Tum ſibi Callaico Brutus cognomen in hoſte fecit et Hispanam ſanguine tinxit humum. VI, 461 - 462. (Agit locus de D. Bruto, qui d. 9. Jun. a. U. 618. de Callaicis ſ. Gallaecis, populo Luſitaniae, inter Minium et Durium amnes victoriam reportavit

(Ergo provincia intelligenda foret Lusitaniae, quae hodie vocatur *entre Minho y Duero*. Videtur vero Hispaniarum quoque regio, vicina illi; *Gallicia* nunc dicta comprehensa fuisse.) Caet. v. Not.

Bustum. 1) Locus ubi quis mortuus ustus (s. *bustus*, a buro, unde comburo) est. Die Brandstelle od. Brandstätte des Scheiterhaufens; cum contra *rogus* et *pyra* sint lignorum strues, quibus accensis imponitur cadaver comburendum. Hinc *extinctae pyrae* II, 534; et *rogis incalescens Roma.* Ibd. v. 550. 2) Locus ubi vel combusti cineres et ossa composita latent, vel cadaver etiam defuncti non combusti in solio conditum servatur. Hinc a Curt. X 1. p. med. Cyri *sepulcrum* paulo post *bustum* adpellatur. Cic. quoque p. Dom, c. 43. vocabulum *bustum* cum vocab. *sepulcrum* commutavit. Apud nostrum *bustum* bis ita positum legitur ut sit *locus ubi combustus sepultus est: α) Bustis extisse feruntur avi.* II, 551. β) Jam tamen extincto cineri sua dona ferebant; compositique nepos *busta* piabat avi. V, 425 - 426. 3) Tandem monimentum super sepulcrum exstructum, denotat, ut ap. Cic. Tusc. V, 35: Sardanapalus incidi jussit in *busto* h. e. monimento sepulcrali. Caet. locus, in quo cadavera combusta quidem, non vero ibidem sed alibi sepulta erant, non bustum sed *ustrinum*, τῆς καύσεως τόπος, τὸ πυρκαϊκόν, vocabatur. v. Kirchmanni Libr. tert. de Funerib. Romanor. p. 203 - 206.

Buxum. 1) Pecten e buxi ligno confectum. "*Non mihi detonsos crines depectere buxo licet.*" VI, 229. (Sunt verba Flaminicae, conjugis Flaminis Dialis referentis, quae ante purgamina ex aede Vestae in Tiberim abjecta h. e. ante d. 15. Jun. facere ipsi non liceat.) 2) *Prima terebrato per rara foramina buxo, ut daret, effeci, tibia longa sonos.* VI, 697-698. (Minervae inventricis tibiae, v. 695 - 706, verba sunt ista. Caet. materia tibiarum fuit praeter buxum, aes, item arundo, porro lotum, tum cornu s. os Elephanti, et tandem lauri quoque humilis ramus excavatus, v. loc. Poliuc. IV, 71. a b. Zeunio ad Xenoph. Oeconom. I, 10. laudat. Zeunium recentiss. ejusd. libelli edit. Guil. Kuster. acerbe quidem nimis, caeteroquin recte reprehendit, quod e contextis loci verbis potuerit colligere, Socratem loqui de tibiis e saxo s. marmore factis; cum nil dicat nisi hoc: artis tibia canendi ignaro tibiam rem esse, quam possideat, aeque inutilem ac lapidem, nisi divendiderit eam.

C.

Caesareus, a, um. Caesareoque diu nomine clausus ero, de se ait Janus I, 282. H. e. diuturna dehinc pax erit. v. not. ad l. l.

Caestus. Caestibus brachia per lusus experienda dabant. v. not. ad II, 367. Virg. Aen. V, 364: evinctis adtollat (cui virtus, animusque in pectore praesens.) brachia palmis. Evinctis scil. caestu. Virtute animoque opus fuisse ad certamen cum caestu subeundum docet caestus descriptio ibd. 404 - 405: Septem boum ingentia terga plumbo ferroque rigebant insuto (Quae bubula coria loris circa brachium religabantur.)

Calathus. Ante eorum calathi lanaque mollis erat. II, 742. (Lucretiae quidem moribus oppositum exemplum, Helenam, simili tamen modo occupatam deprehendit Telemachus Odyss. IV; 120 - 136.) 2) *Haec implet lento calathos e vimine textos.* IV, 435. Syn. *canistrum* v. 451. Homero l. l. calathus est τάλαρος ὑπόκυκλος, ἀργύρεος, et cujus χείλεα χρυσῷ κεκράαντο. Νήματος vero erat ἀσκητοῖο βεβυσμένος.

Callaicus, a, um. Tum sibi Callaico (Gallaeco) Brutus cognomen in hoste fecit. VI, 461. v. Not. ad h. l. H. e. in terris, quae Portugaliae nomine hodie

nimis triſtem invenerunt celebritatem armis illuc Franco-Gallorum et Anglo-Britannorum delatis, quo *de imperio mariam totius fere globi terreſtris ab his, de continentis Europae vero ab illis ibi dimicatur.*

Calliſto, us, A patria *virgo Tegeea* II, 167; a patre *Lycaonis* adpellatur ibd. v. 173. Ipſum τῆς Καλλίστης nomen innuit, in eo quaerendam eſſe cauſſam originis lepidisſimae fabellae, quam de hac virgine relatam legimus a L. II, v. 155 – 192. Facete dictum Poetae v. 161: „*Foedera ſervaſſet, ſi non formoſa fuiſſet*" comprobat cauſſam nominis a venuſtate foeminae deducendam. Quo vero tempore factum ſit ut transferretur mythus de ipſa in urſam mutata ad nomen, longe, ut videtur, antiquius aſtri, *Urſae majoris* nomine venientis, equidem neſcio, ingenio certe Graecorum iſta debetur laus mirae artis, qua accommodarunt ſingulas fabellae partes, obviis in rerum natura viſis ita, ut haec inde explicarentur. Si quaeſiveris cur Arctophylax a tergo Arcton ſequatur, en rationem tibi redditam e fabella. Cfr. v. 190. Si reſciſcere cupiveris, cur Arctos ipſa finientem nunquam (Scil. in boreali globi terreſtris parte.) ſubeat, en aliam tibi cauſſam ſatis lepidam oblatam v. 191 - 2. Quam tamen Poetae ingenio debere videmur. Nam apud Homer. Odyſſ. V, 273 - 275 ſimpl. legitur: Ἄρκτον θ' ἣν καὶ Ἅμαξαν (v. Ind. ſ. v. Arctos et quoad *plauſtrum*, ἅμαξαν cfr. Ind. ſ. v. Bootes.) ἐπίκλησιν καλέουσιν, ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καὶ τ' Ὠρίονα δοκεύει· οἴη δ' ἄμμορος ἔστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο." Nihil igitur *de cauſſa*, cur Calliſto nunquam ſubeat lavacra Oceani, additum legimus. At Noſter: „Saevit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn, *Maenaliam tactis ne lavet Arcton aquis.*" v. l. l.

Caltha. Florum et violarum quidem nominatim ſpecies, *luteola* h. e. coloris luteo haud diſſimilis. Odoris gravis. Quinque foliorum numerum excedens. Vide loca ab Editore laudata ad IV, 436.

Camella. Vas cui lac itemque ſapa infuſa fuiſſe a paſtoribus legitur IV, 779. Commemoratur Petronio quoque 64. 135. 137.

Camenae, h. e. Muſae. Egeria grata Camenis Dea. III, 275. Juven. IV, 16: ejectis mendicat ſylva Camenis. Sacrum igitur Muſis quoque fuerat nemus Aricinum.

Camĕre, es. Ager prope Crathidis amnem purus, ad oram Italiae meridiem verſus poſitam ſitus. v. not. ad III, 582.

Camerina. Oppidum Siciliae. v. not. ad IV, 477. Adde Heyn. ad Virg. Aen. III, 700. 701. Ubi eſt: Camerina fatis nunquam conceſſa moveri.

Cancer. Octipedis brachia cancri occidunt mane ſub initium tertii Januarii diei. I, 311 - 314. (Nam recta fere linea tum ſoli orituro in coelo oppoſitum cernitur Cancri aſtrum.) Menſis contra Junii ſub finem: *Sol abit e Geminis et Cancri ſigna rubeſcunt* VI, 727. (Nam tum ſol, usque moveri in coelo viſus ab occaſu ortum verſus, efficit, ut veſpertinis ejus radiis immergantur ſtellae Cancri, qui igitur, mox abſconditus, a tergo ſolis latet unaque cum ſole et occidit et oritur.) Noſtro tempore et hoc nominatim, quem iniimus, anno (1811.) locum ſigni (Die Stelle des Zeichens vom Sternbild des Krebſes, nicht das Geſtirn des Krebſes ſelbſt) Canceris attingit ſol d. 22. Jun. M. 23. S. 42, cum rubuiſſe ſtellas jam Cancri *ipſas* noſter ajat d. 19. Jun.

Canicula. Aſtrum coeli, quod etiam *canis minor*, item *Procyon*, προκύων, *Ante-Canem* et *Antecanis* vocatur. Nomen accepit inde, quod *ante Canem majorem* oritur et occidit. Pertinere ad hoc aſtrum proprie putatur locus IV, 939 - 942: „*Eſt canis, Icarium dicunt, quo ſidere moto toſta ſitit tellus. praecipi-*

turque feges. Pro *cane fidereo* canis hic imponitur arae; etc. Cur dicatur *canis Icarius* h. e. *Maera*, v. Fab. in notis ad IV, 936. relatam. Cum vero non multum a ſemet invicem diſtent in coelo ſitu *canis major* et *minor*, quamvis in *boreali* hic, ille in *auſtrali* ſit poſitus hemiſphaerio, facile patet, cur ita errore permutentur. ut nunc *canis minor* nunc vero *canis major flagrantis culpetur aeſtus auctor*, curque nunc hic, nunc ille laud raro *Caniculae* nomen gerat. Cfr. not. laud. Qui dies nobis dicuntur, *die Hundstage*, et hinc et a *rabie* canum tum propter aeſtum ingruente dici ſic potuere. Caet. cum formula Noſtri „*praecipiturque feges*“ conferri poteſt formula Perſ. Sat. III, 5: *ſiccas inſana canicula meſſes jam dudum coquit.* [πίσσει. v. Hom. Iliad. VI, 119. H. e. maturat vi ignea. i. e. ardore ſuo.] Plin. in loco ab illuſtr. Op. Edit. ad IV, 905. laudato accurate loquutus diſertis diſtinxit verbis *Canem* et caniculam.

Canis. I. 1) In recenſu animalium, quae ab orto more ſacrificia *cruenta* offerendi Diis mactari aliud poſt aliud ſenſim coeperint (I, 349 - 456) eſt quoque *canis* v. 389 - 390: *Exta canum vidi Triviae* (h. e. Hecatae, de qua cfr. Ariſtoph. Plut. 594 - 597. E quo loco patet et ad quem docuere intpr. Athenis Triviae opulentos δεῖπνον ἐξ ὤων καὶ τυρσοῦ κατὰ μῆνα atque adeo *incruentum ſacrificium* in trivia ſ. compita προπέμψαι) *libare Sapaeos, et quicunque tuas accolit, Haeme,* (das Balkaniſche Gebürge der europ. Türkey, ubi nunc (1811.) Ruſſi et Turci de imperio decertant.) *nives.* Caet. fecerunt hoc fortaſſe; quia nocte ululatu adventum Deae ſignificare exiſtimarentur, v. Theocr. Idyl. II, 12 - 13. Cfr. Hor. Sat. I, 8, 33 — 35. 2) Apud ipſos quoque Romanos *Canis* inter ſacrificia *cruenta* fuit. Quum nimirum robiginis [ἐρυσίβης. v. Fiſch. in Ind. ad Aeſch. Socrat. d. h. v. docte agentem pluribus.] vitium priſci metuerent frugibus, idque, uti videtur, aeſtui tribuerent flagranti, cujus tempus incidebat in tempus heliace occidentium canis et caniculae ſiderum, (v. not. ad verba IV, 904: *exoriturque canis.*) h. e. in d. 25. April., propterea Noſter exponens ingenioſo modo *de ſacris Robiginis Deae* (IV, 901-942) ait, ſe oculis ſuis a Flamine Quirinali in luco Deae vidiſſe dari „*Tura focis vinumque fibrasque bidentis, turpiaque obſcaenae exta canis*“ v. 935-936. Cauſſam rei modo relatam ſubjunxiſſe Flamen ipſe fingitur a Poeta v. 937 - 942. II. 1) Recenſus virtutum canis inprimis domeſtici. V, 136 - 141: (Cur recenſeantur docet locus ipſe.) „*At canis ante pedes* (Laris praeſtitis), *ſaxo fabricatus eodem, ſtabat, Quae ſtandi cum Lare cauſſa fuit? Servat uterque domum, domino quoque fidelis uterque. Compita grata Deo: Compita grata cani. Exagitant et Lar et turba Diana* (h. e. propr. canes venatici: H. l. canes potius domeſtici.) *fures; pervigilantque canes.*“ 2) Inter preces a paſtoribus ad Palen, Deam paſtoritiam, mittendas Palilium die h. e. die 21. April. Poeta apte jubet eſſe et has, IV, 763 - 764: „Pelle (Dea!) morbos. Valeant hominesque gregesque: *et valeant vigiles, providа turba, canes.*“ 3) Jam color unus ineſt rebus, tenebrisque teguntur omnia: *jam vigiles conticuere canes.*“ IV, 489 - 490. (Agit locus de Cerere filiam a Plutone raptam per omnes Siciliae angulos quaerente, et a quaerendo ne poſt mediam quidem noctem deſiſtente.) 4) „Nox ubi jam media eſt, ſomnoque ſilentia praebet; *et canis et variae conticuiſtis aves* etc. V, 429 - 430. (ineſt loco ſimpliciter nota temporis, quo inde a d. 9. Maj. per triduum ritibus placare ſuperſtitioſis ſtuderint Romani Lemures ſ. Manes ſ. animas ſilentium; ſimulque

efficere illis ritibus conati sint, ut tectis exirent paternis. v. omn. loc. V, 419 - 492.) III) Canes Scyllae fabulosi: „*Effugit* (Ceres) — *et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes.*“ IV, 499 - 500. Nisaei canes h. e. simpl. Scyllam *Nisi* Megarensium regis, e Nostri sententia *filiam*. Observant vero, non hujus sed Phorci filiam monstrosam fuisse canibus, qui inguini cum subessent puellae, laceraverint nautas Ulyssis. V. Virg. Eclog. VI, 74-77, ibique illustr. Heyne. Item Hom. Odyss. XII, 108 - 110. 124 - 227. Inprimis vero a. v. 222-260. Cfr. de natura loci qualis hodie, fretum Siculum, inter Scyllam et Charybdim, trajicientibus, appareat, celeb. Bartels Briefe üb. Calabr. I, p. 398, et üb. Sicil. p. 66 - 69. IV) Astrum. s. signum coeleste, cujus stella omnium globi coelestis mitidissima *Sirius* vocatur et *in ore canis* posita cernitur. Unde hoc sidus acceperit nomen edocet nos Homerus Iliad. Rhapsl. X. v. 25 - 30: Τὸν [Ἀχιλλέα] δ' ὁ γέρων Πρίαμος πρῶτος ἴδεν ἀφθαλμοῖσι, παμφαίνονθ' ὥστ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο, ὃς ᾠὰ τ' ὀπώρης εἶσιν· ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ· ὃν τε Κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι· λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἔστι, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι· — ὣς τοῦ [Ἀχιλλῆος] χαλκὸς ἔλαμπε περὶ στήθεσσι θέοντος. Patet igitur *canem* et haud dubie *canículam* quoque dicta esse Homeri certe tempore sidera ista, quod sint veluti *canes venatici* Orionis. Distant a polo arctico 1) Orion 82°, 38′, 27″. 2) Procyon s. Canicula 84°, 16′, 34″. 3) Canis et nominatim stella Sirii 106°, 27′, 4″. A nostro *bis* commemoratur *ortus canis* et *bis* legitur additum epitheton, quod, cum ad unam eandemque fabulam referendum sit, *proprie* de Maera s. Procyone cogitare jubeat, h. e. non de cane majore, sed minore. At cum insciția lapsus sit Poeta ita, ut ortum commemoraverit canis die, quo occasus heliacus ponendus erat, facilius condonari eidem error poterit, quo cani *majori* epitheta adjunxit, quae ad *minorem* pertinerent. Nam nec discrimen spatii, quo a se distant in coelo, magnum est, nec discrimen temporis, quo oriuntur et occidunt, i. u. ratione *effectus* utrique recte tribui pollit *idem*, i. e. πυρετὸς igneus ardor, qui in Graecia et Italia a tempore, quo coeperunt immergi et emergi e radiis Solis (d. 25. Apr. et d. 23. Maj. v. IV, 904. V, 723.) flagrantissimus esse solet. Jam loca ipsa videbimus. 1) „*Sex ubi, quae restant, luces Aprilis habebit — signaque dant imbres, exoriturque canis.*“ IV, 904. E notis ad l. l. discces certatim monuisse interpretes non oriri sed *occidere* tum canem. 2) „*Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto tosta sitit tellus, praecipiturque seges. Pro cane sidereo canis hic imponitur arae, et quare pereat, nil nisi nomen habet.*“ IV, 939 - 942. Cfr. Ind. s. v. *canicula*. 3) „*Nocte sequente diem canis Erigoneius exit. Est alto signi reddita caussa loco.*“ V, 723 - 724. Locus, ubi reddidit caussam signi, non extat. Nam IV, 937 - 942, redditur caussa, cur canis Robigalium die mactetur. Reddidit vero *caussam signi* et cur nominatim *Icarium* et *Erigoneium* dicatur, illustr. Edit. ex Hygino et Apollodoro ad l. IV, v. 936. De tempore orti canis alias adfert, aliorum auctorum, sententias illustr. Voss. ad vers. Virg. Georg. II, 353: „Jamque reperti (vinitores), qui (virgulta vinearum sata) saxo super atque ingentis pondere testae urguerent: hoc effusos munimen ad imbres; *hoc ubi hiulca siti findit Canis aestifer arva.*“ Ait enim: „Der *Hundsstern* od. Sirius ging nach Plinius den 18. Julius; nach Varro u. Columella den 25. od. 26.

Julius auf.“ De ejusdem occasu idem ad verba Georg. I, 217 - 218: Candidus auratis aperit quum cornibus annum Taurus, et *adverso cedens Canis occidit astro* etc. — “ In den Stier trat nach Columella die Sonne den 17. April; und *der grosse Hund*, welcher nach Plinius vom 26 - 29. April, nach Columella am 30. April Abends mit der Sonne unterging, war schon einige Tage vorher in den westlichen Sonnenstrahlen versteckt od. heliakisch untergegangen.“

Canistrum. Inter vasa, quibus continentur, quae sacra facientium usui inserviunt, v. c. fruges, mola salsa. Est Homeri τὸ κάνεον, e quo sacrificantes τὰς οὐλοχύτας ἀνέλοντο. (Iliad. A, v. 449.) Cfr. Schol. Gr. excerpt. a Müllero in Edit. s. huj. Rhapsod.) καὶ προβάλοντο. (v. l. l. v. 458. Cfr. Köpp. ad v. 449. Noster rusticorum sacra, Terminalium die sub dio instituta describens IV, 639-685. habet et has picturae rei partes v. 650: *Stat puer* (ad aram subitariam) *et manibus lata canistra tenet*. 2) De Persephones s. Proserpinae raptae comitibus IV, 451 - 452: *At chorus aequalis cumulatis Flore canistris, Persephone, clamant, ad tua dona, veni!* Eadem canistra *calathos e vimine textos* dixerat v. 435. Ταλάρους πλέκτους. v. Odyss. IX, 247.

Capella. Syn. *Capra*. Hujus astri Kalendis Majis exorti mentio fit V, 111 - 112. *Signum pluviale* appellatur v. 113. Atque hac jam mentionis ejus occasione narratio *inserta legitur de Jove* beneficio lactis hujus Capellae in Ida Cretae monte nutrito. v. 115 - 128. Quod beneficium acceptum ita remuneratus sit, ut capellam ipsam *cum duobus hoedis*, (quorum tamen v. 117. ita memoriam recolit, ut nihil addat de iisdem inter sidera relatis) et ejusdem cornu, de dominae nomine *Amalthea* dictum, sidera faceret. v. 126 et 127.

Capena porta. 1) *Ipsa* (Claudia Quinta, castitatis morum nacta testimonium a Cybele, Deorum matre, praeclarissimum) *sedens plaustro porta est invecta Capena*. IV, 345. 2) *Est aqua Mercurii, Portae vicina Capenae*. Etc. V, 673 - 690. (Nam et lustrationis ritus et preces mercatorum ad illum locum pertinere videntur. 3) *Lux eadem Marti festa est; quem prospicit extra appositum tectae porta Capena viae*. VI, 191 - 192. (H. e. Extra portam Capenam, at ita, ut inde prospici posset, Kal. Jun. templum quondam Marti dedicatum est. v. de h. l. vexatissimo not. Intpr. celeb.) — Nostris temporibus haec porta quondam celeberrima *a divo Sebastiano* nomen habet, nec potest non omnium maxume frequentata fuisse videri, cum in austrum vergens subeunda et transeunda esset ab omnibus, qui vel in meridiem immo occasum versus sitas orbis romani partes profecturi erant, vel inde Romam ibant revertebanturque. Appia via uno tenore inde a Porta Capena ad Brundisium continuata commodissimum reddebat hoc iter, quod jucundissima lecta Satira Horatii, libri primi quinta testatur, quae diurna eventa, iter facientium e Roma Brundisium, et quae senserit judicaveritque illorum occasione festivissimus poeta enarrata continet. E Juven. Sat. II, 11 - 20. patet, locum a Nostro L. III, 263-275. descriptum h. e. Egeriae *vallem*. (Aricinam nostro dictam) *lucum*, (qui nunc *nemus* nunc *sylva*, quoque adpellatur) *lacum*, (hodie *Laco de Nemi* dictum) *fontem*; *speluncam*, *rivum*, statim ex Urbe per portam Capenam egressis ante oculos fuisse. Contulisse cum his haud poenitebit verba foeminae illustris in excerptis ex itineris sui diurnis, quae Romam spectant (m. s. Wielands deutsch. Merk. im März- u. Junius-Stück v. 1799.): Nahe bei dem Capenischen Thor, jezt *San Sebas-*

ſtiano, ſteht der Triumphbogen des Druſus, Bruders des Tiberius. Etwas entfernt ziert das ſchöne Grabmal, der runde Thurm der Cecilia Metella, *die Ebne* und *eine halbe Miglia davon erheben ſich die kleinen grün bebüſchten Hügel, unter denen die Quelle Egeria hervor kömmt.* Cfr. Rammler ad Martial. T. II, p. 142. Ante portam Capenam corruerat, icta a fratre, Horatia, cujus parricidii duplex extabat Livii adhuc tempore monumentum, alterum *ſororium tigillum*, alterum vero *Horatiae ſepulcrum* ſaxo quadrato conſtructum. v. Liv. I, 26, §. 2. et §. 13 - 14. *Clivus* autem *Virbi*, ad quem pertinent loca Faſt. III, 265. (v. not.) et VI, 737 - 756, Scholiaſta ad Perſ. Sat. VI, v. 56. auctore, quatuor millibus (h. e. 1 1/2 St. 6 Minut. Diſſentit Mart. Epigr. XI, 65, 66) ab Urbe atque adeo a porta erat Capena, qua, idem addit Scholiaſta, iter eſt ad Ariciam et ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur. Aricia vero media fere interjacebat inter Forum Appii (unde per paludes Pontinas lintre navigandum erat viatoribus. v. Horat. Sat. laud. a v. 3 et 4. iterumque a v. 11 - 23. quo et ad *tres Tabernas*, nullo alias commemoratas loco, Paulo Apoſtolo Chriſtiani obvii e Roma erant facti, v. Act. App. XXVIII, 15.) et Romam Urbem; Spatium vero viae inter Romam et Appi forum iter unius diei ſeu *iter unum* altius praecinctis fuit, auctore Horat. l. l. Clodius quidem *pridie* (v. Cic. Orat. p. Milon. Cap. 10.) Roma *Ariciam* (v. Cap. 19.) profectus ut poſtero die inde rediens adoriretur in via Appia Milonem; at e nexu Orationis facile colliges, commodiſſime uno eodemque die viatores Ariciam pervenire Romamque redire potuiſſe. Jam propius ab Urbe inter Ariciam et Romam erant *Bovillae*, Clodii caede infames. Quae in Faſtorum quoque Noſtri L. III, 667, commemorantur. v. de his notat. ad l. l. Juxta viam Appiam Bovillas inter et Romam, interque adeo, de qua h. l. ſermo eſt, portam, fundus erat Clodii (v. C. 10), in quo propter inſanas ſubſtructiones, (Cap. 20), quibus extollebat fundi aedes Clodius, die caedis facile mille hominum valentium occupatos fuiſſe Cicero adfirmat l. l. Quanta viatorum turba usque triverit Appiam viam, conjectura facilis eſt e verbis Horat. in Sat. laud. v. 4: „Forum Appi, differtum nautis, cauponibus atque malignis.“ It. v. 12: Trecentos inſeris! ohe! jam ſatis eſt. Hinc ubique juxta hanc viam *tabernae*, ut *tres* Pauli (Act. 28, 15.) i. e. cauponae, villae, fundi oppida. Hinc vero etiam regio ante portam Capenam, v. c. Bovillae et Clivus Virbi, 1) *ſedes numeroſiſſimae turbae mendicorum.* v. Martial. Epigr. XII, 32. Ad quem loc. b. Ramler: (T. V. 119.) Hier hielten ſich die meiſten Bettler auf. Al. loc. *migrare clivum crederes Aricinum*, h. e. omnem mendicorum turbam. Cfr. Juv. Sat. II, 16. IV, 117. Perſ. VI, 55 - 56. 2) E Cic. Orat. p. Mil. diſcimus (c. 19.) *inſidioſum et plenum latronum locum* fuiſſe. It. paulo poſt, locum eundem ipſum adpellat *latronum occultatorem et receptatorem locum.* — Topographiae regionis huic portae adjacentis ſatis memorabili haec pauca ex parte repetita conſulant. Extra hanc portam fuerunt: α) Templum Martis, quod adſtantibus Portae ante oculos fuit, quoque ſemita duxit aut recta, aut tecta. VI, 191 - 192. v. Not. β) Templum Tempeſtatis. v. Not. ad VI, 193. γ) Via Appia. δ) Via Latina, in via Appia suntibus a ſiniſtra poſita, initium capiens prope a Porta Capena. v. Not. ad l. 1. ε) Aqua Mercurii V, 673. ζ) luturnae Nymphae fluvius et lacus haud procul ab Albano monte. v. Not. ad I, 463.

Caper, *i.* Nunc idem eſt qui

hircus, nunc vero exfectus hircus ita dicitur. Pro priori fignificatione ftat v. c. locus Virg. Ecl. VII, 7: „Vir gregis ipfe caper. Poſterior obtinet ap. Martial. III, 24. Gell. IX, 9. et obtinere videtur ap. Noſt. II, 441. v. not. 2) Folia pampinorum ſeu palmitum vitium cum ſint in deliciis capri et ipfe ea cum pampinis rodat et decerpat, poenas luere hujus criminis Baccho vita cogebatur, caeſus ad aram in honorem Bacchi. v. loc. I, 363 - 61.

Capitolium. Primum denotat partem montis Tarpeji ſimpliciter (v. Liv. I, 10. Quo loco verba: *Romulus in Capitolium aſcendit* aliter accipi non poſſunt.) deinde templum Jovis Capitolini, monti Tarpejo inaedificatum. (v. Liv. I, 55.)" *Voverat Tarquinius Priſcus rex.* [Liv. I, 38: aream ad aedem in Capitolio Jovis, quam voverat bello Sabino, — occupat fundamentis.] — *Mox Servius Tullius, ſocionum ſtudio; deinde Tarquinius Superbus, capta Sueſſa Pometia, hoſtium ſpoliis, exſtruxere. Sed gloria operis libertati reſervata.* Et q. ſ. r. v. loc. claſſ. Tacit. Hiſt. III, 72, qui breviter, fata quae fuerint templi, usque ad Vitellii tempora, exponit. Copioſior eſt Liv. in enarrandis Tarquinii Superbi curis perficiendi, quod pater voverat, templi. v. I, 55 - 56. Quo cum loco locus Noſtri jungendus eſt II, 667: *Quid nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum cuncta Jovi ceſſit turba, locumque dedit. Terminus — reſtitit; et magno cum Jove templa tenet. Nunc quoque, ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat, exiguum templi tecta foramen habent.*" Cfr. Not. ad l. l. Quae vero ea continentur, pleraque ad Tarquinium Superbum referri debent, (v. Liv. loc. l, 55. in Not. laud.) exceptis primis verbis. „L. *Tarq. Priſcus — voluit,*" quae deſumta ſunt e Liv. I, 38 extr. e loco in Nota ipſo quoque laudato. Ad loci naturam cognoſcendam faciunt inprimis verba Tacit. Hiſt. III, 71: „ *Tum diverſos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum aſyli* (h. e. loco inter arcem et Capitolium. v. Not. ad Faſtor. III, 430.) *et qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Cfr. Not. ad Noſtri Faſt. I, 638. De centum gradibus iſtis haud dubie verba, quoque Noſtri accipi debent I, 263 - 265: *Inde, velut nunc eſt — arduus — per quem deſcenditis, — in valles et fora clivus erat.* De arcis Tarpejae et Capitolii diſcrimine v. Not. ad II, 70 et loc. in not. laud. De adſcenſu Conſulum deſignatorum in Capitolium ſolenni ipſ. Kal. Januar. inſtituto, ſacrisque Jovi factis. v. loc. memorab. I, 75 - 88. In monte Tarpejo omnes fere Dii multis templis et aris colebantur. Hinc VI, 367 - 368: *At ſi reſpicerent,* (Romani) *qua vos habitatis in arce, totque domos veſtras* (Deorum) *obſidione premi* (a Gallis) etc. Cfr. omnino omnis locus a. v. 349 - 394. Item I, 453 - 454: *Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.* Jam liceat addere hoc: aedificia magnifica, quae noſtro tempore Romae exſtructa conſpiciuntur in loco, ubi quondam Capitolium ſteterat conditum quaeque nunc dicuntur *il Campidoglio*, recentioribus temporibus a pictore et architecto nobiliſſimo *Michaelo Angelo* aedificata eſſe. Quod vero *altitudinem montis Tarpeji hodiernam* attinet, nuper accepi ex ore nobilis viri ab expeditione Calabrica Joachimi, regis Neapolitanorum, anno 1810. ſuſcepta, Berolinum redeuntis, eam temporum eventis ita deminutam eſſe ruderum ruinarumque mole, ut vel pedibus deſilire inde ſuſurrus fuiſſet, ſi res ita tuliſſet.

Capitolinus. Manlius, — qui Gallica quondam *a Capitolino repulit arma Jove.* VI, 186. Idem alia formula *Defenſor ſo-*

lii Jovis vocatur. Quo, quae quondam merita M. Manlii Capitolini fuerant, *majora* viderentur, ea a parte *religionis defensae* spectavit. Nam condolere lectores quoque tanto magis vicem talis viri voluit, qui damnatus crimine regni (v. 189.) tandem occiderat.

Capra. Stat quoque Capra simul III, 443 - 444. Sermo est l. l. de simulacro caprae, quae Jovi infanti lac fugendum praebuerat suum, hinc: *officiosa in cunas* Jovis. V, 112. It. *nutrix* Jovis. Eod. libr. V, 120 et 126.) ita ut propterea in templo Vejovis juxta Vejovem h. e. ejus statuam staret. Caprae domina (ibd. v. 127. Cfr. v. 117.) erat Amalthea Nais, f. Nymphe (Cfr. Ind. f. v. *Cretis.*) quae occuluit non modo in silvis Jovem, (Ibd. v. 116.) sed Capellae (v. h. Caprae Synon. v. 113.) lacte ut nutriretur instituit quoque. Jupiter in solio sedens paterno praemia dati lactis *capellae cum hoedis suis* (V, 117.) coelum dedit h. e. sidera ut essent fecit. v. 127. Cfr. not. ad 111. Signum ejus *pluviale* vocatur v. 113.

Caprea palus. Campi Martii locus, ubi Romulus periit. v. not. ad II, 491. Liv. I, 16. „*Caprae paludem*" dixit. Plutarch. *αἰγὸς ἢ χοιρὸς* h. e. *δορκὸς* f. *δορκάδος ἕλος.* v. Not. Caet. loca II, 491 - 512; Item II, 195-242, et II, 685 - 852, ut et alia praeterea, ita comparata sunt ut, si ea contuleris cum Livii locis eadem enarrantibus, non possis non in animum tibi induxisse ante oculos jam habuisse Nostrum Livii Historiarum volumina, eorumque narrationes mutando, ut Poeta tamen, expressisse.

Capricornus. Solstitii hiberni signum. „Capricornum Phoebus reliquisse perhibetur. D. XVI. Kal. Febr. h. e. die 17. Mens. Januar. v. I, 651. In talibus exactius nunc computatis olim nondum ratio satis sibi constitit. Caet. propter procellosas tempestates, quibus medio hieme, h. e. dum sol medius interest inter Capricorni astrum et erraticam Terrae stellam, agitantur maria hemisphaerii borealis, ab Horat. Capricornus *hesperiae* vocatur *tyrannus undae.* v. Od. II, XVII, 19 - 20.

Capta Minervae. Sub hoc nomine parva habebat Romae delubra Pallas. III, 838. Varias cognominis causas attulit Poeta a v. 839 - 846.

Caricus, a. um. H. q. ad Cariam Asiae minoris provinciam ulla ratione spectans. Hinc *Carica rugosa* est ficus in Caria nata. I, 185. Inter bellaria fuit dono data Kal. Jani h. e. inter strenas. Eine eingeschrumpfte d. i. trockne Feige.

Caristia. Sensibus pietatis erga suos tenerrimis alte fuisse imbutum Poetae nostri animum docere videtur vehementior ejusdem commotio, qua tactus nobilem festi Caristiorum diei locum pertractavit a L. II, v. 617 - 838. Docet vero, primum Poeta, unde nomen acceperint. v. 617. *Efficitur inde* veras quoque, at sanguinis vinculo junctorum tantum, fuisse *ἀγάπας*, prudentillimo institutas quondam consilio.) Deinde ostendit: quae fuerit eorum celebrandorum ratio. (Cfr. modo dicta.) v. 618. Tum exponit causam: cur tristia dierum feralium solennia statim subsequuta sit laeta Caristiorum dies. v. 619 - 621. (Dies hic fuit 19. Febr.) Sequitur porro omnium, qui fuerint sintve impio in cognatos caros animo et (quod additum loco v. 630. mireris) omnium, qui per scelus augeant opes, obtestatio, velint, quam potuerint, longissime abesse a sociis, mutua caritate et concordia junctorum consanguineorum, epulis, cum non innocui venturi sint. v. 623 - 630. Tandem commendatio additur a Poeta pietatis adversus: 1) Deos bonos, Concordiam nominatim et Lares, hac die signis externis declarandae. 2) Item commendatio, sub conviviorum finem, ex

iisque discessum, significationis pietatis erga Patriae patrem h. e. Augustum precibus piis faciendae. A. v. 631 - 638.

Carmenta, ae; item *Carmentis, is.* Evandri Arcadis mater, qui sanguine hujus nobilior, quam patris fuisse narratur I, 471 - 2. (Livius idem ait I. 7, §. 8.) Cfr. not. Nomen habuit a *carmine* ductum. v. 467. Nam ore dabat vero carmina, plena Dei h. e. fatidica erat. v. 474 coll. 473. Civium exorto motu deserit fugata cum filio Arcadiam. v. 475 - 478. Firmat mentem filii juvenis flentis selectissimis solatii argumentis a v. 479 - 497. Navi (aliis: *classe*) profecta cursum cum filio tenuit in Hesperiam h. e. Italiam. v. 498. Ostia Tiberina nacti Evander, monitu matris rate in amnem acta, obvius ivit hujus aquis substititque in loco ripae dextrae, ubi tum quidem sparsae per loca sola casae erant, postea vero Campus Martius fuit. v. 499 - 508. Qua regione conspecta, collibusque (v. 515.) (seu montibus v. 517.), quibus olim Roma ingens superstruenda erat, quis non aptissimam et maxime rei accommodatam in Fatidica futurorum eventuum praescia insaniam agnoscet, qua ἐνθουσιασμὸν immissis capillis, torva, tendens brachia in illum perquam exigui quidem ambitus at omnium maxume mirabilem globi terrestris angulum sistitur, prae impatientia, feriens pede texta navis, vix retenta fuisse, quo minus e puppi navis in terram desiliret. Qualium quantorumque vero inde ex Ovidii tempore ad haec fere nostra tempora extitit hic idem locus rerum commutationum auctor et quales quantasque non ipse expertus est? Potuissent et haec Fatidicam *μανομένην* reddere. — Jam e longinquo Carmenta salutat Deos locorum ipsamque terram, utque laetis sub ominibus escensum faciat cum filio in eandem precatur. I, 309 - 514. Tum debinc vaticinatur *futuram Romae magnitudinem* v. 515 - 528. Sic, quo tetendit, pervenit Poeta, dum transire tandem eam jubet ad vaticinia de futura *Domus Augustae magnitudine*, insertis inprimis dictis in laudem Tiberii, quibus se eidem haud dubie commendatum cuperet. I, 529 - 536. Sensui convenienter ape substitisse in canendis rebus futuris, *commemorato Tiberio et Julia, sive Livia matre*, fingitur Carmenta. Quo facto egressus Evander navi in terram, sedem ibi fixit et mox potentior ceteris accolis evasit. v. 539 - 542. Carmenta vero mater, felix vates, quis Diis gratissima vixit, consecrata est et possedit Dea diem tertium. Id. menlis Jani, (v. 584-585.) h. e. die Januarii undecima sacra ei a pontificibus (v. 462.) facta, eaque *Carmentalia* appellata sunt. v. not. ad 461; Quae quidem eadem tertia post Idus Jani die (v. 617.) repetita sunt pro pueris pariter virginibusque. v. 627 - 8.) Carissam retulit ante v. 619 - 626. Caeterum Carmenta appellatur nunc *Arcadia Dea*, I, 462, (quod igitur non est, quae ab Arcadibus culta sit, sed quae quondam ex Arcadia in Italiam venit et hic post fata inter Deas relata est.) nunc *Dea Parrhasia* v. 618, nunc denique *Tegeea parens* v. 627. et *Tegeea sacerdos* VI, 531. Tandem *Maenalis Nympha* (al. Diva) I, 634, cujus sorores vel fugae certe comites fuerint *Porrima* et *Postverta*. Ibd. 633. (Quae quidem *duo Carmentes* a Varr. ap. Gell. N. A. XVI, 16. nominantur.) Aliud ejusdem Carmentae vaticinium legitur VI, 537 - 548. Postquam nimirum Ino, Cadmi filia, Semeles soror et matertea Bacchi a Junone ombus vexata malis, quia Bacchum educaverat, tandem miro modo in Italiam delata erat, (VI, 473-572.) hospita tempore, quo Hercules ex Hispania reversus hospes ab Evandro exceptus erat, Carmentis ipsa quoque fidos intrasse penates narratur. (VI, 529-530.) Tandem haec eadem Carmenta rogata resignat Inoni venientia

fata; fore nimirum, ut ipsa a Graecis sub nomine *Leucothees*, a Romanis vero nomen *Matutae* nacta, colatur ut *numen Pelagi*; filium vero Melicertam *Portunum* Romanis, *Palaemona* Graecis dictum iri, cui *in portus* jus omne futurum sit.

Carmentalis, e. Carmentam Deam ulla ratione spectans aut quidquid ullo modo ad eam pertinet et referri potest. Hinc. 1) *Porta Carmentalis* a Carmenta ita dicta. v. Ind. s. v. *Carmentis*. 2) Flamen *Carmentalis*, h. e. sacerdos Carmentae proprius, a Cic. commemoratur in Bruto XIV. 3) *Carmentalia*, scil. sacra, sive solleunnia. Quorum memorabilia a Nostro L. I, a v. 461-586. propterea pertractantur, quia d. 17. Januar. celebrari solebant. Ipse Poeta ea vocat: *Arcadiae sacrum pontificale Deae* (v. 462.) Eadem d. 15. Januar. repetita dicuntur *Parrhasiae sacra relata Deae*. v. I, 618. Caeterum *pro pueris* parte atque *pro virginibus* Carmentalia instituta fuisse patet e v. 627 - 628. 3) De tempore, quo instituta sint v. not. ad I, 461. 4) De ara Deae ad radices Capitolii, sub porta Carmentis v. ibd. Reliqua, vide sis s. v. Carmentis.

Carmentis, *is*. *Porta Carmentis*. II, 201. Apud Liv. Lib. II, 49, quem noster, l. l. paene ad verbum expressit, ea *porta Carmentalis* vocatur. Septentrioni obversa fuerit necesse est. Nam Fabii egressi per eam Tiberim trajecerunt, cum Cremera, ubi occubuere, fluvius esset Etruriae, haud longe a Vejis, et hostes victores Janiculum deinde occuparent, indeque transirent Tiberim h. e. in ripam fluminis australem. v. Liv. II, 51.

Carna. Pertinent ad hanc Deam *indigenam*, eamque *antiquissimam*, (VI, 171.) Romanorum, cum Jano haud dubie eiusdem aevi, ita ut res ulla aliqua facta lateat sub iis, quae in Libro sexto a v. 101 - 182. literis demandata leguntur. 1) Prima Junii mensis dies huic Deae dari solita. VI, 101. Cfr. v. 169. It. v. 181 - 182. 2) *Granen* dixere Carnan priores. VI, 107 et v. 131. Nympha fuit lucus Helerni haud procul a Tibridis ripa disiti. v. 105 - 107. *Venatrix*. 109 - 112. Arte eludit procos, quibus difficilis fuit; 108 et 113 - 118. A Jano visae cupidine capto irrita puellae eludendi et ipsum conamina redduntur. VI, 119-216. *Cardinis* est Dea; h. e. numine clausa aperit suo, clauditque aperta. VI, 101 - 102. *Jus* hoc *cardinis* pretium positae virginitatis habet a Jano. VI, 128 - 129. Cernebatur hoc jus in prohibendis aut averruncandis a postibus, liminibus, omninoque ab aditu aedium omnibus, quae noxia aut essent, aut fieri possent. v. 155 - 157. Insigne muneris adjunxerat Janus *virgam*, (De qua vide not. ad v. 129.) de spina alba, (aus Weissdorn) *Janalem* hinc Nostro, nomine novo, dictam. v. 165. Virga vero Janalis ista hanc a Jano praecipue adjunctam habebat vim, *ut tristes pellere posset a foribus noxas*. v. 129 - 130. Cfr. loc. laud. v. 156 - 157. Sequitur narratio de strigibus et de Proca recens nato, postea Albanorum rege et Numitoris quidem praedecessore, (IV, 52.) a strigibus pectoris sanguinem exsorbentibus paene necato; a v. 131 - 168. Narratio haec, ut *exemplum* in usum collocati a Carna Dea accepti per Janum doni *primum*, hac arte inserta est a Poeta ut egregie variaret simul, uberioremque redderet locum de hac Dea per se jejunum et tenuem. Inter *ritus* sacrorum in honorem Carnae Deae *Kal. Jun.* celebratorum, commemorantur epulae sacrificales tenues, quae pinguibus lardis (v. 169.) et mixtis cum calido farre fabis (v. 170. Cfr. v. 180.) constiterint. Ex opinione superstitiosa *e viscerum malis* sic sibi cavebant. (v. 182.) *Caussa* vero, cur adquieverit Dea in sacrificio tenui, ad frugalitatem, cui

remotiſſimis vitae temporibus adſueverit, refertur VI, 169 - 172. Per hujus cauſſae redditae opportunitatem viam ſibi munivit ad notandam ſui temporis luxurioſorum gulonum inſanam, edulia maxume inſolita liguriendi, aviditatem. (A v. 172 - 178.)

Carſeoli, orum. Latii oppidum. De ſitu loci v. not. ad IV, 685. De natura vero terrae Carſeolanae ſ. agrorum Carſeolanorum v. ipſ. Poet. l. l. Lex Carſeolana de vulpibus necandis. Ibd. v. 710. Eſt haud dubie in opere, multiplici narrationum varietate conſpicuo, inter artificia modi rerum proponendarum illud haud contemnendum, ſi Poeta ſemet ipſe interponat interdum, ita ut occaſione commercii ſermonum cum aliis hos fingat exponentes, quod re vera ipſe expoſuit. Amavit hoc facere Noſter ſaepiſſime, ut l. l. h. e. IV, 683 - 712. It. IV, 377 - 386. It. v. 905 - 942. etc.

Caſia. IV, 440. Celeb. Voſſ. vertit: *Zeiland.* Virg. Georg. II, 213, ubi *humilis* appellatur. Addit idem ille in notis: Es iſt der italiſche Zeiland, ein Verwandter unſers früh blühenden Pfefferbaums. Des Linnée Daphne Cnidium. Vergl. Georg. IV, 30. Flos apibus gratus. Ibd. Perſ. in Sat. IV, 39. Caſiam inter odoras easque pretioſas recenſet res, quae dari ſoleant urnae, ſive quae habeat teſta (v. Noſtr. II, 540.), cui oſſa combuſtorum demandentur. Cfr. Plin. H. N. XII, 19.

Cecropides, ae. Sic venit [Ceres errans] ad portus, Attica terra, tuos. Hic primum ſedit gelido maeſtiſſima ſaxo. Illud *Cetropidae* nunc quoque triſte vocant. IV, 503 - 504. Cecropidae a conditore civitatis ſuae, Cecrope Aegyptio, Athenienſes vocantur. Sic Romanos *Romulidas* a Romulo dixit Perſ. Sat. I, 31, cum ſummi vero contemtus ſignificatione, ita ut inſit hoc: illi Romulo conditore civitatis ſuae, indigniſſimi homines.

Celer. Unus e ſociis Romuli et praefectus operi fundamentum Urbi jaciendorum nominatimque muro exſtruendo IV, 836 - 8. v. Not. Rutro Remum, tranſilientem murum, neci dedit *juſſa Romuli ſervans,* 839 - 44. Hinc Ovidius V, 479, innuere videtur impunitum manſiſſe Celerem, quamquam Remi manes poſtulaverint, ut et ipſe *ſub terras ſanguinolentus* iret, 470. Feſtum vero, quod petierat anima Remi, v. 474, in honorem fratris inſtituiſſe, *Remuria* dictum. v. 479. Caet. Liv. I, VII, nihil de Celere habet, ſed Remum aut in turba ictum cecidiſſe ait, cum, qui a ſua parte ſteterint, certamine irarum ad caedem verſi eſſent eorum, qui ad Romulum regnum traherent; aut a Romulo ipſo, quod ludibrio ſui frater novos tranſiluerit muros, interfectum.

Celeus. V. de eo Not. ad IV, 507. Senex, Triptolemi pater. „*Quo nunc Cerealis Eleuſin, dicitur hoc* (loco) *Celei rura fuiſſe ſenis.*“ IV, 507-508. Jucundiſſima locus eſt narratio Poetae de moribus et vita hominis ſuorumque, ut de iis quoque, quae contigerint ſub tectis exiguae viri caſae, ex quo tempore Ceres raptu filiae maeſta, ſenis exorata precibus, eo deverterat. IV, 507 - 563.

Cenſura. Sic agitur Cenſura et ſic *exempla* parantur: cum vindex, *alios, quod monet, ipſe facit.* VI, 647 - 648. Sermo eſt de Caeſare Auguſto, qui Cenſor ſolo aequari juſſerat *aedes* Vedii cujusdam Pollionis *immenſas* („*Urbis opus domus una fuit: ſpatiumque tenebat, quo brevius muris oppida multa tenent.*„ v. 641 - 642.) quia *luxuria* nocere viſae ſua, quamquam heres earum ipſe ſcriptus erat.

Cenſus. „*Dat cenſus honores; cenſus amicitias: pauper ubique jacet.*“ I, 217 - 218. Cenſus l. l. pro divitiis omnino ponitur. Liv. I, 42: „*Cenſum enim inſtituit,* (Servius Tullius)

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, *sed pro habitu pecuniarum fierent.* Instituti rationem docet pluribus Cap. 43. At non inter saluberrima numerari institutа illud Servii poterat tum quoque, quo Ovidius questus est de divitiarum abusu, aut quo Juvenal. Sat. III. queritur: *Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi.* Aut Sat. ead: *De pulvino surgat equestri, cujus res legi non sufficit, et sedeant hic lenonum pueri, quocunque in fornice nati.*"

Centaurus. Astrum in hemisphaerio australi positum secundum Nostrum „*bis septem stellis*" in coelo fulget. V, 415. Secundum alios pluribus distinctum est stellis. v. Not. ad l. l. Occasione ortus hujus sideris commemorati („*Nocte minus quarta*, h. e. d. 3. Maj., *promet sua sidera*" V, 579.) narrationem Noster inseruit, a v. 379 - 414, de origine ejus v. Ind. s. v. *Chiron.*

Cera. Materia pro re e materia confecta h. e. cera, per Meton. caussae efficientis finem, pro *imaginibus e cera effictis* posita legitur, II, 591 - 592: „*Perlege dispositas generosa per atria ceras; contigerunt nulli nomina tanta viro.*" (Quanta nimirum Caesari Octaviano. De cognomine *Augusti* ad eum Idib. Jan. delato agit loc. a v. 587 - 616.) Caet. duritiem et insolentiam formulae: „*perlegere ceras*" h. e. titulos cereis imaginibus additos aut subjunctos, neminem non agnoscere posse putaverim. Qualis vero quantaque fuerit praejudicatae opinionis magnitudo apud Romanos de pretio, quod statuendum sit *antiquitati et nobilitati generis*, quamque noxia juventuti inprimis, cognosci inter alia multa loca poterit e Juv. Sat. VIII. Pers. Sat. III, 27 - 31. Hor. Sat. I, 6.

Cerealis, e. 1) „*Inde vocor Janus. Cui cum Cereale sacerdos imponit libum — modo Patulcius — modo sacrifico Clusius ore vocor.*" I, 127-130. (Epitheto *Cerealis* inest partim per metonymiam caussae notio e *frugibus molitis seu tostis et pinsitis* parati libi, partim latet notio in eodem vocabulo sacrificii *incruenti.*) 2) *Neve graves cultis Cerealia dona — depopulentur aves.* I, 683. (Cerealia dona sunt frumenti grana agris subjecta et teneras jam herbas protrudentia.) 3) *Fors sua cuique loco est. Quo nunc Cereatis Eleusin, dicitur, hoc* (loco) *Celei rura fuisse senis.* IV, 507 - 508. 4) „*Alba decent Cererem: vestes Cerealibus* (scil. solennibus aut Sacris) *albas sumite: nunc pulli vellera usus abest.* IV, 619 - 620. 5) V, 355 - 356: *Cur tamen, ut dantur Vestes Cerealibus albae sic est haec* [Flora] cultu versicolore decens? 6) Cur *Cerealibus* vulpes ardeant, (IV, 711.) seu, cur d. 19. April. *missae in Circum Maximum vinctis ardentia tedis terga ferant vulpes*, artificiose invento episodio docet Poeta a L. IV, v. 681 - 712. 7) *Aspera Robigo*, (Dea) *parcas Cerealibus horbis* h. e. surgentibus satis, quae in culmos et spicas jam abiere. IV, 911. 8) *Jaciunt Cerealia dona* VI, 391. H. e. dona Cereris, haec vero pro *panibus* de Capitolio in Gallorum stationes dejectis. 9) Cerealibus ludis, a Nostro *Cereris ludis* dictis, (IV, 393.) cum inter Circenses essent mense Aprili celebratos (Litem inter viros doctos *de die*, quo coeperint spectari et ad quem duraverint, dirimere studuit illustr. Intpr. in Not. ad IV, 389.) et inter maxume dignos, de quorum caussa, origine et ritibus copiosius ageretur, assignavit Noster bonam Libri Fastorum quarti partem. Complectitur nimirum versus ducentos et triginta. (a v. 389 - 620.) Quod restat, ut id ingenue fatear, est hoc: argumentis summe venerandi Operis Editoris inducere in mentem mi-

hi non potui ut crederem Circenſes et Cereales ludos eosdem fuiſſe. Nam cum in Pomparum Circenſium ferculis ſacra plurium Deorum ferrerentur ingreſſu tardo (v. Cic. d. Offic. I, 36.) itemque thenſis impoſita cum multorum ducerentur Deorum ſimulacra-ita, ut *Circus* propterea a Noſtro *numero Deorum celeber* dicatur, (IV, 391.) ludi Circenſes *in honorem omnium Deorum* inſtituti fuiſſe videntur. Cfr. Suet. Jul. 76. Jam vero *Ceres* nominatim, quippe quae ſanctiſſime colenda videbatur, propter beneficia maxima quibus genus ſibi obſtrinxerat humanum, (IV, 393-409.) *plures dies* ludorum Circenſium dicati haud dubie fuerunt. Vera iſta eſſe ex ipſis liquet locis e Taciti Opp. ab illuſtr. Edit. ad v. 389. laudatis. Differunt enim ibi Circenſes et Cereales, ut genus a ſpecie. Sumto hoc, eſſe haud diſſimilia veri monita, (nihil enim definio) tum haud dubie v. 393. praeterenda foret lectio *Hinc*. Reliqua v. ſ. voc. Ceres.

Ceres. I) Quum inter res memoratu dignas, quibus *menſis Aprilis* inſignis eſſet, *ad diem ejusdem ſeptimum* ludi Circenſes, nominatimque *Circenſes Cereales* Poetae commemorandi eſſent, exoraturus loeum de his praecipuo, Deaque, cujus in honorem fierent, digno modo, ornamenta et virtutes loci petiit a praeclare factis et triſtibus fatis Deae, pauciſſimis tantum ſubjectis aut inſertis de ludorum ipſorum ritibus, eorumque origine et cauſſis. Pertinet vero locus a Libr. IV. v. 389 - 712. Cui quidem praefari poterit explanando, quae monet Iſocrates in Panegyrici Capp. VI. VII, VIII. Qui quidem Rhetor celeberrimus non dubitavit μυθώδη vocare τὸν λόγον ſecundum quem: Δημήτηρ ἀφικομένη εἰς τὴν χώραν Ἀθηναίων, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς Κόρης ἁρπασθείσης — δοχεὰς δικτὰς dederit Arbenienſium majoribus, αἵπερ μέγιστα τυγχάνουσιν οὖσαι: 1) Τοὺς τε καρπούς, ὧν πρῶτον ἡ φύσις ἡμῶν ἐδείξατο, (v. Cap. VI. init. et) οἱ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν (Quid ſit θηριωδῶς ζῆν Noſt. docet a v. 395 - 400 et 11, 291 - 300.) ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ 2) Τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσι. Ipſe utrumque donum cap. VIII. accenſet *meritis Athenienſium*, quippe qui ſint, et ab antiquitate originis ſpectati ὁμολογουμένως οἱ πρῶτοι γενόμενοι, et, ratione ingenii, πρὸς τὰς τέχνας εὐφυέστατοι, omniumque item maxume δεισιδαίμονες. Cfr. loci de Cerere a b. Moro ad Cap. VI, not. c. laud. Add. Homeri Hymn. in Cerer. — Redeundum vero eſt ad Noſtrum, qui l. l. de Circenſibus Cerealibus ita pertractavit ut ornatum petierit: 1) a Deae promerito, quo agriculturae munus hominibus dederat et per hoc munus ad meliora eosdem alimenta vocaverat (IV, 365 - 408.) 2) a Deae erroribus per cunctas orbis terrarum tum notas partes, perque adeo ipſa coeli alta loca (v. 575 - 584) *ut filiam a Plutone raptam inveniret*. (v. 417 - 585.) — Commendabile veneribus narrationis inprimis videtur epiſodium *de oecaſione*, qua Triptolemo puero impertierit hoc, ut adultiore aetate, *araret primus et ſereret, et culta praemia tolleret humo*. (v. 559 - 560.) Omnino locus omnis a. v. 502 - 562 innuit, quo modo myſteria Eleuſinia [Τελεταί.] orta ſint, quodque inprimis ſpectaverint. — Ceteris ſacris *cur taeda dari ſolita ſit*, v. 493 - 494. Item *cur veſtes ſumſerint albas*, v. 619 - 620. Cur *relatis* d. 19. Apr. Circenſibus Cerealibus *vulpes carceribus emiſſae ardentia tulerint terga* (v. 681 - 682.) ſ. *vinctis arſerint telis*, (v. l. l. Cfr. v. 711.) jucunda lectu narratione exponit IV, 689 - 712. Addas his locum *de recta ratione colendi hanc bonam Deam; cui parva, ſint*

modo casta, placeant, IV, 409-417. [Tanto magis mirum videretur, huic Deae omnium primae placuisse *victimas sanguinolentas*, (I, 349.) si non *ignavam suem*, (IV, 414.) cui *justis de caussis* (v. has caussas additas I, 351 - 352; quibus adjungere voluisse videtur aliam, at eam perquam ineptam Poeta, IV, 465 - 466.) *trata erat*, delegisset.] *Flavae* cur ornetur epitheto haec Dea v. not. ad IV, 424. — Jam videndum erit de locis reliquis *Cererem Deam* hoc in Fastorum opere spectantibus. II) Occasione *sementivae diei* h. e. sacrae, semente peracta s. satione finita, diei commemoratae I, 656 - 704. exhortatur Poeta *colonos* v. 671: α) ut placent *matres frugum*, Tellurem, *Cereremque* farre suo, *quarum illa praebeat caussam, haec vero locum frugibus.* (v. 673 - 674.) [Negligenter haud dubie scripsit Poeta, cum Tellus seu Terra, consors operum Cereris, rectius videatur dici *locum* praebere frugibus, Ceres vero, quippe inventrix et magistra artis arandi et serendi, *caussam* potius dederit frugibus, h. e. earum, colendis agris, copiose partarum *caussa fuerit prima*. Mytho vero misso Tellus sola dicenda est praebere et caussam et locum frugibus.] B) Precatur partim ipse, partim praeit precum carmen a se verbis selectissimis, formulisque aptissimis conceptum colonis, quo declarat, quae mala averruncata optet a colonis, quaeque bona concessa cupiat ab utraque Dea, et Terra et Cerere, iisdem. Sensibus animi colonis bene cupientis ita expositis, preces voto verbis breviter concepto finit hoc (v. 696): *efficiantque ratas utraque Diva preces.* Transit inde ad *pacis bona* laudandosque quos voluerat laudatos, *auctores pacis*, (v. 701 - 702.) ita ut a v. 697. viam sibi muniat ad has laudes monstrando: *saeviente bello agriculturam jacere contemtam et neglectam; florere vero, pace agriculturae prospérante, quae largiatur, bona.* Quam quidem ut paucissimis ita et aptissimis effatur sententiam verbis v. 704: *Pax Cererem nutrit; Pacis alumna Ceres.* Cfr. verba loci, IV, 407 - 408: „*Pace Ceres laeta est. At vos optate coloni, perpetuam pacem, perpetuumque Ducem.*“ III) Fornacalium caussas memorans (II, 314-526.) monet Poeta: *antiquitatem non doctos habuisse colonos* et subjungit deinde v. 519 - 520: Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant: *primitias Cereri farra, rrfecta dabant.* (Graecos primitias frugum Athenas misisse quoque anno narrat Isocr. Paneg. c. VII; hic usus, verbis: Ἃ μὲν γὰρ πλεῖστοι τῶν πόλεων, ὑπομνήματα τῆς παλαιᾶς εὐεργεσίας (accepti ab Athenienſibus beneficii, artis agri colendi) ἀπαρχὰς τοῦ σίτου καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὡς ἡμᾶς ἀποπέμπουσι· Ταῖς δὲ ἐκλιπούσαις πολλάκις ἡ Πυθία προσέταξεν ἀποφέρειν τὰ μέρη τῶν καρπῶν etc. Atque hoc Isocrati documento est maximo, Athenienſium solertiae ingenii deberi inventum agrorum cultum s. artem arandi, serendi et metendi. IV) Per metonymiam caussae *Ceres* nunc α) pro *semintibus* frugum et segete, nunc β) pro *satis* teneris et *frugibus*, nunc γ) pro *pane* aut, ex quo paratus est, *frumento* ponitur. 1) *Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis et levis obsesso stabat avena solo.* IV, 645 - 646. 2) *Satis sunt* [*Manibus*] — et *sparsae fruges — inque mero mollita Ceres* II, 535 - 539. 3) *Nec venti tantum Cereri nocuere*, nec imbres etc. IV, 917. 4) *Florebant oleae; venti nocuere protervi: Florebant segetes; grandine laesa Ceres.* V, 321 - 322. [*Segetes* et *Ceres* l. l. sunt Synon.] 5) *Jam quoque — defecerat — humanis usibus apta Ceres* h. e. victus Cerealis, seu panis etc. III, 665 - 666. 6) *Quodcunque*

eſt Cereris ſolidae, (h. e. granorum frumenti) *cava machina frangat, mollitumque manu duret in igne focus.* VI, 381. 7) *Cereris fruges aſpera ſaxa terunt.* VI, 470. (Oppoſitum legitur v. 348: *Ceſſat opus*, [aſini molitorii Veſtalium die h. e. d. 9. Jun.] *vacuae conticuere molae.* Cfr. verba v. 311. 312: *Ecce, coronatis pants dependet aſellis: et velant ſcabras florida ſerta molas.* H. l. de diei feſti initiis agitur; ſuperiori vero loco de ejusdem fine ſermo erat. 8) *Quaerunt novis ambagibus acti, perdere quam nolint et* [tamen] *jubeantur, opem. Ecce, Ceres viſa eſt!* etc. VI, 389 - 391. *Ceres* l. l. eſt victus e frumento paratus, panes, liba etc. *Satis eſt* [Manibus] — *in mero mollita Ceres.* II, 537 - 539.

Cerva. Orto ritu religioſo ſacrificia Diis offerendi *cruenta*, (I, 347 ſqq.) aptum, cujusque Dei aut Deae attributis, fabulis, factis etc., ſeligi coepit animal, quod iis placandis mactaretur. Hinc *Cervam* Dianae triplici mactari ſolitam ait Poeta I, 387 - 388: „*Quod ſemel eſt triplici pro virgine caeſa Dianae, nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.*“ v. Not.

Chalybeius, a, um. Agriculturae dono a Cerere accepto, inter homines „*aes erat in pretio: chalybeia maſſa latebat. Heu quam perpetuo debuit illa tegi!*“ IV, 405 - 406. Chalybeia maſſa igitur eſt ferrum ignis ope et arte duratum. [Der Stahl.] E quo cum *inſtrumenta bellica* fabricare ſoleant, propterea aptiſſimum adjecit Epiphonema: *Heu, quam perpetuo debuit illa tegi!* — Nomen accepit a Chalybum gente juxta borealem Aſiae minoris oram poſita, quae alluitur Ponti Euxini aquis maxime orientem verſus remotis. Virg. Georg. I, 56 - 58: Nonne vides — ut — India mittit ebur — *at Chalybes nudi ferrum?* etc. Juſtin. (44, 3.) Chalybem amnem facit Gallecorum in Luſitania, et Chalybes gentem amni finitimam, quae ferro Chalybi tincto ceteris praeſtet. Xenophon in Expedit. Cyr. min. duos Chalybum populos commemorat, quarum illius, qui ad noſtrum pertinet locum illuſtrandum, ſis mentio L. V. Cap. V. init: Διὰ ταύτης τῆς χώρας οἱ Ἕλληνες — ἀφικνοῦνται εἰς Χάλυβας. Οὗτοι ὀλίγοι ἦσαν καὶ ὑπήκοοι τῶν Μοσυνοίκων· καὶ ὁ βίος ἦν τοῖς πλείστοις αὐτῶν ἀπὸ σιδηρείας. Ammian. Marcell. 22, 8: *per Chalybas*, inquit, *erutum et domitum eſt primitus ferrum.*

Chaos. De Chaus mole, ut ſenſim digeſta ſit atque Janus inde ſuam acceperit formam v. I, 103 - 124. Poſt Chaos h. e. poſtquam ex incondito rerum ſtatu in ordinem omnia in hac rerum univerſitate redacta erant, qualia evenerint narratur V, 11-46. Poſſidet alter aquas, alter (fratrum Jovis h. e. Pluto) inane Chaos h. e. Tartara ſeu regna inferorum. IV, 600.

Charybdis. „Effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdi! IV, 499. Eſt inter innumeros locos, quos Ceres, raptam a Plutone filiam quaerens, perrerraſſe fingitur. Per epitheton Charybdis nomini additum declaratur *ſitus* hujus vorticis periculoſaeque quondam voraginis a Siciliae littore haud procul remotae. Nam *Zancle* eſt priſcum Meſſanae nomen, mutatum hodie et hoc in illud *Meſſinae*, horrendo terrae motu anno aerae noſtrae 1783 miſere vexatae et propemodum ſubverſae. De facie urbis, qualis fuerit paulo, poſtquam hano experta erat calamitatem vid. celeb. Bartels Briefe über Kalabrien und Sizilien, et nominatim *de Charybdis vortice*, quem auctor Itinerarii ipſe navigio, absque ullo fere periculo, trajecit, v. eum agentem p. 66 - 69. Caet. de Charybdi loc. cl. extat ap. Hom. Odyſſ. XII, 235 - 243. Cfr. v. 101 - 107.

Chiron. Ad hunc pertinet locus V, 379 - 414. Centaurus,

V, 405. H. e. semivir, flavi corpore mixtus equi. V, 380. Antra Pelionis montis inhabitat. v. 381 - 384. Justissimus senex. v. 384, it. 413 Achillis pueri magister. v. 385 Ubi v. not. Persquam carus discipulo. v. 406 - 412. Excipit hospitio Herculem. v. 387 - 392. Cujus aliqua squalenti veneno sagitta, cum imprudenti excidisset, vulneratus periit. v. 393 - 414. Inter sidera coeli australis deinceps receptus bis septem fulget stellis. v. 414. Oritur astrum *Centauri* nomine simpliciter nunc insignitum d. 3. m. Maji. v. 379. Est inter astra, quae remotissimo a nobis loco, austrum versus posita conspicimus.

Cilissa, ae. Subst. foem. juxta formam graeci ἡ Κίλισσα formatum, ortumque a Masc. ὁ Κίλιξ, Cilix; ut ὁ Φοίνιξ, ἡ Φοίνισσα. Scheller, enim in Lexico suo male formasse videtur nom. adj. *Phoenissus, a, um.* cum ipse fateatur in gen. masc., nunquam occurrere videri Adj huj. form. Est igitur haud dubie substantivum junctum substantivo in loco nostro I, 75 - 76; *Cernis — ut — sonet* (Kal. Januar. in aris templorum) *accensis spica Cilissa focis?* — De re vid. doctiss. loci interpr.

Cinnamum. Bacchus toto Oriente subacto primus Cinnama dedisse h. e. sacrificasse Diis memoratur, i. e. res pretiosas et maxume odoras. III, 131. Loco Plin. in Not. laud. addatur Dioscor. I, 13. E Pers. Sat. VI, 35. patet, Cinnamo suaveolenta quoque reddere studuisse beatiores ossa combustorum urnae danda. Cfr. loc. Statii L. II. in Epicedio Pileti Ursi: odoriferos flamma exhausit Sabaeos et Cilicum messes, *Phariaeque exempta volucri cinnama* [h. e. quibus caret Aegyptia terra.] etc. (Debeo locum Kirchmanno, in Opusc. d. Funerib. Rom. L. III, 5.]

Cinyras, ae. Assyriae rex Paphi, cultu Veneris famosae, conditor atque, quod inde sequi videtur, Cypri insulae domitor, *Adonidis*, e Myrrha filia, pater. Hinc Flora hominum venustate quidem formae conspicuorum, at qui misere vel propterea perierant, mutationem in flores, colorum varietate et pulchritudine insignes, sibi vindicans ait v. 227: „Quid Crocon aut Attin referam, *Cinyraque natum*, (h. e. Adonin.) de quorum per me vulnere surgit honor?

Circus. Tres a Nostro commemorantur Circi: α) Maximus. β) Florae. γ) Flaminius. Jam praeter originationem vocis Circus, quam in Iud. s. v. *Annus* attulimus, (quamque veram habemus, cum Gloss. vet., quoque haec habeat: *Circus;* Κύκλος, ἐν ᾧ ἱπποδρομίας γίνονται) alias recensuit cum causis suis Varro d. L. L. IV, 32; quem Varronis locum, si tanti videtur, conferas. Cum aedificii ejus, quod Circi Maximi nomine distinguitur ab aliis Circis, saepius mentio fiat in Fastis, ut mox videbimus, paucissimis maxume duntaxat loci memorabilia in memoriam lecturis haec revocabimus. Libellos de eo peculiares scriptos invenies insertos T. IX. Thes. Antqq. Rom. a Graevio editi. 1) Forma aedificii erat oblonga, ita tamen ut altera quidem ejus pars semiorbicularis esset, altera vero desineret in angulos rectos. 2) A Romulo exstructus temporarius, isque ligneus fuit; mansitque hic exstruendi mos eque tali materia usque ad tempora Tarquinii Prisci. Tarquinius Priscus perpetuum fecit, locumque designavit Circo inter montem Aventinum et Palatinum. „*Loca divisa Patribus, Equitibusque, ubi spectacula* (Logen) *sibi, quisque facerent; fori appellati* etc. v. Liv. I, 35. Postea magis magisque condecoratus et amplificatus est, ita ut Julio Caesare Dictatore longus esset stadia tria cum dimidio h. e. pedes 2100, latus vero plethra seu jugera h. e. pedes 960. 3) Hinc, cum caperet 260,000 spectatorum, *Maximus* dici coeptus est. (Liv. I.

l. „Tum primum Circo, qui *nunc* Maximus dicitur, designatus locus est.“) Quo quidem cognomine distinguitur ab aliis Circis v. c. Flaminio. Saepe vero idem quoque ille Maximus simpliciter et absolute *Circus* vocatur. 4) Circo adjunctae erant extrinsecus seu foris *porticus*, sub qua erant officinae et tabernae. (Dion. Halic. A. R. III, p. 201. ed. Sylb. ἔξωθεν περὶ τὸν ἱππόδρομον ἑτέρα στοὰ μονόστεγος, ἐργαστήρια ἔχουσα ἐν αὐτῇ καὶ οἰκήσεις ὑπὲρ αὐτά. Tacit. Annal. XV, 38. incendii Romae, sub Nerone eoque auctore orti, initia enarrans: *initium in ea parte Circi ortum, quae Palatino Coelioque montibus contigua est. Ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem Circi corripuit.*“ Cfr. quae Lips. Obss. opposuit b. Ernest. in Not. ad l. l.) In parte Circi tum semicirculari tum rectilinea ex opposito seu e regione sibi erant ostia majora duo, totidemque a latere utroque. 5) Ab interno vero seu intrinsecus spectatus Circus continebat *foros* s. *spectacula* h. e. sedilia, unde spectarentur ludicra s. ludi. Qualia fuerint Tarq. Pr. tempp. sedilia, disces e Liv. l. l. Inde a Caesaris aetate sustinebantur triplici columnarum serie, triplici porticu tecta, ita ut sedilia primi ordinis, quae lapidea erant, humiliora essent sedelibus secundi ordinis et haec humiliora sedilibus tertii ordinis, quae erant lignea et in quibus populus promiscue sedebat. v. Dion. Halic. l. l. 6) Juxta utrumque januae ejus, quae erat in parte Circi rectilinea, latus, erant ostia arcuata s. fornicata XII, *carceres*, itemque *oppida* dicta, in quibus stabant aurigae signum *missionis* exspectantes. Liv. VIII, 20. originem rei ita refert: „*Carceres eo anno in Circo primum statuti.*“ Annus vero fuit. L. Papirio Crasso iterum et L. Plautio Venno Coss. h. e. a. U. c. 423. (v. Liv. VIII, 19.) Claudius imperator *marmoreos* fieri jussit. Suet. Claud. c. 21. rem refert his usus verbis: „*Circo vero maximo marmoreis carceribus curatisque metis, quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* (Quo sensu accipienda sint haec extrema loc. laud. verba docet b. Ernesti. Quem inter gentis meae numerare cum possim viros omnium optime et de re publica et de re literaria meritos, habeo equidem, de quo glorier.) *Metae* vero in l. l. memoratae fuerunt columellae tres ex una basi surgentes ad *spinam* extremam, quae Circum medium secundum longitudinem, veluti spina dorsi dorsum, dividebat, quaeque *Euripus* etiam et *agger* (Juv. Sat. VI, 587.) dicebatur, utrinque positae, circa quas septies currus egisse, ita ut in *flexu* ne paulum quidem haesissent axes ad eas, summum erat, quod expetebant et in votis habebant aurigantes. Hinc Horat. Od. I, 1, 4 - 6: *Metaque fervidis evitata rotis, palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad Deos.*“ H. e. Romanos adolescentes nobiles non aeque beatos reddit cogitatio: suos exercere summum in cunctas fere orbis terrarum gentes imperium, quam hoc eos beat, per se leve, nulliusque momenti: vicisse in ludis Circensibus bigis, quadrigis etc. Jam notatis aedificii ipsius memorabilibus loca in medium proferamus in unum collecta, ubi a Poeta nostro aedificium istud commemoratum legitur in hoc Fastorum opere: 1) De loco ubi Romulus et Remus exponi jussi juxta Tibris ripas: „*Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres; quaque jacent valles, Maxime Circe, tuae.*“ II, 391 - 392. v. Not. 2) „*Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos* — (D. 7. Apr.) *Circus erit pompa celeber nu-*

mereque Deorum; primaque ventosis palma petetur equis." IV, 391 - 392. Cfr. Not. 3) *Tertia post Hyadas cum sua erit orta remotas* (h. e. D. 19. Apr.): *Carcere paritos Circus habebit equos. Cur igitur missae* (emissae in Circum) *vinctis ardentia tedis terga ferant vulpes, caussa docenda mihi.* IV, 679 - 682. 4) De Floralibus s. sollemnibus in honorem Florae celebratis, agens Noster V, 189 - 190: *Circus*, ait, *in hunc exit*, (mensem) *clamataque palma theatris; Hoc quoque cum Circi munere carmen erat.*" Monet illustr. Op. Edit. ad hos versus, Circum Florae proprium in regione VI extitisse, qui nunc intelligendus sit. Ad vers. vero 291: auctore Tacito *juxta Circum Maximum aedem Florae ab L. et M. Publiciis Aedilibus constitutam fuisse, quam Tiberius instauraverit.*" 5) „*Sollemni ludos Circo celebrate, Quirites: non visa est, fortem scena decere Deum.*" V, 597 - 598. (Sermo est de ludis Circensibus in honorem Martis bis Ultoris ab Augusto institutis et d. 12. Maj. celebratis. Cfr. not. ad V, 545. Caet. de Flora aliter prorsus ac de Marte judicaverat, deque eo quod deceret ipsam V, 347: "*Scena levis decet hanc:* non est, mihi credite, *non est cothurnatas inter habenda Deas.*" ib. v. 351: „*Non est de tetricis, non est de magna professis.*" 6) *Templa tibi* (Mercurio) *posuere Patres spectantia Circum.* V, 669.) 7) „*Prospicit a templo* (Bellonae) *summum brevis aëa Circum* etc. VI, 205. It. „*Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.* Eod. libr. v. 209. (Utroque in loco *de Circo Flaminio* cogitandum esse docet Edit. illustr. in Notis.) 8) Topographiae veteris Romae curiosis commendandus est inprimis locus VI, 395-415. Quem vero locum si satis accurate nosse cupierint, conferent Tabulam aeri incisam, faciem totius Romae veteris plenam referentem, quam Graevius Tomo primo Antiqq. Romanar. praefigendam curavit. Huc pertinent tantum verba vers. 405 - 406: „*Qua Velabra solent in Circum ducere pompas; nil praeter salices, cannaque cassa fuit.*" Cfr. Suet. Caes. 37. Ner. 25. 9) *Pontibus et Magno juncta est celeberrima Circo area, quae posita de bove nomen habet.* VI, 477 - 478.

... *Cithara.* Ratio... Propria quidem differt notio Citharae ab illa Lyrae. Nam super testudinis cavo illa intenta erat filis, cum haec caeteris testudine et chordas haberet inter cornua, in ponticulo cornua jungente. Haec Fischer. habet de discrimine utriusque instrumenti musici in Ind. ad Palaeph. s. v. κιθάρα. At ut instrumentorum ita quoque eorundem inventorum nomina inter se permutantur. Fischer. l. l. Mercurium laudat e scriptt. vett. Cytharae, Apollonem Lyrae inventorem, cum tamen Noster (V. 104.) Mercurium ita alloquatur: *Inventor curvae fidis!* — et Horat. (Od. I, 10, 6, quam Oden Ovid. l. l. et v. 663-672. ante oculos habuisse videtur.) eundem dicat *curvae parentem lyrae. Fidis* vero nomine Nostrum lyram nuncupasse patet e versll. sqq. 105 - 106: „*Nec pietas haec prima tua est: septena putaris, Pleiadum* (sororum Mercurii) *numerum, fila dedisse lyrae.*" Caet. citharae nomen, ut saepius aliorum quoque scriptorum in locis, (ut v. c. ap. Palaeph. Cap. 42, 1. 3.) cum lyrae nomine permutatum legitur etiam ap. Nostr. II, 115; cl. 104. Accuratissime ea de re omni Scalig. ad Manil. V, 318, egisse monet Fischer. in l. l.

Clarius, a. um. „*Pagina judicium docti subitura movetur principis, ut Clario missa legenda Deo.*" I, 20. Sensus simplex: Tibi, Caesar Germanice, excultissimi cum sis inge-

aii ipſe Poeta, traditurus Faſtorum carmen haud aliter affectum me ſentio, ac ſi Apollini auſus eſſem ipſi hoc mittere opus. Caet. Apollo *Clarius* vocatur *Deus* a templo oraculoque, quod religionis et caloris cauſſa ſacro incluſum erat luco. (v. loc. Strab. ab Heyn. laud. ad Virg. Aen. III, 360. Add. Intpr. Faſt. ſumme venerand. ad loc. Metam. a ſe excitat. ad noſtr. verſ.), cuique nomen dederat *Claros* oppidum Ioniae haud multum a Colophone diſſitum.

Claudia Quinta. Neptis Appii Claudii Caeci, v. Not. ad IV, 305. Pertinet ad hanc omnis narratio egregie exornata a v. 305 - 346, qua docetur Cybelen Deam miraculo vindicaſſe pudicitiam virginis a linguarum calumniis. 2) Si potuerit argumentis ſatis idoneis oſtendi, circa unum fere idemque tempus Cybeles Deaeque Bonae templa dedicata fuiſſe Romae, tum haud diſſimilis veri erit ſententia eorum, qui putant ad eandem Claudiam Quintam pertinere, quoque loc. V, 155-156: „*Dedicat haec* [templa Deae Bonae, τῆς θεοῦ τῆς Ἀγαθῆς Ῥωμαίοις, ὥσπερ Ἕλλησι Γυναικαίας ἀνομαζούσης. v. Plutarch. Caeſ. 34.] *veteris Clauſorum nominis heres, virgineo nullum corpore paſſa virum.*“ Templum vero Cybeli dedicatum eſt circa a. U. c. 549. v. Not. ad IV, 255. De Clauſo v. Ind. (ſ. h. v.

Claudius Appius Coecus. „Bellonae medio in pugnae diſcrimine templum voverat.“ v. loc. Liv. in Not. ad VI, 199-208. laud. Hinc Noſter l. l. v. 201 - 204: „*Hac ſacrata die* (D. 4. Jun.) *Tuſco Bellona duello* (i. e. bello Etruſco circa a. U. c. 471.) *dicitur et Latio proſpera ſemper adeſſe. Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negata* (bellum cum eo ab a. U. 474 - 482. geſtum eſt) *multa animo vidit; lumine captus erat.*“ Idem avus fuit *Claudiae Quintae.* (De qua vid. Ind. ſ. hoc nomine) et auctor *Viae Appiae* ab ipſo ita dictae.

Clauſus. Liv. II, 16: „Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantum inde virium tranſtulit ad Romanos. Namque *Atta Clauſus*, cui poſtea *Appio Claudio* fuit nomen, cum, pacis ipſe auctor, a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna Clientium comitatus manu, Romam tranſfugit. His civitas data, agerque trans Anienem. — Appius inter patres lectus haud ita multo poſt in principum dignationem venit. Quod quidem Suet. Tiber. Cap. I. factum narrat: „*poſt exactos reges, ſexto fere anno.* (a. U. c. 250. a. C. n. 504.) Ad hunc igitur Claudiae gentis inter Romanos auctorem, ejusque jam antea principem, pertinent loca, 1) IV, 305: Claudia Quinta genus *Clauſo referebat ab alto.*“ 2) V, 155: Dedicat haec (Templa Deae Bonae) *veteris Clauſorum nominis* heres, virgineo nullum corpore paſſa virum.“

Claviger, a, um. Duplex notanda eſt vocis notio: 1) qui *clavem* gerit ſ. *claves* geſtans. Eſt tum Epith. Jani. I, 228: clavigerum alloquor Deum. 2) *clavam* gerens. Epith. inprimis Herculis. I, 644: Ecce boves illuc — applicat Heres - claviger. IV, 67: Hoſpes claviger Aventinis armentum pavit in herbis.

Clavis. Eſt inter inſignia Jani ſiniſtra eam tenentis ſ. gerentis. v. I, 99. Cauſſa vera hujus inſignis habetur haec, quia Janus, antiquiſſimus Italiae rex, excogitaverit *claves*, ſeras, valvas et omnino *januas* a ſe ita dictas. v. Not. ad v. 125. lin. 20. Cauſſa ficta haec refertur, quia clavis ſit ſymbolum *officii ejus.* Nam in terris aeque ac in coelo Janus Januarum eſt cuſtos et arbiter, ita ut omnia clauſa ſint pateantque manu ſua. Hinc quoque factum eſt ut Cluſius Patuliusque idem diceretur. v. em-

berio magnifice condito, docet loc. Libr. VI, 91 - 92: *venit Apollinea longas Concordia lauro nexa comas, placidi numen opusque Ducis.*" Caet. ut h. l. ita potior est significatio *virtutis*, vitae communitatis summae, quae Deae declaratur nomine II, 631 - 632: *Concordia fertur illo praecipue mitis adesse die.* (Scil. Caristiorum die.) 2) Concordiae, Deae, cultui d. 27. Mart. sacram fuisse seu festam his monet verbis Poeta III, 879-882: *Inde* (ab Aequinoctii verni die) *quater pastor saturos ubi clauserit haedos, canuerint herbae rore recente quater; Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis* etc. 3) Aliam aedem Concordiae a C. Flavio, Aedili curuli, *in area Vulcani* dedicatam commemorat Liv. IX, 46. Quam dedicationem refert illustr. Fastor. intpr. ad a. U. c. 449, et primam hanc habet Concordiae aedem, v. Not. ad VI, 637 - 638.

Consus. H. e. Neptunus Equester. v. Liv. I, 9. §. 6. Apud Nostrum Mars ipse Poetae narrat se indoluisse, quod contumelioso negaverint Romanis populi vicini connubia contemtu vitae generis moti hincque ipsum Romulo rapiendarum virginum dedisse consilium his verbis: *Tolle preces, dixi; quod petis, arma dabunt. Festa para Conso.* (Quae sequuntur Mars Poetae dicit.) *Consus tibi caetera dicet, illo facto die cum sua sacra canet.*" III, 199 - 200. v. Notata ad h. l.

Corinthos, *bimaris* IV, 501. Propter sinus maris, quorum orientalis nostris temporibus *Golfo di Engia*, occidentalis vero *Golfo di Lepanto* vocatur. v. Ind. s. voc. *bimaris*. Addatur Isthmi Corinthiaci poetica descriptio IV, 495 - 496.

Corniculanus, *a*, *um*. Corniculi natus. VI, 628. Corniculum vero fuit oppidum Latii patrium Ocriſiae s. Ocreſiae, setvae captivae Tanaquilis, matrisque Servii Tullii v. Liv. I, 39; et loc. nost. laud.

Corniger. Vid. de hoc amnium et fluminum epitheto not. ad verba III, 647: *Corniger hanc* (Annam, Didonis sororem) *cupidis rapuisse Numicius undis creditur* etc.

Cornix. *Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix sedit.* II, 89. Ut e mirabilibus artis Arionis effectibus doceret quantus fuerit arte, quintum illud addidit mutuae concordiae, arti isti debirae, inter inimicissima sibi animalia effectae exemplum. v. Ind. s. v. *Umbra*.

I) *Cornu Amaltheae*. (Quod *cornu copiae* ab Horat. absolute dictum putant. V. Od. I, 17, 15. Epp. I, 12, 29. Utroque vero loco imagine, undecunque ea repetita sit, remota *magnam frugum terrae omnis generis* abundantiam designat. Add. Carm. secul. v. 59. Narrationem sequuturis Poetae nostri cornu erit *capellae*, quam Amalthea Naïs, Idam incolens, montem Cretae insulae, possederit, cujusque uberis lacte Jovem nutriverit. v. Fab. V, 111 - 127. Apollod. vero Biblioth. II, 7, 5 rem paulo aliter refert: Herculem nimirum Calydone cum Acheloo, qui in bovem se transformaverit, de Dejanira, cujus ambierat nuptias, pugnavisse, interque pugnae discrimina cornuum Acheloo alterum avulsisse. Acheloum vero victum, pro avulso, Herculi cornu Amaltheae dedisse. Jam subjungit: 'Αμάλθεια δὲ ἦν Αἰμονίου θυγάτηρ, ἣ κέρας εἶχε ταύρου. Τοῦτο δὲ, ὡς Φερεκύδης λέγει, δύναμιν εἶχε τοιαύτην, ὥστε βρωτὸν ἢ ποτὸν, ὅπερ εὔξαιτο τις, παρέχειν ἄφθονον." Cfr. illustr. intpr. ad Ovid. Metam. IX, 80-92. Cornu porro istud, inter *symbola summae fertilitatis et abundantiae*, *frugum inprimis*, adhuc usitatum et in monumentis artis operum tum veterum tum recentiorum ubique conspicuum, inter astra coeli a Jove grato, dominae nomine, receptum sit Poeta l. l. v. 126-127.

Cornua Bacchi. Designasse veteres cornuum symbolo *potentiam* monet illustr. Fastor. Intpr. ad Libr. III, v. 789. Quo loco Poeta precibus ita se ad Bacchum convertit: „*Mite, Pater, caput huc placataque cornua vertas.*" Cornua eadem *majestatis* quoque imaginem fuisse, idem monet ad Metam. IX, 19. Poterit igitur et de potentia et de majestate Bacchi accipi locus per se frigidus III, 499 - 500. Ibi inter longas Ariadnes *de perfidia Bacchi* querelas (471 - 506) est hoc quoque: „*Caperunt matrem* (Pasiphaen) *formosi, cornua tauri; me tua. At hic laudi est; ille pudendus amor.*"

Corona. Sidus hemisphaerii *borealis, hujus nominis* notissimum, nunc *Coronam Gnosida*, nunc *sidus Ariadnaeum* dixit Poeta. Vid. III, 459 - 460. Cfr. V, 345 - 346. Occasione commemorati temporis ortus ejus vespertini, quem ortum refert ad d. VIII. a. Id. Mart. h. e. ad d. 8. Mart. (v. III, 459 - 460: „*Protinus adspicies venienti nocte Coronam Gnosida,*") historiam originis subiunxit seu potius fabulam, quae sideri nomen fecerit, a Libr. III, v. 460 - 516. Quam nimirum Vulcanus coronam auream, gemmis distinctam Indicis, novem, Veneri dono dederat, (III, 514 - 516.) Venus vero aut Ariadnae aut Baccho dono nuptiali seu doti obtulerat, (v. Not. ad l. l.) eam cum Ariadne ipsa *Liberae* nomine in coelum rapta (v. 512.) Bacchus inter sidera coeli esse jussit. Quot stellas Poetae aetate contiquerit e l. l. et e modo dictis patet, quot vero nostra aetate huic sideri tribuantur, quoque ipsum loco in coelo quaerendum sit, discas e notis ad l. l.

Coronides. Cognomen Aesculapii, a matris nomine (Cfr. voc. Ind. quod postrum deincepa excipit,) repetitum, v. Not. ad VI, 746. Quo quidem loco a v. 733-762. intertexuit Poeta, ansam nactus commemorandum ad d. 21. Jun. Ophiuchi astri ortum, fabulam de Hyppolyto ab Aesculapio in vitam revocato, deque hoc ab *avo* propteres irato h. e. Jove (I, 294. VI, 735, ubi tela *avita* sunt fulmina avi.) ictu quidem teli sui percusso, at moto Phoebi filii precibus, ut *propter hunc, fieri quod vetuerat, ipsa faceret;* (v. 762.) ita ut redire in vitam Aesculapium nepotem juberet et *Ophiuchi* nomine inter sidera coeli referret. De templo a Romanis Coronidi a. U. 462. in insula Tiberis *et ipsis quidem Kalend. Januar.* quondam consecrato seu dedicato v. I, 289 - 294. Loc. vero classic. de Aesculapio sub anguis specie latente Romam ab Epidauro arcessito extat ap. Nostr. in Metam. Op. XV, 622 - 744.

Coronis, idis. Nymphae nomen. Mater Aesculapii. I, 291. Hinc nomine ipsius omisso a parentibus ita laudatus legitur loco excitato: *Phoebo Nymphaque Coronide natus.*" Reliqua vide sub voce proxime antecedenti.

Corsis, a, um h. e. *Corsicus, a, um.* Corsis paene obruta aquis classis Romana cum esset, Tempestati posuit ante portam Capenam templum, qui Corsicam insulam a. U. 494. ditioni subjecit romanae h. e. L. Scipio. VI, 194. n. Not.

Corus s. *Caurus.* Vide de hoc vento, cujus in ipso Opere Nostri nulla fit mentio, not. ad V, 159 - 162. Idem nimirum habetur qui *Argestes* l. l. commemoratus. Cfr. Schleusnerus in Lex. N. T. s. v. χῶρος. Χῶρος nimirum, ut Argestes, est quem nos dicimus: Nord - Westwind. Λίψ vero s. Africus (v. Act. App. 27, 12, ubi utriusque fit mentio) est, qui a nobis hodie vocatur: der Südwestwind. Hunc Herod. observat II, 25: esse ἀνέμων τῶν πάντων ὑετώτατον, omnium maxume pluvium.

Corvinus. Poeta monstraturus, qualem quantamque vim habeat cognomen *Augusti* Octaviano

Caesari d. 13. Jan. a. U. c. 727. a Senatu datum, *comparatis* ante duodecim variis variorum cognominibus, evincit *nulli contigisse nomina tanta, quanta Germanici avo, nomina.* v. I, 590-616. Nonum ordine obtinet locum cognomen M. Valerii a Corvo *Corvini* dicti. Reliqua vide in Notis ad verba v. 601 - 602: *Ex uno quidam celebres, aut — aut corvi titulos auxiliaris habent.*

Corvus. 1) „*Quidam corvi titulos auxiliaris habent.*" I, 601 - 602. v. proxime praecedens *Corvini* nomen. 2) „*Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis et medius Crater inter utrumque latet. Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti;*" (Hoc est, d. 14. Febr.) II, 243 - 245. Sequitur a v. 247-266. mythi enarratio, qua explicatur, quomodo factum sit ut „*Anguis, Avis, Crater, sidera juncta micare coeperint.*" (v. 266.) Caet. in hemisphaerio coeli meridiano Virginis inter et Leonis stellas, at his inferiores, omnes fere siderum illorum stellae quaerendae sunt.

Corymbifer, a. um. Bacchi epitheton, cujus synonimum mere latinum est *racemifer.* v. Not. ad I, 393. ὁ Κόρυμβος enim est racemus nominatim hederae quoque. Nam de hujus racemis cogitandum, cum κισσοφόρος etiam dicatur. Caussa, cur Bacchus hederam adamaverit, e mytho de mira, qua recens nato vita conservata sit, ratione repetenda videtur. Nam Schol. ad Eurip. Phoen. v. 664 - 667: — Διόνυσον — ἡ Σεμέλη ἔτεκε. κισσὸς δὲ πανταχόθεν αὐτὸν περισκέψαι. τοῦ γὰρ οἴκου κεραυνωθέντος ἐξήμβλωσεν αὐτὸν ἡ μήτηρ φοβηθεῖσα. Κισσὸς δὲ περιείλιξεν. Item: Ἱστορεῖ γὰρ Μνασέας, ὅτι τῶν Καδμείων βασιλείων κεραυνωθέντων, κισσὸς — ἐκάλυψεν αὐτὸν, (τὸν Βρόμιον h. e. Bacchum) ὅπως μὴ αὐθημερὸν, καὶ ἐν μηδενὶ τὸ βρέφος διαφθαρῇ καλυφθὲν κισσῷ. Item: Ζεὺς ἐπιὼν μετὰ κεραυνοῦ κατέφλεξε τὴν Σεμέλην κύουσαν· καὶ πεπτωκὼς ὁ Διόνυσος περιέτεπται ὑπὸ κισσοῦ, μέχρις ἂν ὁ Ζεὺς ἐρράψατο τῷ μηρῷ, ἕως ἂν ὡραῖον τὸ βρέφος γενήσεται. Caet. caussam aliam, hedera cur gratissima sit Baccho, attulit ipse Poeta noster III, 767 - 770.

Costum. Herba aut frutex odora inserviens sacris faciendis, unguentis parandis et vino inficiendo i. u. major ei suaveolentia meliorque fortasse sapor quoque conciliaretur. Apud Nostrum est inter *res pretiosas*, quibus *luxuriosior* aetas Deos conciliare sibi studeat eas adolendo in aris. Verba Nostri sunt I, 341: „*Tura nec Euphrates, nec miserat India costum.*" Ab Horatio costum adpellatur *Achemenium* h. e. Persicum. v. Od. III. 1, 44. Uterque locus a Schellero in Lexici sui Edit. sec. praetermissus est.

Cosyra. Insula sterilis, Meliti vicina. III, 567. n. not. Celeberr. edit. intelligit eam, quae nostris temporibus *Gozzo*; Scheller. vero in Lex. s. quae nunc *Pantalarea* dicitur.

M. Crassus. Ille qui, quamquam genere, divitiis, dignitate nobilis, cupierat tamen auctiores opes, (Flor. IV, 2.) negaveratque ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps esse vellet, *cujus fructibus* exercitum alere non posset. (Cic. de Offic. I, 8. Cfr. Plin. XXXIII, 10. Cuj. loc. Heusinger. laudavit in Not. ad Cic. l. l.) Incensus igitur cupiditate tantam sibi parandi pecuniam (Nam recte Heusing. monuit in Not. ad Cic. loc. non jactavisse sibi tales jam paratas esse opes.) quanta populi Romani principi sufficerent, cum imperio Proconsul in Syriam provinciam missus et *in expeditione contra Parthos paranda occupatus* nihil aeque curae habuit, quam templum Hierosolymitanum spoliandi (a. C. n. 54. a. U. c. 702.) thesauro suo et ex adyto ejus auferendi quaecunque vasa sacra pretiosis-

sima ipsi visa essent. (Vid. Joseph. Antqq. Jud. XIV, 12. Qui quidem rapinae summam decem millia Talentorum excedisse affirmat, caussasque adjungit probabiles, unde tantae opes colligi et in templo coacervari potuerint. Caes. virtus innocentiae Pompeji a Cic. p. Leg. Manil. c. 13. laudata per oppositum avaritiae Crassi vitium luculentior apparet, quippe qui capta urbe a. U. c. 690 (unde Hierosolymarii cognomen tulit a Cic. ad Attic. II, 9.) primus Romanorum Templi adyta cum intravisset, omnia intacta reliquit. v. Joseph. Op. laud. XIV, 8.) Paulo post suscepta expeditione contra Parthos *horum quoque inhians auro* (v. loc. class. ap. Plor. III, 11.) *ad Charras*, oppidum ultra Euphratem situm (de quo vid. Rosenmueller. Vir celeb. in Scholiis ad Genes. Cap. XI, 31. Quo loco observatur Charras s. Carras has, *Haran* dictas ab auctore memorabilium Abrahami, positas fuisse in tesquis regionis planas, *quas* ad hodiernum diem Arabes Nomades pererrent. Inveniuntur in tabb. geogr. D'Anvillii sub gradu Latit. boreal. 36 et Longit. orient. 57.) Crassus clade accepta gravi cum ignominia et dedecore perlit. v. Cic. ad Div. II, 9. Jam loca Fastorum, Crassi cladem et dedecus notantia, Augusti vero ex eadem clade partam gloriam illustrantia adponemus: 1) *Crassus ad Euphraten aquilas natumque suosque perdidit et leto est ultimus ipse datus.* VI, 465 - 466. (D. 9. Jun. a. U. c. 705. a. C. n. 49. a. M. c. 3935. Judaei hac clade et caede Crassi impense laetati sunt. 2) *Parthe, quid exsultas? dixit Deus*, (Vesta) *Signa remittes: quique nocem, Crassi vindicet* (Scil. Augustus. Ut ne vel levissimam adulandi hunc occasionem praetermitteret, addidit hoc. Cfr. V, 579 - 596.) *ultor erit.* VI, 467 - 468. 3) *Addiderant animas Crassorum funera genti* (Parthorum): *Cum perdit miles, signaque duxque simul.* V, 583-784.

Crater, eris. Graecorum Κρατήρ, ῆρος, nomen ab antiqua forma verbi κεράννυμι, h. e. κεράω contr. κρᾶω, misceo, effictum, i. u. fit, ad verbum si reddideris: *der Mischer*, das Mischgefäss. Vas autem ita dictum, in quo vinum aqua miscebatur, stabat in basi, quae vocatur nunc ἐπίσαμον, nunc ὑπόθημα, nunc vero ἐπιχρητηρίδιον et operculo tectum erat, quod πῶμα dicitur. In apparatu Crateris erant ἀρύταινα sive ἄρυσις, (Der Schöpfer.) item ἡ οἰνοχόη et ὁ κύαθος) i. e. trulla h. e. vas manubriatum, quo vinum e cratere haustum effundebatur in pocula et ἤθμός h. e. colum, quod imponebatur poculis, ut vinum per illud defluaret. Pocula vero ipsa dicuntur nunc κύπελλα, nunc δέπαστες etc. (v. Homer. Iliad. A. 470 - 471. Cfr. v. 584. It. Odyss. A, 142 - 143. Cyrop. I, 8 - 11.) Caes. qualis vera fuerit forma Crateris, hodie ex innumeris artis operibus, quibus imitando expressa cernitur, quovis die cognosci potest. Dicta jam sequantur loca, ubi Crateris apud Nostrum fit mentio: 1) *Quisquis ades, cannaeque celis penetralia Vestae; Crateraque Iliacis turaque pone focis.* III, 417 - 418. v. not. 5) *Corvus inauratum pedibus cratera recurvis tollit et aerium pervolat altus iter.* II, 251 - 252. 3) Hyrieus, Orionis pater, hospitio exceperat Jovem, Neptunum Mercuriumque. Jam inter honestae paupertatis signa *fictilis e terra quidem rubenti coctus fuit Crater, poculumque fagineum*, quibus infundebat vina a se puero diffusa quondam et condita, jamque fumoso promta cado. V, 522. Cfr. v. 517 - 518. 4) Crater, fidus hemisphaerii australis, quod prope abest in coelo ab aequinoctiorum linea et Zodiaci *Pingitis* Erigoneae signo. Ortus ejus acronychii ad d. 14. Febr. commemorandi occasione, hoc nexu, interposita fabula,

quae cauſſam nexus continet, jungitur *corvo* et *Angui* II, 243 - 244: *Continuata loco tria ſidera, Corvus et Anguis, et medius Crater inter utrumque jacet. Idibus* (Februariis) *illa latent: oriuntur nocte ſequenti.* Sequitur a v. 246 - 264 fabula, quae *cauſſam* reddit, *cur* ſint conſociata. Tum abſolvit fabulam his verbis v. 266: *Anguis, Avis, Crater, antiqui monumenta perennia facti, ſidera juncta micant.* Atque tali imaginum delineatione comprehenſae ſtellae triplicis hujus ſideris adhuc in omnibus Globis coeli arte factis et planiglobiis coeleſtibus exhibitae conſpiciuntur.

Crathis, idis. Piſcoſus Crathidis lapidoſi amnis. v. de eo not. ad III, 581. E nexu rerum l. l. narratarum colligi poſſe videtur exoneraſſe ſe in ſinum Tarentinum, (*Golfo di Taranto.*) quo, oram petens Italiae auſtro obverſam (Nam *Notos* v. 588 pro Borea poſitus eſt e notabili nominum ventorum permutatione, de qua egit illuſtr. Heyne ad Virg. Aeneid. V, 2.) navi curſum a Melite provecta tenebat Anna, Didus ſoror.

Cremera. Fabii trecenti illi, via, dextro Jano (Durchgang) portae Carmentalis proxima, egreſſi atque adeo, cum ſeptentriones verſus, Etruriam ſive Tuſciam (Toſcana) petentibus, eundum eſſet, Tiberim transgreſſi *celeri paſſu Cremeram tetigere rapacem, cujus aquae hibernis ditivibus fluebant turbidae.* II, 205-206. Quod ſit hodie amnis nomen, facile reſciſcere cupientes viatores cognoſcerent, cum haud longe a Vejis curſum habuerit; (v. Not. ad l. l.) Vejorum vero ſolum poſſeſſio ſit hodie pictoris Itali, qui nuperrime, (ſi literis fides eſt habenda Romae anno datis (1811.) hoc ipſo, et Ephemeridibus inſertis) e ſolo illo fodiendo eruit ſtatuam Tiberii imperatoris forma maximam et arte praeſtantiſſimam.

Cres, Cretis. H. e. Cretenſis. I, 594. Vid. Ind. ſ. v. Creticus. Ad Graecorum vocab. formam ὁ Κρὴς, ητὸς, foem. ἡ Κρῆσσα expreſſa eſt haec inſolentior nominis gentilis hujus forma.

Creta. Inſula maris mediterranei Turcarum imperio hodie ſubjecta, qui Venetis, ex tempore expeditionum cruciatarum eam *Candiae* nomine obtinentibus, eripuerunt anno p. C. n. 1669. Noſter monſtraturus, Romanos, exemplo aliorum populorum praecipuo cultu hoc vel illud numen proſequentium, colendum ſibi, belli ſtudio ductos, delegiſſe Martem, quia praeſideat bellis, commemorat *Cretenſes* etiam, qui *tutelam* et praeſidium *ſibi delegerint Dianam.* Verbis uſus eſt his III, 81: *Pallada Cecropidae, Minoia Creta Dianam, Volcanum tellus Hypſipylea colit* etc.

Creticus, a, um. In recenſu *cognominum* rebus bello praeclare geſtis partorum, eo conſilio inſtituto a Poeta, ut deduceretur ad glorioſiſſimum et ſanctiſſimum *Auguſti* Caeſari Octaviano tributum, eſt etiam cognomen Q. Caecilii Metelli, qui miſſus *a ſola vincendi nobilem inſulam cupiditate incenſis Romanis* (Flor. III, 7 init.) ea victa *non quidquam amplius tamen de tam famoſa victoria, quam cognomen creticum reportavit.* (Flor. III, 7 extr.) Noſter I, 593 - 594: *Alter* (victor alius quis) *Iſauras, aut Cretum domitas teſtificatur* (cognomine ſuo) *opes.* (Bellum contra Cretenſes coeptum eſt geri a. U. c. 685 finitumque n. U. c. 691. Cfr. intpr. ad Cic. Orat. p. Leg. Manil. Cap. XVI.)

Cretis, idis. Forma graeca rarior foem. adj. Lat. form. uſitatior. foem. *Cretica* a Creticus, a, um. 1) *Stat quoque Capra ſimul*: (h. e. effigies Caprae ſtat juxta ſtatuam Vejovis h. e. Jovis juvenis in templo ipſius inter arcem et Capitolium montis Tarpeji.) *Nymphae paviſſe* (caprae) *feruntur Cretides.* III, 443 - 444. Narratio rei ipſius plenior legitur V, 111 - 127; quae hactenus

discrepat a priori, ut *una Nais* Amalthea (v. 115. Syn. *Nymphe.* v. 123.) Capellae (v. 113. Syn. Capra. III, 443.) matris duorum formosae hoedorum lacte nutriverit Jovem, quae quidem Amalthea capellae nutricis *domina* quoque nominatur. v. 127. Caet. de cornu Amaltheae cfr. Palaeph. Fab. 46; et Fischer. Ind. Palaeph. s. v. Ἐμπολή.

Crocus, i. Commemoratur inter pretiosiores et, ut videtur, e terris longinquis eum quoque ab initio in finem petitos flores, ut Diis in aris adolerentur I, 341 - 342: *Tura nec Euphrates — miserat — nec fuerant rubri cognita fila croci.* 2) Proserpina errans nudo per Siciliae prata pede *ipsa crocos tenues liliaque alba legit.* IV, 442. 3) Libro quinto Flora ipsa narrat, sibi tristi, propter cultum sui a patribus Romanis neglectum, excidisse officium tuendorum et agrorum et hortorum; tristitiaeque suae effectum hunc fuisse, ut lilia deciderent, violae exarescerent, *filaque punicei languida fierent croci.* v. 315 - 318.

Culter, ri. 1) Cultros strictos calido tingere sanguine scil. hostiarum. I, 321. 2) Cultri nullus in sacris usus, dum *incruenta* Diis oblata fuere in sacrificium I. 347 348. 3) cultros praevisos in aqua per pelves juxta aram disposita timet hostia. I, 327 - 328. 3) Cultros a bove aratore sacrificantes removere jubet ministros succinctos Poeta, nomine quasi Cereris et ex ipsius mente. IV, 413 - 16. cfr. v. 403. At nihilominus culter aperuit percussi viscera tauri. I, 346. Cultri igitur usus in sacris *signum* erat *originis* in usum receptorum sacrificiorum *cruentorum* et hactenus cultri vocabulum recipiendum erat in Ind. Rer. Sus, quia segetibus, caper, quia vitibus nocet, *primi* coeperunt poenas dare, Cereri ille, Baccho hic. Sic sanguine nominatim suo irata placavere ista numina.

Cupido. Venit ad Euphratem (Dione) *comitata Cupidine parvo; inque Palaestinae margine sedit aquae.* II, 463 - 464. (Tractat l. l. mythum de Typhoeo Gigante, qui cunctos in fugam converterat Deos, quorum in numero cum Venus esset cum Cupidine, hunc, nacta Euphratis marginem, sinu tenens in amnis aquas se dejecit. Pisces gemelli auxilium ferentes vexere Deos; munusque pie facti habuere hoc, ut inter Zodiaci signa relati micare inciperent inter sidera. Caet. commemorandus ad d. 16. Febr., Solis ingressus in Piscium signum ansam praebuit Poetae fabula laudata variandi carmen suum.

Curensis, e. Ut ostenderet Poeta in peregrinis quoque Fastis *mensem esse nomine Martis,* post plurium civitatum Italiae recensum e quorum institutis, quod posuerat, confirmat, Curenses quoque h. e. Sabinos, a Curibus ita dictos, his laudat verbis III, 94: *A tribus hunc primum turba Curensis habet* h. e. quartum instituit esse ordine mensem Martis. Nam (v. 96.) *quartus genti Deus Mars fuit.*

I) *Cures, ium.* Sabinorum oppidum Numaeque, ante quam rex Romanorum fieret, habitationis locus. v. Liv. I, 18. Hinc Virg. Aen. VI, 810 - 813: „Nosco crines incanaque menta regis Romani, (h. e. agnosco Numam e signis illis) primus qui legibus urbem fundabit, *Curibus parvis* et paupere terra missus in imperium magnum." It. VIII, 637 - 638: In clypeo Aeneae non enarrabili texto Vulcanus Romam - addiderat, subitoque consurgere bellum *Romulidis — Curibusque severis* h. e. inter Romanos et Sabinos disciplinae severitate suae insignes. Noster Curium bis mentionem fecit et primum quidem in loco, ubi, occasione delati ad Augustum nominis Patris Patriae, rasis librat in antithetis merita et magnitudinem hujus et Romuli

ita ut hujus detrahat laudi quantum potest, eumque deprimat, quo illum majis extollat. v. II, 119 - 144. Verba loci, quae huc pertinent, sunt: *Te Tatius parvique Cures, Caeninaque fensit.* (H. e. Sabini cum rege suo) *Hoc duce* (Augusto) *Romanum est solis utrumque latus.* v. 135-136. 2) Inter causas, cur Romulo post Apotheosin Romani posuerint nomen Quirini tertio loco haec redditur II, 480: *Seu quia Romanis junxerat ille Cures.*

II) *Cures, etis.* Poeta in causam inquirens, *cur Galli*, Cybeles sacerdotes, Megalesiis, d. 4. Apr. Romae celebratis, *utantur Cymbalis, Berecynthio cornu inflexo itemque tympanis* h. e. instrumentis musicis ejusmodi, *qui sonitu obstrepant auribus vehementissime*, invenit eam *in studio Rheae, h. e. Cybeles, conservandi vitam Jovis filii e Saturno nati* et cura cavendi ne a patre repertus devoraretur. Hinc *tutus ut infanti vagiret ore* in Ida, Cretae insulae monte, *Curetes hoc habuisse opus et Corybantes, ut clypeos galeasque sonantes sudibus tunderent.*" v. IV, 209 - 210. Caet. de *Curetibus* v. illustr. Edit. disp. I. 9. Putant alii *Curetes* p. contr. eosdem esse qui Cretes h. e. Cretenses omnino.

Curia. I) Aedificium, in quo Senatus consilii publici habendi causa conveniebat, quodque non nisi huic usui proprium et sanctum erat. Nam sic v. c. templa quoque loca Senatui habendo haud indigna videbantur. Sic Cicero templum Jovis Statoris (v. Orat. Cat. primae Cap. 13 extr.) *munitissimum Senatus habendi locum* nominat. (v. Orat. laud. cap. I.) Romae vero non, ut in nostris civitatibus oppidis que obtinere solet, una sed plures ejusmodi Curiae Senatoriae fuerunt. Pertinent huc ratione primae hujus significationis loca Poetae 1) V, 63 - 64: *Martis opus juvenes animosaque bella gerebant — illa* (ruga senilis h. e. aetas senilis) *— consilio patriae saepe ferebat opem. Nec nisi post annos potuit tuno Curia teros; nomen et aetatis mite Senatus erat.* (Agit locus in genere de caussa nominis Junii mensis.) 2) III, 140: Simpliciter et κατ' ἐξοχήν a Scriptoribus Curia a Tullio Hostilio ad comitium in foro Romano extructa *Curia*, item, *Curia prisca* dicitur. Cicero hanc Curiam egregiis collaudat verbis cum respectu Senatus ibi habiti eam vocat: *vindicem temeritatis officiique moderatricem.* v. p. Flacc. c. 24. Verba vero Poetae sunt: *Ante tuas fit idem, Curia prisca, fores.*" H. e. Laurea cana, quae toto perstitit anno ante fores Curiae, Kal. Mart. recenti et virenti permutatur. Per inductionem ex hoc aliisque signis l. l. colligit Kal. Mart. fuisse quondam novi anni diem primum, Martiumque, quod inde sequitur, novi anni mensem primum. v. loc. omn. a v. 135 - 150. Lips. ad Tacit. Annal. XII, 24, *Curiam priscam* pro Curiis *veteribus* significatione III, β) positam putavit. Caeterum cum innumeris in locis occurrant formulae: *pro rostris dicere, in rostra adscendere, de rostris descendere*, etc., tenendum est rostris navium Antiatium Romanos suggestum concionantium, in Foro exstructum, adornasse eumque rostra adpellasse. Suggestum vero *ante Curiam Hostiliam* fuisse. v. Liv. VIII, 14. II) Curia tropice ponitur pro ipso *Senatu* II, 127: *Sancte Pater Patriae tibi plebs, tibi Curia nomen hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*" Cfr. Cic. Orat. III, 42. III) α) Pars tricesima civitatis romanae, in quas partes Romulus eam descripserat, quarumque singulis, pace foeminarum Sabinarum interventu cum Sabinis facta, nomina earum imposuit. v. Liv. I, 13. β) Quarum quidem Curiarum quaeque antiquitus habuit eadem *Curiam* eandem dictam etc. v. illustr. Op. Edit. in Not. ad II, 529 - 532 et Ernest. in Clav.

Cic. Pars populi *Curia* dicta atque aediculae partis populi cujusque *Curiae* dictae aeque recte intelligi posse videntur l. l. cujus verba sunt: *Inque foro, multa circum pendente tabella, signatur certa, curia quaeque, nota. Stultaque Pars populi, quae sit, sua curia, nescit.* (Locus de Fornacalibus agit.) Item: Forticidiorum die h. e. d. 15. April. pro pecoris foecundia agrorumque fertilitate *ter denas Curia vaccas* (mactandas) *accipit, et largo sparsa cruore madet.*" Patet luculenter igitur, vera esse, quae Varro d. L. L. V, 6. monuit: Curias templa dici posse, partim quia inauguratae sint, partim vero, quia sacerdotes (v. Ind. s. v. Curio.) res divinas ibi curarint s. sacra Curiae fecerint. Cfr. quos laudat Ernest. in Clavi sua s. v. *Curia.*

Curio. Inter sacerdotes refertur, quippe qui in Curia sua sacra faceret, ita ut *triginta Curiones* essent, quibus praeerat *Curio Maximus* v. Not. ad II, 529.

Curio Maximus. Commemoratur his verbis II, 527 - 528: *Curio legitimis Fornacalia verbis Maximus indicit; nec stata sacra facit.* Cfr. Ernest. Clav. Cic. s. v. *Curia.*

Curis, itis. *Hasta curis priscis est dicta Sabinis.* II, 477.

Curtius lacus. VI, 403. A quo Curtio dictus ita sit v. in Not. Solida fuit tellus tempore Poetae. Ibd. v. 404. Ara Saturni superstructa est loco, v. not. ad v. 403. Partem fori Romani locus omnis constituit. v. a. v. 395 - 414. Cfr. Liv. I, 13, 5.

Custos Ursae. E Graeco Ἄρκτου φύλαξ versum legitur II, 153: *Tertia nox veniat: Custodem protinus Ursae adspicies geminos exseruisse pedes.* H. e. Arctophylax (v. 190) oritur d. 11. Febr. Conspicitur tum nimirum post Solis occasum in angulo inter Boream et Eurum, parum vero super Finientem elatus. Quoque vero die altius surgens in linea orbiculari axeos coelestis, tangit mense Majo exeunte jam, circa horam undecimam noctis, circulum Meridianum Lipsiensem, qui fere idem est cum illo Romae Urbis. Addere his vero liceat: Lipsiae incolis, sub gradu latit. bor. 51Ω vicesimaque fere minuta gradus 52v parte positis, aut plane non aut per brevissimum tempus Arctophylacem ita occidere ut Finientem subeat, quod Romae aliter se habeat necesse est.

Cyane. Poeta hanc Metamorphoseon Libro quinto intexuit fabulam, vera cum fictis miscens, de ea a v. 409 - 439: Inter Sicelidas celeberrima fuit Nymphas interque Proserpinae (sec. Claudian. d. R. P. II, 61.) comites. Quae cum Plutonem Deum, a se agnitum, deterrere non valuisset a facinore raptus Proserpinae, hoc aegerrime ferens lacrymis absumta, *quarum fuerat magnum modo numen, in illas extenuatur aquas.* (Amplificandi talia cognoscere si volueris studium Poetae et per Μεριεμὸν ea tractandi cupiditatem leges eum a v. 429 - 437.) Transformata igitur ipsa in aquas *fontis* (v. 425.) et fluminis, quae petentes Syracusarum portum, antequam eum attingunt, cum Anapi aquis mixtae iunctim in majorem portum se diffundunt ita, ut *stagnum* (v. 411.) efficiant. Jam de hoc Cyanes flumine sermo est IV, 469: *Praeterit* (Ceres, omnes Siciliae angulos perquirens, num quid de filia resciscere possit) *et Cyanen et fontem lenis Anapi.*"

Cybele. Solito copiosior est Poeta in enarrandis omnibus, quae ulla ratione spectant hanc Deam ejusque cultum, cultusque rituum originem et caussas. v. L. IV, a v. 179 - 372. Huc pertinent non nisi *quae Deam ipsam* spectant. (Reliqua v. in Ind. s. v. Megalesia.) Cybele igitur est eadem quae et *Rhea* (v. 201.) et *Ops* (VI, 285.) item *Magna Dea*, (v. 194.) *Mater*, (v. 259.) porro *Mater divûm* (v. 26;) et

Idaea parens (v. 182. Ap. Liv. Idaea mater. v. 29, 10.) tandemque — *Dea Cybeleia* vocatur. Saturni fuit et *foror* (v. Met. IX, 496 - 500) et *conjux*. (IV, 201.) *Mater* vero Jovis, (203 - 215.) Junonis, Cereris et Veſtae. (VI, 285 - 286.) Iam quamquam noſtet quidem Veſtam ait eſſe eandem, quae Terra ſit, (VI, 267 - 299; atque hinc, quia terra globus ſit rotundus (v. 269 - 280.) cujus in corpore lateant diſperſa ſemina flammae, cauſſam repetit, cur templum Veſtae forma ſit rotunda (v. 280 - 281.) et cur ignis inextinctus celetur in illo, (v. 291; cfr. v. 267: ſubeſt — ſuam.) tamen Phryges certe Cybeles ſub nomine Terram intellexiſſe videntur, ita ut reſpondeatur ad quaeſtionem: cur corona caput gerat ornatum *turribus* (IV, 219 - 220.) ſeu, cur apparent *turrigera* frontem Cybele redimita corona, (VI, 321 - 322.) ita: quia Terra eſt, cui curae ſunt, quas ſuſtinet, *turrigerae urbes:* (v. Notata ad IV, 219.) Hinc factum quoque videri poſſit, ut nil niſi *lapidem rudem* Deae fecerint imaginem. (v. Liv. XXIX, 11; 7.) Pandit porro Muſarum una Poetae: *adſiduo cur Dea magna gaudeat ſono?* (IV, 189 - 215.) h. e. cur in ejus pompa, Megalenſium die feſto, h. e. d. 4. Apr. infanus cymbalorum et tympanorum audiatur ſtrepitus, curque horrendus cornuum inflexorum Berecynthiae tibiae (v. 181.) ſeu *loti aduncti* (v. 190.) lotus? Cur leones juncti ſint Deae currui? (v. 215 - 218.) Cur corona caput ſit ornatum ejusdem turrita? (v. 219 - 221.) Cur ſacerdotes Deae, Galli, ſint exſecti? (v. 221.) Cauſſam repetit a fatis Attyos ſ. Attidis, qui, pollicitus caſtitatem perpetuam cultusque conſtantiam Deae, fide fracta in furorem conjectus ſaxo acuto onus inguinis exſecuerit. Exemplum debinc miſeri imitatos eſſe ſemper ſacerdotes Deae. (v. 223 - 245.) Hinc Galli *molles* miniſtri (v. 243.) et *molli* cervice comites Deae (v. 185.) item *molles* manus eorum adpellantur. (v. 342.) (Nec unquam Romanus quisquam ſed Phryges fuerunt Deae miniſtri.) *Furor* iſta mutilatio recte vocatur v. 246, cfr. 247. Unde petita Cybele h. e. ſimulacrum Cybeles, lapis, Romam venerit docetur a v. 247 - 349. Ritus Megalenſium die uſitati eorumque cauſſae traduntur a v. 350 - 372. Tandem indulgens laſciviae ſuae, pronoad eam natura ingenio, Poeta finxit narrationem *de convivio Cybeles, cui vocati et non vocati interfuerint omnes fere Dii.* VI, 319 - 348. Finxiſſe vero narrationem videtur eo unice conſilio ut cauſſam redderet probabilem, cur Veſtalibus Romae *aſino molitorio* hic praecipuus habitus ſit honos, ut de pane monilibus ornatus (VI, 347, cfr. v. 311.) et floridis violarum ſertis (v. 479.) coronatus requieſceret ab opere verſandae et circumagendae molae. (v. 348. Coll. v. 470.) Simillimam communicaverat, diſputans *de origine ſacrificiorum cruentorum*, et expoſiturus cauſſam cur aſinus quoque *mactari* et nominatim *Priapo* coeperit, I, 391 - 440.

Cybele. Mons Phrygiae viridis. IV, 563. Cultrix montis Dea Cybele; h. e. ratione nexus: in Aſia minori non vero in Italia antiquitus cultus Cybeles floruit. v. 249.

Cyclas. adis. Κύκλας, άδος. Proprie adj. verb. foemiinni generis a Κυκλόω, circulo ambio quid, includo rem. (Sic λάμπας, άδος, a λάμπω, res, quae lucem ſpargit, diffundit.) Hinc nomen accepere *Cyclades*, inſulae maris Aegaei, quia Delum, quaſi *in medio* poſitam inſulam, cingebant orbe ἐγκυκλοῦντες. v. Plin. H. N. IV, 12. Sunt in recenſu locorum, quos Ceres terrarum pererrans orbem, ut filiam inveniret, adierit IV, 565: *Hinc init Aegaeum, quo Cycladas adſpicit omnes.* Catalogum Cycladum omnium dederunt Hygin. Fab. 276. Plin. H. N. IV, 12. Diſcrepant vero ra-

tione numeri et nominum in Catalogo, quem uterque de Cycladibus struxit.

Cyllene. Mons Arcadiae omnium altissimus. (v. Not. ad V, 82.) Nobilis α) *Panos cultu.* Hinc in catalogo locorum Areadiae, quos pererrare Pan amaverit fistula canens, commemoratur II, 276.: *Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur Arcades* etc. — *testis erit Pholoë — altaque Cyllene.* Nobilis etiam β) *Pleïdum ortu*, quas Pleione, Oceani et Thetyos filia, cum coelifero Atlante juncta, eo in monte partu edidit. v. Not. ad V, 81 - 84. Nobilis fuit tandem idem mons γ) *Majae nato* h. e. Mercurio in eo in lucem edito. Maja nimirum una eaque venustate omnium Pleïadum maxime conspicua fuit. " *Haec enixa jugo cupressiferae Cyllenes aetherium volucri qui pede carpit iter.*

Cynthius, a, um. Triplex est usus hujus nom. adj. Constituit enim epitheton nunc Apollinis, nunc Dianae, nunc vero etiam Deli insulae. (Plin. H. N. IV, 12.) *Cynthus* nimirum est mons Deliacae insulae, ubi Latona peperisse ferebatur Apollinem. V. Hymn. Hom. Εἰς Ἀπόλλωνα v. 14 - 18: χαῖρε, μάκαρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα, Ἀπόλλωνα — κραναὴ ἐνὶ Δήλῳ, πεπαλαμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον etc. It. v. 25, 26: ἦ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε χάρμα βροτοῖσι, κλινθεῖσα πρὸς Κυνθὸς ὄρος κραναὴ ἐνὶ νήσῳ, Δήλῳ ἐν ἀμφιρύτῃ. Hanc igitur ob caussam *Cynthius* simpl. dicitur a Nostro Apollo; Apollo vero pro *Sole* abs. ponitur, III, 345: *protulerit cum totum craftinus orbem Cynthius.* It. v. 361: *protulerit terris cum totum Cynthius orbem.* H. e. simpl. exorto Sole. Formulae Synonimicae eadem in narratione, de Anculi e coelo, Numa hoc a Jove impetrante, delapso, sunt v. 361: *ortus erat summo tantummodo margine Phoebus.* It. v. 367: *totum jam Sol emerserat orbem.* II) *Cynthia.* Sic Diana, Apollinis soror appellatur, quamquam a Latona non ad Cynthi montis radices aut ejusdem in jugis, sed Ortygiae, prope Ephesum (v. Strabo XIV, 948.) nata. Ab auctore Hymni in Apoll. distinguitur certe hac ratione Ortygie a Delo. Nam ita cecinit: χαίρε μακαρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες — Ἀπόλλωνα τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν, τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐν Δήλῳ. Caet. *Ortygia* tum Ephesi, cultu et templo Dianae maxime nobilitati (v. intpr. ad Act. Apostol. cap. 19. a v. 23 - 40. Cfr. Hist. et Descr. templi Dianae in Rich. Chandleri Reise in Klein - Asien i. J. 1764 - 1765. p. 169 - 199.) nomen antiquum fuit, (v. Plin. H. N. V, 29.) tum quoque insulae Deli. Virg. An. III, 124. Quomodocunque vero se res habuerit, Dianae certe quoque cognomen *Cynthiae* tribuitur. Sic enim Poeta noster: *Cynthia fertur Arionis saepe tamquam fraternis* (Apollinis) *obstupuisse modis.* II, 91 - 92. Hoc addito ad excitandam cogitationem omnibus numeris absoluti in re musica artificis cogitationem, concipere aliud mente non potuit Poeta, quo, non plus ultra iri seu contendi posse in arte, significaret.

Cythereius, a, um. Heros Cythereius h. e. Aeneas Veneris Cythereiae (v. Mitscherlich. ad Horat. Od. 1, 4, 5.) filius. Cythera insula maris mediterranei cultu Veneris nobilitata quondam, et hodie *Cerigo* dicta. III, 611.

D.

Dardanius, a, um. De caussa epitheti v. Ind. s. v. *Dardanos* et Not. ad loc. ibi laud. 1) *Montibus his* (Roma quibus postea imposita est) *olim totus promittitur orbis. — Et jam Dardaniae tangent haec litora pinus.*" (Hoc est: naves pineae Trojanorum.) I, 517. 519. (Vaticinii formam induens orationi a sefictae, et l. l. apte Carmentae tributae, de praesentibus et praeteritis loquitur tanquam futuris.) 2) „*Est via, quae*

populum (ex Urbe) *Laurentes ducit in agros, quondam Dardanio regna petita duci*" (H. e. Aeneae.) II, 679-680. (Sermo est de limitum angustiis prisci Romanorum regni, oppositis illimitatis imperii romani finibus, quales poetae fuere aetate.)

Dardanos. Stemma recensens Romuli, ut adulaturus Caesaribus cognatum faceret genti Iuliae Jovem ipsum, „*Dardanon*, ait, *Electra nescire* (Romulus) *Atlantide cretum scilicet; Electram concubuisse Jovi?*" IV, 31-32. De Dardani factis, fatis et posteris v. Not. ad l. l.

December, ris. Tempora dirigens Romulus cum in anno constituisset suo menses esse *decem*, (I, 28.) *December* in turba fuit istorum, quos *numero* rotatos voluit. (I, 42.) Jani mensem omnium primum et Februarium omnium extremum (II, 47-49.) cum Numa esse, utroque apposito, (I, 44.), jussisset, December, *undecimus* quamvis ordine factus, nomen retinuit. Mansitque inde a Romuli aevo ad nostra usque tempora nomen mensi priscum, etsi, redacto a Decemviris et Februario in secundum seriei mensium ordinem, (v. II, 53-54.) *duodecimus* isque veteris *ultimus* factus est anni mensis. Caeterum nomen simpliciter commemoratum legitur III, 47-48: „*Vester* (Faustuli et Larentiae) *honos veniet, cum Larentalia dicam: acceptus geniis illa December habet.*" Acceptum geniis fortasse hunc mensem quoque dixit propter Saturnalium per quinque ejusdem dies celebratorum indolem. v. Intpr. ad Horat. Satir. Libr. II, Sat. 1. Quis vero non verbis loci excitati ipsis excitatorum sibi conscius sit sensuum doloris, cogitatione jacturae, quam fecimus, injuria temporis, cum posteriores sex Fastorum libri nobis erepti sint. Damnum vero aegrius etiam ferendum videtur, cum adhuc utamur digestis a Romulo, Numa, Decemviris et Caesare temporibus.

Delphin, inis. 1) Pars piscis marinus, dorso curvo, qui crebro e mari exsilire atque natans exsultare soleat. Quemque piscem a Linnaeo Delphinum Delphin a Nostratibus vero *der Tummler* dici solere monet illustr. Fastor. Edit. ad Metamorph. II, 265. Quo loco de piscium hoc genere proprie sic dicto legitur: *Nec se super aequora curvi tollere consuetas audent Delphines in auras.* 2) Cur vero factum sit ut *astrum* hoc nomine insigne fieret, tanto minus neglexit Poeta noster commemorare, cum sic opportunitatem sibi oblatam videret aras variandi et distinguendi operis Fastorum texta, interferendo *fabulam de Arione Musico, Delphinis, piscis marini, interventu servato* et hinc eadem occasione illustrandi ornatu poetico incredibilem, quam Musices ars in ferocissimis inprimis exercat animis, vim et efficaciam. v. II, 80-118. Jam propter *factum illud pium* servati Arionis (v. 117.) a Jove remuneratus ita dicitur Delphin, *ut astris eum reciperet et stellas habere juberet novem.* v. II, 117-118. Caeterum hoc coeli sidus, quatuor inprimis stellis, non longe ab *aquilae* micantissima stella et juxta quidem orbem lacteum, *quadri forma* conspicuum est, decemque fere distat gradibus ab Aequinoctiorum linea, in parte globi coelestis boreali situm. Jam loca addamus ubi ordine temporis annui mentio fit vel ortus vel occasus siderei Delphini. α) „*Interea Delphin clarum super aequora sidus tollitur et patriis exserit ora vadis.*" I, 457-458. *Dies* est ortus nonus mens. Januar. et *ortus* ipse *cosmicus.* v. Not. β) „*Quam modo caelatum stellis Delphina videbas; is fugiet visus nocte sequente tuos.*" II, 79-80. *Nox* est, quae diem Februarii tertium sequitur et *occasus* est *heliacus.* v. Not. γ) *Navita puppe sedens:* (h. e. gubernator navis. v. Cic. in Epp. ad Div. IX, 15: sedebamus in puppi et clavum, scil. gubernaculi, tenebamus etc.) *Delphina vide-*

bimus, inquit, humida cum pulso nox erit orta die. VI, 471 - 472. (H. e. d. 10. Jun.) 3) *„At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis — tollet humo validos proles Hyrtea lacertos: continua Delphin nocte videndus erit.“* VI, 727 - 730. (Sensus: post solis occasum una eademque nocte, diei 17. Jun., orietur et Orionis et Delphinis astrum.)

Denarius numerus. Cur in honore fuerit praecipuo apud veteres Romanos, rationes redduntur probabiles III, 122 - 126. Quae fuerint instituta Romuli, unde agnosci possit honor numero denorum habitus v. eod. in libr. v. 127 - 132. Hinc nominatim adsuetos servavit in anno numeros v. 133.

Dialis, e. Quum notio subjecta vocabulo huic sit, *quisquis aut quidquid ulla ratione ad Jovem pertinet*, causa notionis ex notatione repetenda erit. Juxta hujus veri leges formata vox recte dici posse videtur e Graji sermonis nomine Δίς, Διός, Jupiter, Jovis. Confirmatur sententia nostra judicio Poetae *de vocabulis graecis jure Latii seu Latinitate donatis*, eoque Historiae documentis et monimentis confirmato IV, 63 - 80. A Nostro commemoratur *Flamen dialis* aut *Dialis* simpl. h. e. sacerdos Jovis, isque Jovi proprius. 1) *His etiam conjux apicati cincta Dialis lucibus* (h. e. d. 1. et fortasse 2. quoque Mart. quibus Salii Martis agebant festum. v. III, 259 - 399.) *impexas debet habere comas.* III, 397 - 398. v. Not. 2) „(De Idibus Junii nuptiis aptis.) *Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait: donec — purgamina — e Vestae templo detulerit — in mare — Tibris.* (h. e. ad d. 15. Jun.) *non mihi detonsos crines depectere buxo — licet — quamvis Jovis ille sacerdos, quamvis perpetua sit mihi lege datus.“* VI, 226 - 232. Permutatum igitur legis nomen *Dialis* cum nomine *Jovis sacerdotis.*

Dictynna. Cognomen Dianae VI, 755. Cfr. Met. II, 461. Quo loco docetur in Nota a *δικτύοις* ita dictam esse, quia comitum unam suarum *e retibus* servaverit. At secundum sententiam aliorum, quos illustr. Fastor Edit. laudavit ad L. III, v. 81, Diana, Delo, ubi adoleverat, relicta inque Cretam profecta *Dictynnaeum* montem sibi delegerat, ita ut cognomen *Dictynnae* a sedis hujus suae nomine repetitum acciperet.

T. Didius. Gaesus a Marsis bello sociali a. U. c. 664, d. Jun. 11. v. VI, 567 - 568. At qua laboret mendo locus, interpres te docebit summe reverendus in nota ad v. 567.

Didyme. Insularum, quae ab Aeolo nomen habent, una. v. not. ad. IV, 475. Est vero in Catalogo locorum Siciliae l. l. quae, filiam raptam quaerens, Ceres vel adierit vel praeterierit.

Dindymos, i. lt. Dindyma, orum. Mons in confinio Galatiae et Phrygiae, Cybeli sacer. Hinc Erato, Aonia Camena, *„Dindymon — inquit, semper Mater amavit.* v. IV, 249 - 250. Virg. Aen. X, 252: Alma parens Deûm, cui Dindyma cordi.“ 2) Attis, puer Phryx fide fracta, quam, se semper puerum esse velle, Cybeli jussus dederat — *furit et — cursu Dindyma summa petit.* IV, 233 - 235. Forma vocab. *Dindyma, orum*, juxta Graecum τὰ Δίνδυμα ὄρη efficta est.

Dido. Exstructis in sua fata (h. e. fato invito, quippe quod longiorem ipsi decreverit vitam.) rogis arserat. III, 546 cfr. de eadem v. 545 - 550. Syn. Elissa v. 553. Caet. cfr. Ind. s. v. *Anna.* Nam in Episodio Lib. III, 543 - 656. partes habet primas haec Didonis soror. Didus ipsius mentio fit non nisi obiter et propter intimum et naturalem historiae utriusqun nexum.

Dies. De jure et officio huic vel illi diei proprio, (v. 45, 46.) s. de eorum discrimine v. I, 45 - 62. 1) fasti v. 48. 2) nefasti v. 47. 3) mane nefasti; per reliquum diei spatium fasti v. 49 - 52. (Halbe Fest- oder Feiertage.) 4) Comitiales v. 63. 5) Nundinales v.

54. f. ſimpl. Nundinae v. 54. 6) Kalendae v. 55. 7) Nonae v. 57. 8) Idus v. 56. 9) poſtridvani v. 57 - 60. De ſingulis quaedam propria in genere notantur, quae ſemel dicta valent per totum opus v. 61, 62. *Dies anni prima.* (Der Neujahrstag.) I, 166. (Syn. *Kalendae Jani* v. 175.) Memorabilia, quibus ea Romae celebrata est, earumque cauſſae enarrantur I, 63-89. et I, 165-226. *Dierum Latinorum vatem* i. e. Faſtorum Poetam a Diis blande compellari ſe jubet III, 117.

Dione, i. e. Venus cum Cupidine parvo in Palaeſtinae ſedit margine aquae h. e. ad Euphratem. II, 461—464. Aliis *Dionе* eſt mater Veneris. Apollod. Bibl. I, 3: Ζεὺς — ἐκ Διώνης γεννᾷ Ἀφροδίτην. Claud. Rapt. Prof. III, 433: *Sic Venerem quaerat deſerta Dione.* Cfr. omnino Cic. d. N. D. III, 23.

Dodonis, idis. Idem quod *Dodonaea*, foem. formae adj. Dodonaeus, a, um. Eſt epitheton *Thyenes* Hyadum de grege unius. v. VI, 711. Cum *Dodonides Nymphas* dixerit has Hygin. etiam Fab. 182, patet fuiſſe qui *Jovis* non Bacchi nutrices eas habuerint, cujus ab oraculo Dodonaeo cognomen forte acceperint. Sic Schellerus etiam interpretatus eſt hoc epitheton in Lexico ſuo. Dodona oppidum et lucus Epiri, (hodie: Arnaut od. Albanien, militum fortitudine ſuorum nuper nobilitata terra.) Oraculo Jovis antiquiſſimo nobilis fuit. De quo quidem oraculo Dodonaeo in Odyſſea Homeri haec leguntur: Τὸν (Ὀδύσσεα) δ' ἐς Δωδώνην φάτο (ſcil. Phidon Theſprotiorum h. e. Epirotarum rex.) βήμεναι, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ etc. v. Od. XIV, 327. Reliqui Hyades *Nyſeidas Nymphas*, (v. Noſtr. III, 769. Metam. III, 314.) Bacchi nutrices, fecere. Apollod. III, 4, 5: Διόνυσον δὲ Ἑρμῆς πρὸς Νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νύσῃ τῇ Ἀσίας κατοικούσας, ἃς ὕσερον Ζεὺς καταστερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας. (Cfr. verba Noſtri V, 167: *Pars Bacchum nutriſſe putat* etc.) Quod vero attinet ad verba loci noſtri VI, 711 - 712; *Tertia lux veniat, qua tu, Dodoni Thyene, ſtabis Agenorei fronte videnda bovis,*" haud equidem negaverim ſenſum eſſe omnino hunc: Hyades (cfr. Fiſcher. Ind. ad Aeſchin. Diall. f. v. Ὑάδες.) ortas matutino ante ſolis ortum iterum conſpicies d. 15. Jun. — At ſi *ſolam* Thyenem non *ſine cauſſa idoneа* l. l. commemoratam putem, abeſtrare a vero mihi equidem non videor. Rerum coeleſtium guari norunt nimirum, Hyadum ſtellas circumpoſitas eſſe *ſtellae et nitore et colore inſigni*, cui Arabes nomen Aldebarani fecere, Noſtri vero Tauri oculum dixere. Quam *Palilitiam* a Doppelmaiero dictam ſtellam (ſecutus eſt hac in re Plinium H. N. XVIII, 26; qui tamen Hyades omnes *Palilitium ſidus* vocat.) ſi nominatim a Noſtro notatam nunc ajam, quaeſitam cauſſam idoneam inveniſſe mihi videor, cur *Dodonida Thyenen* diſtertis poſuerit verbis pro caeteris Hyadibus.

Doris, idos. Oceani filia etc. v. not. ad IV, 678. ubi leges cur: *Dorida nocte petere* idem ſit de ſtella vel aſtro quod: occidere.

Draconigena. Mater (Nephele) draconigenam deſilit in urbem. (Thebarum in urbem.) III, 865-866. v. not.

Drepanum. „*Liquerat* (Ceres) — *quique locus curvae nomina falcis habet.* IV, 474. Agnoſcendum eſt Ἀνακόλυθον conſtructae orationis. Nam eſſe debebat: liquerat locum, qui etc. Jam cum δρέπανον falcis ſit nomen graecum, *Drepanum*, Trapani nomine adhuc florentem urbem intelligere mallem l. l. quam Meſſanam, cujus nomen priſcum *Zancle* falcem quidem etiam denotat, (ζαγκλη, falx.) at quod vel Poetae tempore jam interierat.

1) *Druſus.* Tiberii imperatoris *frater*, Liviae e priore marito filius, quatuor expeditionibus Germanicis nobilitatus. Ad hunc pertinet locus I, 597 - 598: *Et mortem et nomen Druſo Ger-*

mania fecit. Me miſerum, virtus quam brevis illa fuit! (Cfr. praeter Not. ad l. l. Martini Erneſti in libello, cui titulum fecit: Verſuch eines geogr.-hiſt. Wörterbuchs z. Gebr. d. Tacit. Inprimis vero huc pertinet ejusd. Disput. Von den Germaniſchen Feldzügen der Römer. (Quae quidem diſput. ad calcem ſubjecta eſt lib. laud.)

2) *Druſus.* Tiberii imperatoris *filius* naturalis et legitimus; Germanici vero, cui hoc Poeta Faſtorum opus ſcripſit quique Druſi proximo ante loco commemorati filius fuit, *frater* per adoptionem *patrui* h. e. Tiberii imperatoris. Hunc Druſum ſpectat Poeta in loco I, 11-12: Quaeque ferunt illi pictos ſignantia Faſtos, Tu quoque *cum Druſo* praemia *fratre* feres.

E.

Echidna. „*Sanguine Centauri* (Chironis, Achillis magiſtri, vulnerati caſu ſagittae veneno delibutae) *Lernaeae ſanguis Echidnae mixtus ad auxilium tempora nulla dabant.*“ V, 405-406. Palaeph. Fab. 39. Τὸ φάρμακον Echidnam ſimpl. dixit, addiditque: ὅτι Λερναῖος ὄφις ἦν. v. Fiſch. Fertur habuiſſe quinquaginta capita, corpus unum. Caelae cruore, veneni vim habente, tinxerat, ut e loc. noſtr. patet, Hercules tela ſua. Periere vero ſanguine Echidnae Chiron, Neſſus, et Hercules tandem ipſe. v. Not. ad l. l. Neſſus nimirum perierat ictus ab Hercule ſagitta cruore Echidnae imbuta; ipſe vero peribat cruore ſic venenato Nelli. Nam τῆς ὕδρας ἰὸς τὸν χρῶτα (Ἡρακλέους) ἔσηπε. v. Apollod. II, 7. *Lerna* vero erat ſ. palus (ἕλος. Apollod. II, 5. Qui quidem discrepans, a Palaeph. l. l. ait: εἶχε δὲ ἡ ὕδρα ὑπερμέγεθες σῶμα, κεφαλὰς ἔχον ἑννέα· τὰς μὲν ὀπτὼ θνητὰς, τὴν δὲ μέσην ἀθάνατον.) ſ. fons Peloponneſi et in finibus quidem Argivorum.

Eetion, onis. Coeleſtum Matrem h. e. Cybelen a Romanis Pellinunte, Phrygiae urbe, arceſſitam *concava puppis habet* h. e. navis. Navi provecta tranſit — et *veteres Eetionis opes.* IV, 280. v. loca ex Hom. Iliad. in Not. laudata. Loc. alt. eſt VI, 414-420. *Veteres* Eetionis opes dicuntur ob everſum ab *Achille* (qui Eetiona ipſum quoque interfecit. v. Iliad. VI, 416.) Thebes oppidum, cujus et Cilicum, qui id incoluerant, rex fuerat. (Man verſtehe die Küſtengegend Natoliens oder der Levante von der Inſel Tenedos ſüdwärts gegen Smirna hin gelegen.) Caet. cfr. illuſtr. Heyne ad Virg. Aen. IX, 697.

Egeria. Numae conjux, conſiliumque III, 262 et 276. Hinc ſimpl. *ſua* Egeria, Nympha v. 261-262. Dea grata Camenis v. 275. Operata nemori ſtagnoque Dianae. v. 261. v. not. Fons Egeriae (v. 276.) ſeu ipſa Egeria in fontem ſecundum fabulam mutata (v. not. ad v. 273 et loc. ibi laud.), e quo defluebat incerto lapidoſus murmure rivus. (v. 273.) Erat in nemore ſeu ſilva (v. 263. cfr. v. 266.) Dianae, qua ſtagnum ſeu lacus (v. 261. cfr. v. 264.) ejusdem praecingebatur. Utrumque et ſtagnum et nemus ſitum erat in valle Aricina v. 263. v. ibi not. E loc. claſſ. Juvenal. II, 11-20. patet propius a Porta Capena atque adeo Urbe, quam ab Aricia oppido abfuiſſe fontem Egeriae ſacrum (v. 13.) cum nemore (v. eod.) ſeu ſylva, (v. 16.) et, quod inde ſequitur, ipſam quoque vallem. (v. 17.) Indignatur Juv. eſſe ſumtuoſa artis manu naturam loci ingenuam expulſam, et avaritiam P. R. omnem juſſiſſe ejusdem loci arborem mercedem pendere, itemque delubra locare Iudaeis, quorum cophinus ſit foenumque ſupellex. Paucis liceat monere qualis hodiernus ſit loci conſpectus, quod verbis faciam teſtis oculatae. „Nahe bey dem Capeniſchen Thor, jetzt San Sebaſtiano, ſteht der Triumphbogen des Druſus, Bruders des Tiberius. Etwas entfernt ziert das ſchöne Grabmal, der runde Thurm der Cecilia Metella, *die Ebene*,

und *eine halbe Miglia* davon erheben ſich *die kleinen grün bebüſchten Hügel*, unter welchem *die Quelle Egeria* hervorkömmt. M. ſ. Wielands Deutſch. Merk. v. Junius 1799. Caet. Cic. p. Mil. 19 regionem illam circa Portam Capenam et viam Appiam adpellat „*latronum occultatorem locum*" item: „inſidioſam et plenum latronum locum." Caet. ad plenam ſi quis adſpiret et perſpicuam cognitionem omnium vallis Aricinae Memorabilium conferat ille, praeter locum III, 261-276, libr. VI, 733-762. It. Virg. Aen. VII, 761-782, atque ad h. l. illuſtr. Heyne.

Electra. Romulus revoluta quaerens ſaecula, ut ſtemma ſtabiliret ſuum, cognatum invenit ſibi et Jovem ipſum. Nam „*Dardanon Electra neſcirет Atlantide cretum ſcilicet, Electram concubuiſſe Jovi?* IV, 29-32. v. Not. 2) Septem inter Pliades, h. e. ſtellas in dorſo Tauri poſitas, cum eſſet Electra, dubitatum eſt, cum una lateret, ipſane eſſet an Merope. Cauſſam, ipſa ſi *ſit* quae non conſpiciatur, refert Poeta hanc IV, 177-178: *Sive quod Electra Trojae ſpectare ruinas non tulit; ante oculos oppoſuitque manum.*

Elegus, i. Supplendum eſt ſemper aut *verſus*, aut *pes* aut *numerus*. *Quid volui demens Elegis tantum imponere pondеris?* heroï res erat iſta pedis. II, 125-126. *Carmen alternum* Elegos nominaverat v. 121. v. not. 2) Feralium ſeu Parentalium (v. Not. ad II, 533. item ad 548.) ſollennium finem notat *numero pedum carminis elegiaci* ita: *Nec tamen haec ultrà*, (faciunt corpora functa ſepulcris i. e. Manes, ut errent et paſcantur cibo.) quam tot de menſe ſuperſiint Luciferi, *quot habent carmina noſtra pedes.* II, 567-568.

Eleuſin, inis. „*Fors ſua cuique loco eſt. Quo nunc Cerealis Eleuſin*, dicitur, *hoc Celei rura fuiſſe ſenis,*" IV, 507-608. Eleuſin erat Atticae oppidum (in der jetzt Livadien genannten Provinz der europäiſchen Türkey.) in quo Ceres templum habebat cum Proſerpina et religioſiſſime colebatur. (Sacra in honorem Proſerpinae celebrata τὰ μικρὰ et his initiati Μυσται, ſacra vero in honorem Cereris celebrata τὰ μεγάλα et his initiati Ἐπόπται vocabantur. Quemadmodum apud noſtrum a Cerere locus vocatur *Cerealis*, ſic a loco Ceres dicitur *Eleuſinia*, ἡ Ἐλευσινία ab Aeſch. in Axioch. ac. v. Fiſcher. partim in nota ad v. ἐνάυσασθαι part. in Ind. ſ. vocabb ἡ Ἐλευσινία et *Myſtae*. De Myſteriis porro praeter notiſſimum Meurſii opus cfr. Barthelemy R. d. jüng. Anach. V. p. 422-459. verſ. vernacul. Bieſteri. It. Conr. Mannert in opere: Geſch. d. unmittl. Nachf. Alex. d. G. p. 250. Etiam b. Morus ad Iſocr. Paneg. VI-VII.

Elicius. Sic Jupiter adpellatur, quatenus eliciunt eum arte, h. e. *deducunt* (v. 317. 321.), *trahunt* (v. 324.) coelo; III, 327. Jovi Elicio Numa aram in Aventino dicaverat. v. loc. Liv. in Not. laudat. Continet locus Poetae narrationem exempli, Jovis *ab arte e coelo in terras deducti* reſpondentisque roganti Numae ambagibus, quarum ambiguum hic ſenſum mira mentis ſagacitate recte illico capit et breviſſimis interpretatur verbis, v. a v. 327-349.

Eliſſa. Alterum Didus nomen. Cujus quidem urbe cum, poſt fata miſerae, Maurus larba potitus eſſet, vanae accenſus vindictae ſtudio, memor ſe quondam ſpretum ab ea, ignominiae labe gloriatur ſe jam contaminare memoriam foeminae his verbis: *Thalamis tamen, inquit, Eliſſae en ego, quem toties repulit illa, fruor.* III, 553-554.

Eos, ois. Inter formulas multiplices quibus, mira uſus varietate, nudum hoc et ſimplex enunciavit Poeta: poſtero die ſ. poſtridie, biduo intermiſſo, it. tertio die ſ. poſt triduum, ſunt etiam hae III, 877: *Tres ubi Luciferos ventens praemiſerit Eos* h. e. proprie? poſtquam ter conſpicien-

dam se praebuerit *mane* stella Veneris erratica i. e. ubi tres praeterierint dies. 2) *Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos;* h. e. postero die. IV, 389. Eos utroque in loco est Dea ῥοδοδάκτυλος. Homeri.

Epeus. (Trium Syllabarum nomen. Nam graecum est Ἐπειός). Equi Trojani fabricator. Hom. Iliad. VIII, 492-493: Ἀλλ' ἄγε (Demodocon, ἐρίηρον ἀοιδὸν alloquitur Ulysses) δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησε σὺν Ἀθήνῃ etc. h. e. Palladis arte. (Virg. Aen. II, 15.) Hinc Poeta noster alloquutus omnes, *qui ullo artium genere* excellere velint, gravissimis cohortatur verbis ut Pallada Quinquatruum praecipue Festo, d. 18. Mart. celebrato, religiosissime et studiosissime colant (III, 815-835). Nam: „*et licet*, inquit, quisquam *antiquo manibus collatus Epeo sit prior: irata Pallade mancus erit.*" V, 825-826.

Epitos. Ascanii s. Iuli, Albani conditoris regni, pronepos, Livio Atys, Dionysio Capetus dictus, de quo noster referens stemma Romuli, a Jove et Electra repetitum, (IV, 29-60.) „*proximus est*, inquit, *titulis Epitos, Alba, tuis.*"

Eques, itis. Collective positum legitur apud Nostrum pro *ordine equestri* inter Plebem et Senatum medio. 1) „*Sancte Pater patriae, tibi Plebs, tibi* (Augusto.) *Curia nomen hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen Eques* i. e. Equites. II, 127-128. *Nos*. Nam Ovid. de sua vita agens Trist. IV, 10, 7-8: Siquid, inquit, et a proavis usque est vetus ordinis heres, non modo Fortunae (ego sum) munere factus eques. 2) „*Omnis Eques, mixtaque gravis cum Plebe Senatus obvius* (Berecynthiae s. Deorum matri, Cybelae, e Phrygia classi in Italiam vecta) *ad Tusci fluminis ora venis.* IV, 293-294. Cfr. Not. illustr. Edit. ad v. 383. 3) Equites diversi ab his fuerunt Romuli, *quorum quisque legitimo merebat equo*: v. III, 130. Adjunxerat nimirum cuique legioni, quae tribus constabat millibus peditum, trecentos equites, qui *equo publico* merebant, v. Not. ad v. 130. Per se de auctoritate *numeri denarii* l. l. sermo est et inde repetita caussa, cur Romulus annum in decem discreverit menses.

Equiria. Scilicet *sollennia*. Bis anno quoque celebrari in honorem Martis solita equorum cursu et equis currui junctis. Et primum quidem III. a. Kal. Mart. h. e. d. 27. Febr. v. II, 857-860. v. not. Iterum vero Prid. Id. Mart. s. d. 14. Mart. v. III, 517-522. Romulus ea instituit v. not. ad II, 857. Locus eorum habendorum fuit campus Martius. Quem vero si Tibridis exundatae forte tenerent aquae, locus in monte Coelio iis celebrandis delectus est. v. III, 521-522. Caet. „*ex vero positum mansisse Equiria nomen*" monet Poeta II, 859. Ab *equorum* agitatione igitur tenuere nomen suum.

Erato, us. Musarum, quae a Nostro *neptes Cybeles* (IV, 191.) item *Heliconis alumnae* (v. 195.) dicuntur, una. Ipsa nec alia curae adest scitantis, non sine caussa idonea: Nam mensis Cythereius (h. e. Aprilis, Ἀφροδίτης) illi cessit, *quod teneri nomen amoris habet* (v. 195-196.) Sic etiam d. Art. Am. II, 16: *Nunc Erato* (fave): *nam tu nomen amoris habes.* (Ab ἐρᾶν amare nomen accepit.) 2) Substitit hic Erato. Mora fit, si caetera quaeram. IV, 349.

Erechtheus, a, um. *Et dederat fratri* (Zephyro) *Boreas jus omne rapinae, ausus Erechthea praemia ferre domo.* V, 203-204. Sunt verba Florae raptam se a Zephyro verno quondam tempore narrantis. *Erechthea domus* ab Erechtheo sic dicta, Pandionis filio, cujus temporibus (2440-2470.) frumenti sationem Triptolemum invenisse volunt. (v. Just. II, 6.) Reliqua vid. in Not.

Erichthonius. Eſt in ſerie regum Trojanorum ſecundus, Dardani filius, Trois pater, Ili nepos (Qui Trojae Iliove urbi nomen dedere) itemque Aſſaraci et Ganymedis. v. notata ad IV, 33. Quo quidem loco Poeta agit *de cauſſa* (20-130) cur Romulus *Aprilem* menſem anni ſui *ſecundum* eſſe voluerit et de *argumentis*, quae *arguant* a Venere menſem accepiſſe nomen Aprilis. Quod cum ita eſſet, hoc fuiſſe in cauſſa cur Romulus *ſecundum ordinem* allignaverit huic menſi in reliquorum turba.

Erigoneius. V, 723: *Nocte ſequente* (d. X. a. Kal. Jun. h. e. d. 23. Maji) *diem canis Erigoneius exit. Eſt alio* (Faſt. IV, 935-942. Quo loco *canis Icarius* dicitur.) *ſigni reddita cauſſa loco.* Canis Erigones, Maera nomine, virgini necem patris Icarii ſignis indicaverat. Qua comperta cum prae moerore vitam ſuſpendio finiiſſet, ipſa ſub nomine Virginis, Maera canis ejus ſub illo Caniculae ſ. canis minoris, (Procyonis) et pater Icarius ſub nomine Bootae inter ſidera relati ſunt. v. Not. ad IV, 936. Canem majorem et. minorem nec ſatis accurate diſtingui et promiſcue iisdem aeſtus effectus tribui, obſervatur Ibd.

Erytheis, idos. 1) „*Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros emenſus longi claviger orbis iter.*“ I, 543-544. 2) *Victor abit ſecumque boves, Erytheida praedam, abſtrahit. At comites longius ire negant.* V, 649-658. Priori loco de Herculis reditu ex Hiſpania et adventu in Italiam, poſteriori de abitu ejusdem ex Italia in Graeciam agit Poeta. Cur boves Geryoni regi erepti *Erytheides* dicantur, v. in not. ad loc. prior. Apollod. II, 5: Ἐρύθεια δὲ ἦν Ὠκεανὸ πλησίον νεμόμενη νῆσος, ἣ νῦν Γάδειρα καλεῖται. Putant intelligendam eſſe peninſulam, in qua poſitum eſt hodie emporium Hiſpanorum celeberrimum, quod Gades a Romanis nominabatur, nunc Cadiz Hiſpanis vocatur. Herculem templum ibi habuiſſe teſtatur loc. Suet. Caeſ. 7.

Eryx, ycis. Mons Siciliae Favonio obverſus isque altiſſimus. 1) Ceres adit, filiam requirens, *Heloria Tempe, quaque patet Zephyro ſemper apertus Eryx.* H. e. Siciliam, qua parte vergit ad occidentem ſolem. IV, 478. 2) Templum *Veneris Erycinae* Collinae proximum portae *a Siculo nomina colle tenuit.* H. e. ab Eryce monte. IV, 871-872. 2) Aliud ejusdem Veneris templum priori antiquius deinceps commemorat ibd. v. 873-875: *Utque Syracuſas — abſtulit armis Claudius, et bello te quoque cepit, Eryx: Carmine vivacis Venus eſt translata Sibyllae; inque ſuae ſtirpis maluit urbe coli.* Attente legas quae illuſtr. Op. Edit. monuit de diſcrimine utriusque templi ad l. l. Virg. Aen. V, 759-760: Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes fundatur Veneri Idaliae ab Aenea. (Trojani igitur laudantur conditores templi.)

Esquiliae, ſive *Exquiliae*, item adj. *Esquilius mons* (Liv. I, 48; *collis Esquiliarius.* 1) De ſitu hujus montis conjectura facilis eſt e loco Poetae de Quinquatrubus minoribus a tibicinibus in honorem Minervae d. 13. Jun. celebratis VI, 651-710. Tibicines nimirum offenſi cum, Roma relicta, Tibur receſſiſſent, inde arte reducti fuiſſe leguntur ita ut plauſtris ſublati et vecti *per Esquilias*, omnium neſcii ipſi rerum, *Romanam ingrarent urbem et mane in medio plauſtra eſſent foro.* v. 679-684. Jam cum Tibur locus ſit adhuc clarus nomine priſco in nomen *Tivoli* mutato, *de ſitu* Esquiliarum, et ubi ſint hodie quaerendae, dubitari non poteſt. 2) De nomine, ingenio et memorabilibus montis haec leguntur. α) Ab *excubiis*, quas eo in monte Romulus, ut ſe ſuosque tutos praeſtaret ab inſidiis Titi Tatii, ſeu, ut Noſter loquitur, quas Romani in regis ſui commodum ibi egerint, nomina habuiſſe collem *Exquilias* ſubobſcure innuit Poeta III, 245-246; docuerant

vero ante eum alii. v. Not. ad l. l. Conſtabat duobus verticibus, quorum *Cispius* alter, alter Orbius ſ. Urbius ſ. *Virbius*. (v. Liv. I, 48.) β) *Monte ſub Esquilio, multis incaeduus annis, Junonis magnae nomine lucus erat*, II, 435-436. Quod quidem de tempore Romuli valet. Junonis *Lucinae* (Cauſſa cognominis vel a *luce vitae data* vel a *luco*. v. II, v. 449 - 450.) Oraculum eo in luco tum fuiſſe patet e v. 449-452. Cujus quidem reſponſum medebatur ſterilitati raptarum Sabinarum. v. loc. a v. 425 - 452. *Hinc tempora jure coluerunt Latiae fecunda parentes* (h. e. Martis menſem. v. 243.), ita, ut *Kalendis Martiis* publica facta (III, 248.) aede Junonis Lucinae (III, 203.), quae colli Esquiliarum et vertici quidem ejusdem Cispio dicto inaedificata erat, eadem eum Junone matre die Martem filium colerent. (v. 229 - 230.) γ) Ipſe (Servius Tullius) *ſub Esquiliis*, ubi erat regia ſua, *caeſus concidit in dura ſanguinolentus humo*. VI, 601 - 602. (Cum regia Tullii ibi eſſet, patet, cur poſt caeſum patrem in collem Esquiliarium, rediens e foro, evecta ſit filia ſcelere parricidii contaminata. v. Liv. I, 48.) Caet. huic monti inculto, ut videtur, et contemto diu relicto meliorem Horatii tempore ſpeciem induiſſe legitur Maecenas. Nam Sat. I, 8, 14 ait: *Nunc licet Esquiliis habitare ſalubribus, atque aggere in aprico ſpatiari*. Novos fecerat ibi hortos (v. 7.) Maecenas, ubi „*prius anguſtis ejecta cadavera cellis conſervus vili portanda locabat in arca et miſerae plebis commune fuerat ſepulcrum*.“

Euboicus, a, um. Quisquis, quaeque, quidquid ad Euboeam ulla aliqua ratione ſpectat, pertinet. Euboeae inſulae. Euripo h. e. freto chalcidico a Boeotia diremtae, una cum urbibus, quibus celebris fuit, ſuis, mentio antiquiſſima fit in Catalogo Homeri navium, populorum et ducum Graeciae ſuſcipientis expeditionem contra Trojanos. Iliad. II, 536-545. Jam cur Poeta noſter hoc ſimplex; *Decemviri libros Sibyllinos conſuluerunt*, ornate his extulerit verbis: *Carminis Euboici fatalia verba ſacerdos inſpicit*, (IV, 256 - 257.) v. expoſit. in Not. ad l. l. Virg. Aen. V, 2: *Euboicis Cumarum adlabitur oris*. Cfr. ad h. l. Heyn. Cumae vero nominatim fuerunt colonia Chalcidenſium. Chalcis autem caput urbium Euboeae. Euſtath. ad Hom. l. l. v. 537: Χαλκίδος ἄποικοι καὶ ἕτεροι μὲν, καὶ οἱ ἐν τῇ Κύμῃ δὲ τῆς Σικελίας (i. e. Graeciae magnae. Hinc adhuc titulus: Rex *utriusque* Siciliae) Χαλκιδεῖς. Add. Heyn. Opuſc. Vol. II. p. 266 ſq. Caet. ea inſula, quae nunc *Negroponte* vocatur, quamque Veneti ab expeditionum, a Cruce divi ſacrorum noſtrorum conditoris dictorum, tempore tenuerant, prima iisdem erepta eſt a Turcis a. C. 1477.

Euphrates. Herod. I, 180: Ἐστεῖχιστο μὲν νῦν ἡ Βαβυλὼν τρόπῳ τοιῷδε. (v. c. 179.) Ἔστι δὲ δύο φάσσα τῆς πόλιος. Τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ποταμὸς διείργει, τῷ οὔνομα ἐστὶ Εὐφρήτης· ῥέει δὲ ἐξ Ἀρμενίων, ἐὼν μέγας καὶ βαθὺς καὶ ταχύς· ἐξίει δὲ οὗτος ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν. (H. e. in ſinum Perſicum exit. Cfr. Curt. V, 1. Qui idem: per Babyloniorum fines *in rubrum mare* prorumpunt ſcil. Tigris et Euphrates, junctis ante uno alveo utriusque aquis.) Xenoph. Cyrop. VII, 5, 8: Καὶ ὁ Χρυσάντας εἶπεν· ὁ δὲ ποταμὸς, ἔφη, οὗτος (Euphrates) οὐ διὰ μέσης τῆς πόλεως ῥεῖ, πλάτος ἔχων πλεῖον ἢ ἐπὶ δύο στάδια; Ναὶ μὰ Δί, ἔφη ὁ Γωβρύας· Καὶ βάθος γε, ὡς οὐδ' ἂν δύο ἄνδρες, ὁ ἕτερος ἐπὶ τοῦ ἑτέρου ἑστηκώς, τοῦ ὕδατος ὑπερέχοιεν· ὥστε τῷ ποταμῷ ἔτι ἰσχυροτέρα ἐστὶν ἡ πόλις (Babylon.) ἢ τοῖς τείχεσι. Caet. noſtris temporibus non menſis facile anni praeterierit, quo non Anglo-Britanni vel ad mer-

ces importandas (Indiae et Europae) aut exportandas navigiis Euphratis oftia petant. cum *Basra* et *Bagdad* celeberrimae regionis iftius urbes opportunitatem Anglis inprimis praebuerint emporiorum condendorum. (Factoreien und Comptoirs zu errichten. Euphratis amnem praeterea auctor narrationum de primo humani generis ortu rebusque antiquiffimis ab eodem geftis omnium maxume memorabilem fecit deligendo eum *monumentum perenne*, ex quo vellet ſemper et ubique agnoſci poſſe loca, quae prima hominum recens creatorum ſedes ex ſua opinione fuerit et unde propagatum ſit paulatim per omnem globi terreſtris ſuperficiem genus humanum. v. Geneſ. II, 14. Cfr. loc. de *Babele* h. e. Babylone Geneſ. XI, 1 - 10: Immo interpretum adeo plurima pars (v. Roſenmülleri, viri ſumme venerandi. Scholia ad Geneſ. XIV, 13.) putavit Euphratem praebuiſſe cauſſam, cur Abrahamum Cananaei *Hebraei* cognomine illuſtrem fecerint ſuis in terris, quippe cui, immigraturo in terras *Mercatorum*, (Cananaeorum) relicta Aſia ſuperiori *tranſeunda* fuerant Euphratis fluenta. A Poeta noſtro amnis iſte nobiliſſimus bis commemoratur. 1) I, 341: *Tura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum.* Scil. in Italiam, nominatimque Romam. H. e. nondum pretiolis utebantur ſuffimentis, quaeque longinquis e regionibus petita eſſent, ad Deos placandos. 2) II, 463 - 464: *Venit ad Euphratem* (Dione h. e. Venus, quam Typhon Gigas perſequebatur) *comitata Cupidine parvo; inque Palaeſtinae margine ſedit aquae.* Euphrates aqua Palaetina appellatur, incolae vero regionis *Syri* (v. 474.) nominantur. Ejusmodi permutatio nominum non mira videri debet. Conſtat enim *Palaeſtinam* Syriae partem diu habitam hujusque nomine comprehenſam fuiſſe, Judaeosque ipſos a Scriptt. gr. et lat. *Syros* ſaepe numero vocari. Tum demum cum, bello Mithridatico profligato *Cn. Pompejus Romanorum primus Judaeos domuerat*, (Tacit Hiſt. V, 9.) innoteſcere coepit aperta Palaeſtina populusque Judaeorum accuratius vel plebi Romanae. Hinc etiam Tacito omnium primo inter Romanos debemus ſatis accuratam Palaeſtinae notitiam. v. Hiſt. V, 1 - 10.

Europa. Tyria puella. V, 605. Sidonis. Ibd. v. 610 et v. 617. Fabula de raptu hujus Phoeniſſae virginis expoſita legitur L. V, a v. 604 - 618. *Pars terrae tertiae nomen habet ab illa.* v. 618.

Evander. 1) Arcas, nobilis ſanguine patris, Mercurii) nobilior ſacrae ſanguine matris (Carmentae.) I, 172. (Sic et Liv. I, 7, 8.) Cauſſam rei, in ſpeciem mirae v. in not. ad l. l. Juvenis cum matre fugatus deſerit Arcadiam v. 478; tenetque navi Heſperiam i. e. Italiam v. 489. ubi acta in amnem Tybridis navi ſubſtitit: *juxta fluminis latus, cui vada juncta erant Terenti*; h. e. juxta ripam fluminis dextram atque adeo meridionalem, ubi poſtea campus Martius. v. 501 - 505. Cfr. nota. Puppibus egreſſus tectisque exſtructis Auſoniae mox potentiſſimus evaſit princeps. v. 539 - 343. Aequalis fuit Herculi, cujus hoſpitis ſui cum Caco monſtro vicino narratur pugna atrox a v. 543 - 582. Caeterum omnis locus maxume pertinet ad Carmentam matrem v. h. v. II) *Nec tibi ſit mirum Grajo rem nomine dici — Venerat Evander plena cum claſſe ſuorum* etc. H. e. per colonias (quarum nominatim res recenſet IV, a 65 - 80.) a Graecis olim in Italiam deductas factum eſt, ut multa vocabula graeca admiſcerentur ſermoni latino. v. IV, 65 - 65. III) *Exſul ab Arcadiis Latios Evander in agros venerat; impoſitos attuleratque Deos.* V, 91 - 92. Jam inter ſacra, quae docuerit Italos Evander, fuiſſe inprimis, canit Calliope, illa *alipedis Dei.* v. 99 - 100.) Hinc factum eſſe ut hic *materno donarit nomine menſem Majum.* (v. 103.) IV) *Ar-*

sedis Evandri nomen tibi saepe referetur: ille meas advena torsit aquas. V, 643 - 644. Sunt verba Tiberini Dei de antiquissima regionis circa Tiberim facie edocentis Poëtam deque caussa, cur quotannis Romae d. 15. Maj. scirpea virorum simulacra suas dejiciantur in aquas.

Exsequiae, arum. Conjux et pater a Lucretia castris evocati requirunt lugentium habitu conspectam: *cui paret exsequias, quove sit icta malo?* II, 818. 2) De ipsius Lucretiae funere: *Fertur in exsequias animi matrona virilis; et secum lacrimas invidiamque trahit.* II, 848 - 849. 3) De Romulo: *dat tamen exsequias* (h. e. Concedit in honorem fratris interemti ut exsequerentur h. e. prosequerentur funus fratris Romani.) v. Kirchmann d. Funerib. Romanor. II, 10. Qui quidem (p. m. 118.) locum excitavit ex Euripidis, nescio qua, Tragoedia hunc: τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Quem Cic. Tusc. I, 48 ita convertit: At qui labores morte finisset graves, omnes amicos laude et laetitia *exsequi.* Sic ap. Gell. quoque legitur: *funus exsequi* i. e. prosequi. v. Libr. IX. Cap. 16. Cfr Iec. Nostri VI, 657-668, qui *de ritu funerum memorabili* agit.

F.

I) *Fabii.* Fastorum auctor undique conquirens materiem distinguendi opus summ tabularum, ut ita dicam, pictarum multiplicis argumenti varietate, commemoratis *Idibus Februariis* impetrare a se non potuit, quin intexeret quoque narrationem mire exornatam de notissima Fabiorum gentis clade Lib. II, v, 195 - 236.

II) *Fabius Maximus.* α) Narrationi absolutae pius Poeta subjunxit hoc: non nisi unum de Fabia gente impuberem adhuc nec utilem armis relictum esse. *Credibile nimirum esse, ipsos consuluisse Deos ut femina gentis superessent, scilicet,* exclamat, *ut posses olim tu, Maxime, nasci; cui res cunctando restituenda foret.* v. 237 - 342. β) In Catalogo eorum, qui *cognomina* tulere praemia rerum praeclare gestarum Fabii cognomen proximum abest ab Octaviani cognomine. Verba loci sunt: „*Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus. Illa domus meritis Maxima dicta suis.*" I, 605-606. Quam adulandi vim haec habeant dicta, docent quae sequuntur.

III. *Fabius.* Praefectus comitum Remi. v. Not. ad II, 375. Hinc comites ipsi *Fabiorum* nomen accepisse putantur. v. II, 375 - 377. Add. not. laud. Caet. narratur l. l. a v. 359 - 380. Remulum cum Quinctiliis, Remum vero cum Fabiis *positis vestibus* corpora nuda exercuisse currendo, luctando, jaculando etc. et *sacra fecisse Fauno* itemque epulas sacrificales instituisse. Atque inde jam *originem* esse repetendam *Lupercalium.* Quae quidem est quarta, earum quas attulit, caussa harum Sollennium. Cfr. judicium celeb. Edit. de hac caussa ad v. 359. Cfr. loc. Propert, IV, 1, 25 - 26.

Faliscus, a, um. „*Colla rudes operum praebent feriendaa juvenci,* (Kal. Jan. Quo quidem primo anni die sacra facta solennia, in templo suo magnifico, Jovi Capitolino.) *quos aluit campis herba Falisca suis.* I, 83-84. v. Not. 2) In recensu populorum Italiae, (III, 85 - 96.) qui a Marte dictum habuerint suis in Fastis mensem; sunt etiam *Falisci. Quintus huic populo mensis fuit Martis.* III, 39. 3) Juno in oratione, singulari arte a Poeta ficta, mensis Junii honores sibi vindicans memorat plures populos et civitates, quas in gratiam Romanorum posthabuerit, interque hos etiam *Falisco Junonicolas.* VI, 49. v. Not. Caet. Falisci inter Etruriae s. Tusciae (Toscanae) erant populos, urbis vero primariae nomen erat *Falerii,* de quibus Plutarch. in Camillo: „καὶ πόλιν ἐρυμνὴν καὶ κατεσκευασμένην πᾶσιν εἰς πόλε-

μον παλῶς, Φαλερίους, ἐπολιόρκει.“ Narrationem notissimam de magistro liberorum, proditore habet Liv. V, 27. Plutarch. Camill. 52 - 58. Minus vero in vulgus notum est magnitudinem animi, cujus specimen insigne hac occasione Furius Camillus dederat, caussam extitisse exilii sui. Nam cum moti generoso viri animo incolae urbis munitae se suaque sponte tradidissent Romanis, οἱ στρατιῶται διαρπάσειν προσδοκήσαντες τοὺς Φαλερίους, ὡς ἐπανῆλθον εἰς Ῥώμην κεναῖς χερσὶ, κατηγόρουν τοῦ Καμίλλου πρὸς τοὺς ἄλλους πολίτας ὡς μισοδήμου, καὶ φθονήσαντος ὠφελεθῆναι τοῖς πένησιν. Quis talem caussam exilii non honorificentissimam et cum illa Aristidis comparandam dixerit?

Far. Celeb. Voss. ad Virg. Georg. I, 73, ubi far *flavum* appellatur, haec habet: *Far*, Dinkel- oder Spelt, ein Mittelkorn zwischen Weizen und Gerste, das gemeinste Getreide der Römer, die es schon in den ältesten Zeiten (v. nostr. II, 519 - 525.) zu Brei und Klössen, als ihrer Hauptspeise, andern Getreidearten vorzogen. Idem ad v. 219 epith. *robusta* farra observat: esse frumenti genus cujusque, in quaque terrae regione, intemperiei patientissimum. Apud nostrum diserte distinguitur ab hordeo et tritico I, 693 - 4.“ Loc. class. de farre extat II, 519: *Farra* tamen veteres jaciebant, *farra* metebant: Primitias Cereri *farra* resecta dabant. Ibi vide pluribus de farre agentem illustr. loci intpr. Temporibus antiquissimis *semel* (v. 521 - 524 et VI, 313.) seriioribus *bis* farra ignem passa sunt; (I, 693.) h. e. grana tosta molebantur quidem olim, at seriùs demum *farina*, e tostis et molitis parta atque a *farre* ita dicta, in panem coquebatur; (VI, 315.) et hoc iterum primo ita ut in foco calido cineri supponeretur testu tectus: (v. verba Catonis ad VI, 315 - 317.) Tandem reperti sunt huic coctioni unice apti *furni*. Hinc Fornacalia II, 527. E dictis apparet cur *far* ut simplicissimum ita antiquissimum (aeque ac *sal*) fuerit donum Diis oblatum. Hinc 1) I, 337-8: *Ante, Deos homini quod conciliare valeret, Far erat et puri lucida mica salis.* v. not. Nominatim *Jano*, antiquissimo Deo (h. e. *arae ejus*) *sacerdos cereale imponit libum* (e farris farina coctum) *mixtaque farra sali.* I, 128. (Tura vero et merum Kal. Jan. v. 172.) Item Janus de se I, 275 - 6: Propter beneficium meum (a v. 261 - 274 relatum) Ara mihi posita est — *haec adolet flammis cum strue farra suis.* Porro Tellurem quoque et Cererem, matres frugum, ut placare *farre suo* ne obliviscantur coloni monet Poeta I, 672.

Fasces, ium. Virgarum colligatarum strues a Lictoribus humeris gestari solita. Quae quidem notio valet tum, cum de fascibus agitur quae *magistratibus* praeferebantur, suntque tum inter *insignia* potestatis et imperii. Noster I, 81: *Jamque novi praeeunt Fasces; nova purpura fulget; et nova conspicuum pondera sentit ebur.*“ Junctum legitur hoc triplex potestatis et dignitatis insignium genus etiam apud Liv. II, 54:“ Consules honoribus et administratione reipublicae abstineant; *consulares* vero *fasces*, *praetextam* (clavo purpureo eoque lato togam) *curulemque* sellam (quam Noster l. l. simpl. *ebur* dixit.) nihil aliud quam pompam funeris putent.“ 2) In loco ἀλληγορικῶς efficto (cujus sensum luculentissime interpretatur rerum temporis nostri historia) *Majestas*, legitima *Reverentiae Honorisque* proles, adjuta *Metu* et *Pudore*, (v. 17 - 52.) *datos commendasse fasces eburque curule* narratur. V, 51. H. e. suspectum restituit honorum debitamque Magistratibus obedientiam.

Fastus, a, um. A *fari* h. e. eloqui repetendum censuit Fastorum auctor hoc nomen. Nam

de diebus agens, qui iidem ex parte *nefasti*, ex parte *fasti* erant, (Halbe Feiertage) ait I, 51: *Nam simul exta Deo* data *sunt*, h. e. (v. 50.) qui *mane* nefastus erat, *licet omnia fari*, h. e. (v. 50.) *jam* potest sacra *fastus* erit. Idem v. 48: *Fastus erit* dies, *per quem lege licebit agi*. Quod quidem v. 52. explicat: verbaque tum (Formulae solleunis: do, dico, addico.) *honoratus libera praetor habet*. Fastis diebus opponuntur *nefasti, per quos tria verba silentur* (v. 47. H. e. *non sunt libera; vacantque* (v. 73.) *lite aures*, (in *verbosa* Foro. Ov. Trist. IV, 10, 18.) *infanaque* (Fori. Cfr. Virg. Georg. II, 502: Fortunarus et-ille — qui nec ferrea jura, *insanumque forum* — vidit.) *protinus absint jurgia*. 2) Fasti scil. libri (accuratius fortasse Fastorum, scil. dierum, libri.) quales fuerint, quidve continuerint v. explicatum pluribus in Nota prima ad L. I. v. 1. Quid *commune* habuerint cum Fastis Annales, quidque hae *proprium* sibi memoriae prodiderint, v. notatum ad L. I. v. 7. Caeterum ad *argumentum* sui Fastorum operis Poeta saepius lectorum mentes attentos reddidit. Nam praeterquam, quod statim ab initio operis, convenienter Logices legibus, quod sit Fastorum suorum propositum luculenter et breviter versu primo et secundo declaravit, in memoriam idem revocatum voluit II, 7. IV, 11-12. VI, 21. 24. Nemo vero arte, breviter, luculenter item et plene statim ab aditu orationis significandi, quod perfequuturus sit propositum superasse videtur Virg. Georg. I, 1-4. Cfr. tamen locus Metam. I, 1-4. poterit. 3) *Quod si forte vacas; peregrinos inspice Fastos: mensis in his etiam nomine Martis erit*. III, 87 - 88. B) *Inspice, quos habeat nemoralis Aricia Fastos — est illic mensis Junonius. Inspice Tibur — Junonale leges tempus*. VI, 59 - 63. (Sunt verba Junonis Junium mensem ita sui in honorem dictum contendentis.) Ex utroque loco laudato patet, fere singulis Latii oppidis, *suburbanis* hinc a Nostro VI, 58. vocatis, suos fuisse ab omnibus reliquis diversos Fastos. 4) *Quae tamen* (Agonia, repetita mense Majo. De primis mense Januario celebratis egerat Poeta I, 317 - 335.) *in Fastis hoc quoque tempus habent*. V, 722.

Faunus. Rex Aboriginum, Pici filius, Latini pater. (Virg. Aen. VII, 45 - 49.) Scientia rerum varia nominatimque suis de re rustica meritis hoc adsequutus est ut *Deus agrestis* (v. Not. ad II, 193.) et *numen fatidicum* haberetur, atque ut sui jam aevi homines divinis eum prosequerentur honoribus. Hinc filius (Latinus.) Oraculum patris, in luco Albuneae vel ipse rite consuluisse de genero deligendo duntaxat fingitur a Virg. Aen. VII, 81-106. Eundem consuluit itemque Picum, suadente Egeria, Numa rex *de Jove conciliando deque* artibus, quibus *eliciendus esset coelo, ut ipse doceret placandi sui modum, daretque pignora irae positae et perpetui erga Romanos favoris*. v. Nostri Libr. III, 285 - 325. Conjunxit caeteroquin Ovidius Picum et Faunum, genitorem et genitum, atque utrumque *Romani numina soli*, h. e. Deos indigetes, eosque *agrestes* esse ait. v. III, 292. it. 315. Jam vel verba v. 312: „*Sic quatiens cornua Faunus ait*" docent *hunc Faunum et ab Evandro Arcade Latio illatum Pana* (V, 99 - 100.) ita permutatos fuisse (v. II, 268. cl. 271 - 281.) ut nomina amborum *numinum silvestrium* (II, 279.) promiscue ponerentur, et pro uno eodemque Romanis uterque esset Deus, qui mixtim nunc sub hoc nunc sub illo coleretur nomine. Cfr. not. ad II, 268. De templo Fauni et de tempore sacrorum ejus (Lupercalium. v. Ind. s. h. v.) consulas illustr. Op. edit. ad II, 193 - 194, et ad v. 267 - 268. Fauni epitheta recen-

tiori aevo haud dubie a Pane in Faunum translata sunt: *Cornipes* h. e. corneis caprorum pedibus insignis. v. II, 361. Cfr. Not. Item: *Bicornis*, ibd. v. 268. Add. V, 99. Porro *Semicaper*; eod. libr. v. 101. Cfr. IV, 752. Cur in precibus pastorum, Palilium die ad Palem mittendis, *inter mala averruncanda* Poeta (IV, 762.) posuerit hoc: *Nec videamus — Faunum*, medio cum premit arva die v. in not. ad l. l.

Faustulus. Regii pecoris magister. Lingua lambentem mammasque praebentem expositis gemellis, Romulo et Remo, lupam (cfr. Nostr. II, 411 - 422.) invenit v. Liv. I, 4. Suscepit exposítos Larentiaeque uxori educandos tradidit. v. ibd. Quae quidem de conditore Urbis ejusque fratre Larentiae et Faustuli merita, *Larentalibus* institutis iisque d. 23. Decembr. celebratis, remuneratus est populus Romanus. Hinc Noster III, 55 - 58: *Non ego te, tantae nutrix Larentia gentis, nec tacepm vestras, Faustule pauper, opes. Vester honos veniet cum Larentalia dicam: acceptus gentis illa December habet.* v. Not. ad h. l. 2) Moestus cum Larentia luget necem *Remi* IV, 853 - 854: *Fecere, quod ille* (Romulus) *Faustulus et moestas Acca* (Larentia) *soluta comas.* H. e. justa persolverunt mortuo. 3) Justis persolutis Remo, *ita ut Faustulus infelix et passis Acca capillis spargerent lacrimis ossa perusta suis*, (V, 453 - 454.) nocte, sequuta diem exsequiarum Remi, umbra adsistere visa (V, 457.) per somni imaginem, (V, 477.) juvenis miseri toro Faustuli et Larentiae, mandantis vellent hoc sibi impetrare a Romulo fratre *ut celebrem festo signet honore diem.* (V, 474.) Mandata deferunt ad Romulum, qui obsequutus Remuria (v. 479.) quae postea Lemuria (V, 481 - 484.) dicta, instituerit. Celebrata ea sunt inde a d. 26. Maj. per tres, non continuas vero eas, dies. v. Not. ad V, 419. Cfr. v. 491 - 492.

Februa, orum. Sic prisca Romanorum aetas piamina (II, 19.) sive purgamina (II, 23.) dixit. Inter plurima signa sólegit noster *quatuor*, quibus subjectam verbo notionem vindicat, seu, ut ipse ait, quae verbo fidem dent. (v. 20.) Vide omnem locum II, 19-34. Casci et obsoleti hujus nominis notione sic eruta non dubitavit eo, ut nota, uti 1) IV, 725 - 726. Quo loco de pastoriis Palilium sacris agens d. 21. Apr. celebratis „*Certe, ego*, ait, *de vitulo cinerem, stipulasque fabales, saepe tuli plena, februa casta, manu.* Triplex igitur laudat Februorum genus. 2) V, 423 - 424: *Annus erat brevior, nec adhuc pia februa norant.* (Formula praegnans duplicis hujus sensus: Nec tum a Numa *Februarius mensis* institutus erat, nec nominatim mensis sacer erat, ut postea hic, *februandis* h. e. expiandis Manibus) *nec tu-dux mensum, Jane biformis* (h. e. mensis a Jano Januarius dictus.) eras. Accepit igitur a Februis nomen suum Februarius mensis. De quo vid. sqq.

Februarius. Memorabilia Februarii continet liber Fastorum secundus. Nomen hujus mensis frustra quaesiveris aeque ac illud Januarii. Metri leges utrumque respuerunt. Hinc statim ab initio I, 43 illud: Numa utroque hoc mense annum auxit, ita extulit: *At Numa nec Janum nec avitas praeterit umbras* scil. *februis* piandas mense his solennibus sacrato. v. II, 52. Ante vero quam ad ipsa mensis hujus memorabilia pertractanda *transit, docet primum:* quae sit nominis ratio h. e. verbi originatio. v. 19-34 vid. vocab. *Februa*; deinde, monstrato hoc, mensem esse dictum (v. 31.) a *februis*, februorum vero nomen habuisse apud intonsos avos (v. 30.) quodcunque sit, quo pientur pectora, (v. 29.) ostendit exemplis, fuisse inter antiquissimos (39-44.) aeque ac perniciosissimos (45-

46.) mentis humanae errores et hunc: *omne nefas, omnemque mali caussam tolli posse purgaminibus* (v. 35 - 36.) Utrum vero februa Lupercalium (v. 267 - 452.) an Feralium, (533-570.) hoc mense celebratorum, eidem mensi nomen dederint ipse incertus haeret. (v. 31- 34.) Tandem ratione *ordinis* mensium observat: qui sequatur Janum, *veteris fuisse anni ultimum*, (v. 49.) aut. variata oratione, *qui sacer sit Manibus imis, et ipsum imum fuisse*, (v. 52.) Decemviros tandem tempora Jani continuasse temporibus Februarii. (v. 53, 54.) Mansit vero inde ad nostra tempora mos intercalandi hoc mense anni secundo, quoniam ultimus anni quondam interserendis diebus delectus erat. v. loc. Macrob. in not. ad II, 47 laudat.

Feralis, e. A *fero* κατ' ἐξοχὴν a *ferendis* epulis ad sepulcra etc. formatum nomen ut *inferiae* quoque ab inferendis dono rebus scil. ad sepulcra vocantur. Utraque vox comparari potest cum Graecorum ἐπιφέρειν. Isocr. Evag. init.: Τιμᾶν τὸν τάφον τοῦ πατρὸς τῷ πλήθει καὶ τῷ κάλλει τῶν ἐπιφερομένων. Homeri formula est: τὰ κτέρεα κτερεΐζειν v. c. Od. α. 291. β. 222. Cfr. loc. de vocab. ἐτύμῳ laud. ad II, 533. item verba Poetae ipsius v. 569; Hanc, quia justa *ferunt*, dixere *Feralia* diem.

Feralia igitur sunt sacra placandis α) animis paternis II, 533 sive *avis*, h. e. majoribus omnino, v. 552, β) sive Manibus v. 535, sive γ) Umbris v. 541. sive δ) Geniis patrum v. 345 eaque stata. (Das Fest aller Seelen.) Feralia vocantur quoque *Parentalia*. Noster certe permutat inter se *dies ferales* (II, 34.) et *dies parentales* (II, 558.) Immoratur notis, quibus distinctae inprimis erant, inde a v. 533-570. Monuerat jam v. 33 - 34: *Tempora placatis esse pura sepulcris, tum cum ferales praeterierint dies* h. e. inde a d. 19. Febr. v. not. ad II, v. 567 - 568. Quando coeperint, nescitur. Placabantur sepulcra h. e. animae paternae (v. 533.) 1) *Muneribus* iisque vel *parvis* (v. 535-540.) vel etiam *majoribus* (v. 541.) 2) *Aris positis subitaneis* sacra fiebant adjunctis precibus formulae solennis. (v. 542.) Quod quidem utrumque dicebatur: *tumulis reddere honores*. v. 555. Lugubris et miri neglectorum Feralium effectus historia intertexta narratur II, 547 - 556. Infelices Feralium dies fuisse habitos patet e v. 557 - 565. cfr. v. 34. Februa Feralium mensi, Februario, nomen dedisse docet Poeta II, 31. cfr. 33 - 34. Mensemque hunc Manibus piandis sacratum inprimis voluisse Numam ait idem I, 43: *At Numa nec Janum nec avitas praeterit umbras*. De consilio vero in ultimum ordine mensem rejecerat Feralium sacra; nam „*qui sacer est imis Manibus, imus erat.*" v. II, 52. Caeterum nomine tantum, non re a *Feralibus* diversa fuere *Lemuria*. v. Ind. s. h. vocab. Cfr. item vocab. *Lemures*.

Filia Poetae. Commemoratur VI, 219 - 224: *Est mihi sitque, precor, nostris diuturnior annis, filia; qua felix sospite semper ero. Hanc ego cum vellem genero dare, tempora taedis apta requirebam, quaeque cavenda forent. Tum mihi post sacras monstratur Junius Idus utilis et nuptis utilis esse viris*. De eadem Trist. I, 3, 19-20: *Nata procul Libycis aberat divisa sub oris* (h. e. in Africa, quo sequuta erat maritum, degebat vitam) nec *poterat fati certior esse mei* h. e. me discedere jussum a Caesare (v. 5 - 6.) finibus Ausoniae, ut exsul peterem Tomos. Tertium memorabilem de filia Nasonis locum laudavit illustr. Op. Edit. ad VI, 219. Quo tempore locum de Filia Fastis, in exilio ex parte duntaxat scriptis, inseruit pater, illa igitur in Africa, ipse in extremis fere Europae finibus orientalibus vixit.

Flamen. Scripsit libellum peculiarem de Flaminibus Joh. Conr. Schwarz, qui in lucem prodiit Coburg. 1742. Quaternis. Auctoribus Gellio I, 12; Varrone d. L. L. IV, 15; Festo, Serv. ad Virg. Aen. VIII, 664, Prisciano IV, nomen habuerunt a *filo* (hinc quasi *Filamines* h. e. vitta lanea, qua cincta erat virga brevis oleaginea, quaque fastigium pilei, quo caput tectum gerebant, h. e. *apicis* s. *galeri* (Gell. X, 15.) ornatum erat. *Proprium* fuit huic sacerdotum generi hoc, ut singuli *singulorum* essent Deorum sacerdotes. Originem *trium antiquissimorum* scil. Jovis, Martis et Quirini, plerique retulerunt ad tempora Numae. v. Liv. I, 20. Dion. Halic. p. 124. Aurel. Vict. c. 3. Erant fere Patricii. v. Cic. p. Dom. 14. Erant porro in Collegio Pontificum. Hinc libera republica cooptati sunt a Collegio usque ad a. U. c. 650. Ius, ademtum, redditum, et denuo ademtum, Collegio tandem restituit Antonius. A Poeta nostro commemoratur. 1) *Flamen Dialis*, cujus dignitas summa fuisse videtur. Nam Liv. ait I, 20: „*Numa ipse quidem plurima sacra obibat, ea maxime quae nunc ad Dialem Flaminem pertinent. Sed — ne sacra regiae vicis desererentur, Flaminem Jovi adsiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste et curuli regia sella adornavit.*“ Noster inquirens in notionem nominis obloleti *Februa* hanc *primam* refert *notam* significationis pristinae II, 21 - 22: *Pontifices ab rege* (sacrificulo) *petunt et Flamine* (Diali) *lanas, quis veteri lingua Februa* nomen erat.“ V. Notata, secundum quae *litior* v. 23. commemoratus etiam fuit Flaminis Dialis et fortasse tum idem, quem Festus *Flaminem Camillum* dixit, quemque puerum adpellat, qui Diali sacrificanti apparuerit minister. Qui quidem puer, addit, debebat esse ingenuus patrimus et matrimus. B) Eidem Flamini Diali cura erat demandata, ut Lupercalia rite celebrarentur d. 15. Febr. Id quod Poeta declarat verbis II, 281 - 282: *Inde Deum* (Pana seu Faunum) *colimus, devectaque sacra Pelasgis. Flamen adhuc prisco more Dialis agit.* 2) Flamen Quirini s. Quirinalis. Procurabat sacra Robiginis in luco Deae a Numa, ne robigo (Der Brand) occuparet segetes, instituta et quoque anno d. 25. April. repetita. v. Not. ad IV, 905. Immoratur Poeta, quia testis oculatus sacrorum fuerat, diutius eorum descriptioni a L. IV, v. 905-942. Flaminem, qui haec sacra procurabat, Quirinalem fuisse, docent verba v. 910: *Edidit haec Flamen verba, Quirine, tuus.* 3) Ad omnes omnino Flamines, quotquot tum fuerint (fuerunt vero procedente tempore quindecim a Schwarzio in l. l. p. 28 - 30. nominatim laudati, quorum ultimus ordine *Pomonalis* recensetur.) pertinere videtur loc. III, 137: *Neu dubites, primae fuerint quin ante Kalendae Martis, ad haec animum signa referre potes: Laurea Flaminibus, quae toto perstitit anno, tollitur; et frondes sunt in honore novae.* Cfr. loc. Macrob. in Nota laud.

Flaminica. H. e. Flaminis et κατ' ἐξοχήν, ut videtur, Flaminis Dialis uxor. Fuit et ipsa sacerdos et legibus certis ritualibus adstricta. Et illud quidem patet e loco II, 27: *Ipse ego Flaminicam poscentem februa vidi: februa poscenti pinea virga data est.* Hoc vero, certis eam legibus ritualibus adstrictam fuisse, docet ipsa Poetam VI, 226 - 232: *Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait: donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta detulerit flavis in mare Tibris aquis,* (h. e. usque ad d. 15. Jun.) *non mihi α) detonsos crines depectere buxo, β) non ungues ferro subsecuisse licet, γ) non tetigisse virum; quamvis δ) perpetua sit mihi lege datus.*“ v. not. 3) De Saliorum die festa in honorem Martis ipse Mart. Kalend. celebrata postquam

a Libr. III, v. 259 - 397, quae huc pertinere ipsi vila erant, omnia expoluerat, addidit v. 397 - 398: *His etiam conjux apicati cincta Dialis lucibus impexas debet habere comas.*" Caet. noli negligere loc. claſſ. de Flamine et Flaminica in Gell. N. A. X, 15. Dion. Halic. II, p. 124. Auguſtin. C. D. II, 15. et Liv. Lib. I. c. XX - XXI.

Flaminius. C. Flaminius Cos. ad littora lacus Traſimeni lancea transfixus periit. d. 23. Jun. p. U. c. 535. VI, 768 - 773. Lacus Traſimenus hodie vocatur: *Lago di Perugia.* Qualis fuerit edocemur a Liv. XXII, 3, 4: Conſul ferox — et non modo legum ac patrum majeſtatis, (v. nobilem Noſtri Allegoriam de ea V, 23 - 32, ut diſcas quae notio jungenda, quaeque vis tribuenda ſit illi vocabulo.) ſed ne Deorum quidem ſatis metuens. (Cfr. Poetae verba v. 771.) Hanc inſitam ingenio ejus *temeritatem* (Noſter tempora ipſa vocat hinc *temeraria*) fortuna proſpero civilibus bellicisque rebus ſucceſſu aluerat.

Flora. Mater florum. V, 183. v. not. (Extremis m. April. diebus, h. e. circa ſacri floralis (IV, 947.) initia, *mille venire nexa variis florum coronis* dicitur. IV, 945.) Ipſa a Poeta rogata (V, 191 - 192.) docet, quae ſit, (inde a v. 193 - 276.) qualisque ſacrorum floralium (IV, 947.) origo et ratio a v. 277 - 375. Jam etſi optima proprii nominis auctor dicatur v. 192; tamen e Chloridis nomine Latinum Florae ortum eſſe vix reperiantur qui concedant Deae, ſi vel maxime cultores ejusdem de humano genere optime meritae pii indignentur, ſi legant inter ea, quae in genere ad loc. 195 - 274. obſervantur in notis, quam invidioſe de dignitate originis cultus hujus Deae Romae recepti detraxerint ſcriptt. eccl. Alia omnia eaque honeſtiora de origine cultus ſui Romae infra v. 259 - 268. nos ipſa edocet. Nymphe fuit *Chloris* dicta v. 197. Inſulas incoluit fortunatas v. 197 - 198. Propter ſpecioſam formae venuſtatem rapta et vitiata a Zephyro v. 169-204. Ducta ab eodem, ut injuriam illatam repararet, in matrimonium (v. 205.) feliciſſimam ipſi juncta agit vitam, a v. 206 - 220. *Arbitrium* floris (v. 212.) habere juſſa a marito, prima ſparſit *per immenſas nova* (i. e. adhuc non viſa florum), *femina gentes.* v. 221 - 222. Per eam ſurgit *honor floris* adoleſcentibus formoſis, quibus *formae decus* funeſta fuerat v. 223 - 228. Florae dono h. e. floris vi Juno ſine mariti interventu praegnans facta *Martem* peperit v. 229 - 258. Marti grato h. e. memori, beneficio Florae, accepti natalis debet Dea hoc, ut et ipſa Romae colatur. v. 259 - 260. Sequitur locus praeſtantiſſimus, rem ſpectaveris vel ab argumenti vel ab artis Poetae dignitate inde a v. 261 - 272, legas modo, at ut artem ſentias Poetae, verſus 263, 264 et 265, quibus addas v. 266, juxta metri leges. Placuiſſe ſibi Poetam ſcriptis his verſſ. teſtantur repetiti ſimiles v. 321 - 324. Argumenti vero dignitas ineſt in eo, ut Dea declaret ſe non eſſe Deam tantum florum, qui in pratis proveniant et in hortis colantur (Sie ſey nicht nur Göttin *der Blumen*) ſed *Deam quoque florum ſegetis, vitium, olearum arborumque omnino frugiferarum, itemque leguminum et e quorum ſuccis apes mella parent* v. 262-272. (Sie ſey auch Göttin der Blüthen.) Poſtremo tandem loco declarat v. 273 - 274 eſſe ipſius etiam munus, ſi juvenes vireant vigeantque corporis animique viribus. *Mores Florae* quales ſibi finxerint Poetae, perſonae perquam accommodatos Deae, aptosque, diſcimus ex locis his: 1) *ambitioſa* quidem eſt, ita ut honorata gratis adſciatur ſenſibus, feſtisque, quod inde ſequitur, gaudeat et aris. V, 297 - 298; 2) et *innocens*, ut nec velit nocere, nec crudelis ſit in ira. v. 325. 3) *Numen non ſeverum*, quod munera ferat de-

liciis apta. v. 333 - 234. 4) Hinc *Scenae levitas* (cfr. IV, 946.) *hanc decet Deam*, non tragoediarum gravitas. v. 347-348. 5) Non est *de tetricis nec de magna professis* v. 351. Hinc vult sua ut sacra *plebejo* pateant *vel meretricum* choro. v. 352; hinc deliciis Deae *nocturna convenit licentia* v. 367; hinc denique scenae mos joci liberioris (IV, 946.) f. *ludi jocosi* (V, 183.) Deae placent.

Floralis, e. scil. sacrum, festum. Hinc *Floralia* scil. sollennia sacra etc. *Exit et in Majas Jacrum Florale Kalendas.* IV, 947. Ludi nimirum jocosi, (V, 183; seu joci liberioris IV, 946.) qui in Florae honorem celebrabantur, incidebant in extremos Aprilis et primos Maji dies. v. V, 185-190. H. e. d. 28. m. Apr. coepti desiere d. 3. m. Maj. V, v. 379. Ludorum originem et ipsa denuo rogata retuliisse Flora Poetae fingitur ita ut Deae verbis uti se simulet in illa enarranda a v. 275-330. Cfr. quae in genere de h. l. notata leguntur ad v. 275. Collectarum igitur e mulcta quam subierant, qui publica depaverant pascua, pecuniarum pars Florae data est ita, *ut spectacula inde in ejus honorem nova instituerentur* v. 279-292. Jam cum annua non essent, (v. 295.) quippe in quae *semel* exhibita haud dubie omnis illa pecunia erogata erat, (v. not. ad vers. laud.) neglecta est denuo Flora a Romanis. *Effectus* neglecti cultus, utpote *veras causas* restituti, monstratura praefatur plura, a v. 296-311, et in genere quidem *de moribus* Deorum, quatenus vindictae studio irae debito nimiae crudelissimis saepe poenis neglectum sui ulti sint. Quo nimirum *tanto redderet amabilius ingenium mite Florae et placidum* opposita crudeli reliquorum numinum naturae indole, ipsam quoque illa dicere jussit. Agnoscas vero mite et placidum Florae ingenium ex his: 1) *dolet*, quod ambitio sibi sit cum reliquis coelestibus communis v. 297-298. 2) Dolorem, quod Senat. Rom. ipsam praeterierit, sequuntur non ultionis deliberatae effectus, sed *invicti* tristitiae. v. 312-326 Nam sensu tristitiae nimio oppressa quod immeritae talia evenerint, excidit officium (v. 315.) *nolenti*, ita ut effectus tutelae florum omissae, seu curae repellendi mala (v. 326.) naturales intercederent, *cum ipsa nec voluerit fieri, nec sit crudelis in ira.* (Quae sunt aurea verba v. 325) Moniti igitur malis annorum male defloreseentium (v. 327.) Consules annua festa vovere Florae. (v. 327-330 atque ad h. l. intpr. doctiss. verba.) Ludorum floralium *propria* quaedam eum cautis recensentur a v. 331-374. Propria erant his ludis: 1) *lasciva major*, liberiorque jocus. v. 331-332. Cautae α) ingenium Deae minime severum v. 333. β) munera Deae spta deliciis v. 334. (Usus munerum i. e. florum in compotatione aut commissatione quaque, quarum inest descriptio loco a v. 335-346) 2) *Scena levis.* (Perlege hic notata ad v. 331. *Cassa* levitatis scenae, quod Flora cothurnatis non accensenda sit Deabus v. 347-348. 3) Quod obiri solebant hi ludi prae reliquis *a meretricibus*, horumque frequentes erant ibi celebrationes. v. 349. Causa denuo repetitur ex indole et moribus Deae a v. 350-354. 4) *Vestes versicolores* v. 355-356. Causa cur deceat tum hic cultus, inde repetitur, quia floribus omnis inest color, quo specioli conspiciuntur. 357-359. 5) Lumina seu *faces accensae.* v. 361. Triplex rei ratio a Flora redditur ita ut quamque verbis: *vel quia*, reddere incipiat, tertiamque veram judicet, quod nimirum τὸ κωμάζειν ipsius deliciis conveniat. A v. 363-368. 6) *Venationes* (Thierhetzen oder Thiergefechte) at imbellium ferarum, quales capreae et lepores. v. 369-372. Causam rei reddit Flora v. 373-374: ipsi nimirum hortos et arva, *pugnaci non aeunda ferae*, cessisse, non sylvas. — Memorabilibus suorum sacrorum (v. 352.) omnibus eorundem cum cautis recensitis, Flora tenues secedit in

aurus (v. 375.) et Poete finem imponit loco precibus pro aeternitate carminis sui efficienda, juvenili item corporis robore animique vigore, quam expetit sibi a Dea secundum ea, quae posse se adfirmaverat ipsa v. 273-274.

Focus. (Die Feuerstätte, der Ort des Familien-Heerdes oder Altars auf dem das Feuer brennt.) Cum media in arae superficie *focus* esset, in omnibus locis de foco quoque cogitandum erit, ubi arae fit mentio; at non ubique de ara, ubi focus commemoratur. De originatione vocis satis contorta, et de loco, ubi focus priscorum in aedibus hominum fuerit v. VI, 301-302. Cfr. N. 21. 1) Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether; et sonet accensis spica Cilissa *focis?* I, 74-75. 2) Saepe suo conjux abducta marito, uritur in calidis alba columba *focis* I, 450-452. 3) Scortea non illi fas est inferre sacello, (Carmentae, cui sub porta Carmentali ad pedem Capitolii ara posita erat; v. not. ad I, 462.) Ne violent puros exanimata *focos.* I, 629-630. 4) Pagus agat festum: — date paganis (semente peracta) annua liba *focis* I, 669-670. 5) Adde preces positis et sua verba *focis* II, 542. Sermo est de Feralium ritibus, quibus justa persolvebantur mortuis, v. a v. 533-570.) 6) Ture vacent arae; stentque sine igne *foci* II, 564. (Ad eadem sacra, media mensis Februarii parte, quia anni hic quondam ultimus fuerat mensis, (II, 49. 52.) celebrata] 7) Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu, sumtum de tepidis ipsa colona *focis.* II, 646 v. Ind. s. v. ara. N. 8. 8) Ignibus Iliacis aderam, (sunt verba Iliae Vestalis, e Marte gravidae): cum lapsa capillis decidit ante sacros lanea vitta *focos.* III, 29-30. Cfr. v. 47-48. 9) Vesta quoque ut folio niteat velata recenti, cedit (Kal. Mart.) ab Iliacis laurea cana *focis* etc. III, 140-141. Cfr. loc. Macrob. in Not. laud. 10) Effectus a Numa instituti sanctioris Deorum cultus seu religionis, aut quam vim *Deûm metus* in feros belloque unice deditos Romanorum animos exseruerit, externo hoc declarat signo III, 283-284: Atque aliquis, modo trux, visa jam vertitur ara; vinaque dat tepidis salsaque farra *focis.* 11) Quisquis ades, canaeque colis penetralia Vestae; Cratera Iliacis turaque pone *focis.* (d. 8. Mart.) III, 417-418. 12) A castis Vesta sic loquuta, *focis.* (Oratio Vestae, quae sequitur, edocet Poetam Julii Caesaris gladiis percussi *animum* esse inter coelites receptum, necemque pertinuisse tantum *ad simulacra nuda Caesaris ejusve umbram;* de necis vero auctoribus Augustum jam sumsisse poenas.) III, 697. 13) Ante tuos ortus arae fine honore fuerunt, Liber, et *in gelidis* herba reperta *focis.* III, 727-728. Cfr. v. 733-734. Nomine ab auctoris (a Libero i. e. Baccho) ducunt libamina nomen libaque; quod sacris pars datur inde *focis.* (A tempore expeditionis Bacchi indicae repetit l. l. Poeta morem *res pretiosas easque exteri soli* v. c. thus, Cinnama, Crocum, myrrhas, costum etc. adolendi Diis itemque cruentorum originem sacrificiorum v. 732. Cfr. I, 335-348.) 14) Procedunt pariter matres, nataeque, nurusque; Quaeque colunt sanctos virginitate *focos* i. e. Vestales quoque, ut Cybelen advectam exciperent, obviae Deae huic fuerunt IV, 295-296. 15) Farra Deae (Cereri) micaeque licet salientis honorem detis, (o Coloni!) et in *veteres* turea grana *focos.* Et, si tura aberunt, unctas accendite taedas. Etc. IV, 409-411. 16) In *foco* (Ceres) pueri (Triptolemi) corpus vivente favilla obruit, humanum purget ut ignis onus. IV, 553-554. 17) Ast ubi visceribus vitulos rapuere ministri; sectaque fumosis exta dedere *focis* etc. IV, 637-638. (De Fordicidiis h. e. vaccis fordis s. in utero ferentibus et sic caesis sermo est.) 18) Fossae imponitur ara; et *novus* accenso finditur igne *focus.* IV, 823-824. Cfr. voc. *ara.* N. 13. 19) A dextra

(Flaminis Quirinalis) villis mantile solutis, cumque meri patera turis acerra fuit. Tura *focis* vinumque dedit, fibrasque bidentis, turpiaque obscaenae (vidimus) exta canis. IV, 933-936. 29) Significant sedem terra *focusque* (i. e. ignis) suam VI, 267-268 (Rotunda nimirum templi Vestae figura erat. Subest terrae rotundae ignis, suberat et templo rotundo vigil ignis.) 21) At *focus* a flammis et, quod *fovet* omnia, dictus; (ita ut nom. subst. *focus* contraxisse videantur ex adject. fortasse nomine *fovicus* scil. locus.) Qui tamen in primis aedibus ante fuit. VI, 301-302. 22) Ante *focos* olim longis considere scamnis mos erat; et mensae credere adesse Deos. Eod. libr. 305-306. 23) Nunc quoque, cum fiunt antiquae sacra Vacunae, ante Vacunales stantque sedentque *focos*. Ibd. v. 307-308. 24) Cibi, quos pura ferebat patella, impositi leguntur *foco* Vestae. VI, 310. 25) Suppositum cineri panem *focus* ipse parabat etc. VI, 315. Item v. 317: Inde *focum* servat pistor, dominamque focorum, et quae pumiceas versat asella molas. 26) Ocresiam, matrem Servii Tullii, Tanaquil, sacris de more paratis, jussit in *ornatum* fundere vina *focum*. VI, 630. v. not.

Fordicidia scil. sollennia seu sacra. Quod, suadente Egeria, consultum de placando Jove Fauni Oraculum Numa utile expertus erat (III, 285-392.), hoc, territus cum populo suo *sterilitate tum agrorum tum pecudum*, (IV, 641-646.) (IV, 647-648.) iterum ita petiisse legitur, — ut incubans nocte in luco prope Albuneam (in regione circumjacenti aquas, quae *Solfatara de Tivoli* hodie vocantur.) hoc tulerit a Fauno responsum: Morte boum tibi, rex, Tellus placanda *duarum*; det sacris animes *una necata* duas." (v. IV, 665-666.) Exceptis ab Egeria sensus Oraculi tenebris (ibd. v. 669-671.) instituit *Fordicidia* d. 15. Apr. celebrari solita. Quo facto „*felicior annus provenit et fructum terra pecusque ferunt*. (Ibd. v. 672-672.) Forticidia vero nomen acceperunt a caesis plus quam (v. 635-636.) triginta bovibus *fordis* h. e. vaccis fetis, fecundis, praegnantibus, gravidis. (v. 631-632.) Locus omnis pertinet a L. IV. v. 629-672. Nomen ipsum, quod sacris his cruentis proprium fuit, non occurrit. At vid. de eo Not. ad 629.

Fornacalis, e. Fornacalis Dea VI, 314. H. e. Fornax Dea II, 525. Facta (ibd.) ea est fornace inventa. Nam cum antea Romani farra ignium vi saepe flammo cum detrimento (v. II, 521-524.) torruissent, nunc, furno invento, tosta ea fine damno inde recepere (VI, 313.) per justam temperiem frugibus ibi datam. (II, 526.) Hinc in memoriam beneficii accepti *Fornacalia* (II, 527.) scil. *sacra*, at non *stata* sed *indicta* (v. 532.), atque adeo non praefinita die, celebrari coepta sunt. Februarii dies tamen his fere delectus fuisse sacris videtur, cum Quirinalia d. 17. Febr. celebrata *Stultorum* quoque *festa* (II, 513.) vocarentur propterea, quod Fornacalia a nesciis Curiae, cujus essent, (v. 531.) h. e. a stultis in illa differri solerent. (v. 532.) Locus omnis de Fornacalibus pertinet a L. II. v. 515-532. Caet. cfr. Ind. s. voc. *Far*.

Fornax Dea: *Facta* Dea est Fornax. Laeti fornace (inventa) coloni orant, ut fruges temperet illa suas h. e. farra calore furni modico torreat. II, 525-526. cfr. ind. s. v. *Fornacalis Dea*.

Fortuna. Cognomina Deae *tria* a Fastorum auctore commemorantur quae *quatuor* ejusdem nomina fecerunt *delubris*. *Quintum* Deae delubrum, ut ipsa, sine cognomine fuit. Sunt vero cognomina, sub quibus culta est a Romanis, α) Virilis, β) Publica, γ) Fortis. De aede *Fortunae Virilis* juxta ripam Tiberis a Servio Tullio posita v. loc. IV, 145-156; et scriptores, quos laudavit illustr. Op. intpr. ad v. 146. Nomen tulit inde, *quoniam tegebat et celabat viros*, templo suo, vel

lium nudi corporis foeminarum, id *lavantium in loco juxta Tiberis ripas, qui calida* (solis, ut videtur, calore. Nam de Kal. Apr. sermo est, quibus et Veneris et Virilis Fortunae festum agebant tum matronae tum meretrices: 133 - 134. Cfr. Not. ad v. v. 133) *humebat aqua*. Caet. attendas ad lectt. Variet. et expendas num v. 134 lect. *abest* lectioni *adest* et v. 146. lect. *calida* lectioni *gelida* praeferenda tibi videatur. De modo colendae Deae d. 1. Apr. vid. 150. De caussa justa, *quod nimirum non nuptarum tueatur famam, formam, mores* et sic iisdem viros conciliet et adducat v. 151 - 156. 2) *Fortuna publica* duo Romae habuit templa. a) IV, 375-376: *Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini hac Fortuna die* (d. 6. Apr. a. u. c. 549.) *Publica; verus erit.* Cognomine *Primogeniae* hanc ab ea Fortuna Publica diversam fuisse putant; (v. Not. ad l. l.) quae commemoratur his verbis β) V, 729-630: *Nec te praetereo, populi Fortuna potentis Publica, cui templum luce sequente datum.* H. e. VIII. Kal. Jun. h. e. d. 25. Maj. 3) *Fortuna Fortis.* Templum hujus cognominis Deae a Servio Tullio juxta Tiberim at *extra urbem* (Hinc aedes *suburbana* adpellatur VI, 785.) exstructum et d. 25. Jun. dedicatum est. v. loc. de eo VI, 771 - 784. Si transtiberina fuit in regione, quod verba „*multaque* (redeuntibus) *per medias vina bibuntur aquas*" innuere videntur, tum fuit ibi ubi Janiculum quoque erat h. e. nobis Germanis Romam adituris cis Tiberim positum. 4) Tandem commemoratur a Poeta etiam templum *Fortunae* Deae sine ullo cognomine addito exstructum his verbis VI, 569: *Lux eadem,* (quae Matutae, Deae Ponti, fuit) *Fortunae, tua est,* (h. e. tu quoque dedicata d. 11. Jun. templa tulisti.) *auctorque locusque* (idem; auctor idem, Servius Tullius nimirum, et locus idem, Forum boarium videlicet. v. l. l. v. 475-480.) Caeterum quaestio *de caussa, cur Servii Tullii statua in hoc Fortunae templo, duplici superinjecta toga, latuerit,* opportunitatem Ovidio nostro suppeditavit egregie ornandi locum *de dedicatione templi Fortunae ad diem mensis Junii undecimam commemorandae,* qui per se non poterat non aridus et sterilis videri.

Forum. Duplex forum copularum quasi ita ut nexus copula esset templum Jani commemoratur I, 258. Cogitandum esse α) de foro pistario et β) de foro boario docetur in notis. Si de templo Jani a C. Duillio structo, quod vult illustr. loci impr. cogitandum est, tum *pro foro* pistario *forum olitorium* ponendum erit. v. Tacit. Annal. II, 49.) De foro boario v. loca in Ind. Rer. s. v. *bos.* Tacitus (Annal. XII, 24.) refert Romulum condendae Urbis initium fecisse *a foro boario*; „*ubi aereum taurî simulacrum adspicimus,*" quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi (Cfr. Nott. IV, 819 - 826. 839 - 840.) coeptus, *ut magnam Herculis aram* (Cfr. loc. Nostr. I, 579-82.) amplecteretur. 2) Forum Romanum (quod hodie *Campo vaccino* vocatur.) inter montem Palatinum et Capitolinum seu Tarpejum situm omniumque nobilissimum Curia, Rostris, basilicis, Comitio, Janis, h. e. transitionibus arcuatis perviis tribus, summo, medio, et imo; ubi argentariorum nominatim Cic. d. Offic. II, 25, 7. Horat. Epp. I, 1, 54.) et librariorum (Horat. Epp. I, 20, 1.) tabernae erant, deprelliorem urbis regionem occupasse videtur. Hinc II, 391: *Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres; quaque jacent valles, Maxime Circe, tuae.* It. VI, 395-396: Forte revertebar festis Vestalibus illac, qua nova *Romano* nunc via juncta *Foro est.* (Cfr. omnino omnis locus a v. 395 - 415. Nam, siquis, hic de situs Fori Romani natura, pluribusque Topographiae Urbis rebus memorabilibus certe notatu dignus est. Cfr. Not. Verumni templum ab Horat. Epp. I, 20, 1.

commemoratum in foro romano fuisse, docent verba Nostri VI, 409-410 et loc. in Not. ad v. 409. laudat. Idem forum intelligendum esse videtur VI, 679-684. Tibicinum turba mero somnoque domita et sic plaustris Tibure imposita jam per Esquilias (remotissimam Urbis partem. v. Tacit. XV, 40.) Romanam intraverat urbem, *et mane in medio plaustra fuere foro.* 3) Forum Julii Caesaris. De viri caede ad d. 15. Mart. agens III, 704: *Ille quidem, ait,* inter coelites receptus *in magno tenet templa dicata foro.* [Magnum forum si quis statuerit esse Romanum, non Caesaris h. e. a Caesare exstructum, v. Suet. Caes. 26, non equidem multis *refellere* argumentis hanc sententiam me posse putaverim. Cfr. Dio Cass. XLVII, 18, 19.] 4) *Forum Augusti,* magnifico Martis templo condecoratum ab Augusto, commemoratur V, 551-552 his verbis: *Ultor* (Mars) *ad ipse suos coelo descendit honores, templaque in Augusto conspicienda foro.* Cfr. de hoc Augusti foro not. ad l. l.

Fuga Regis sive *Regifugium.*" *Traxit ab illa sextus ab extremo nomina mense* [Februarii] *dies.* II, 685-686. H. e. in memoriam civitatis Romanae liberae factae per exactos, d. 24. Febr. a. U. c. 244, reges, dies illa ipsa fugae Tarquinii superbi cum suis dicta est *Regifugium.* Campum quasi late porrectum longeque patentem habuit sibi Poeta hanc diem exspatiandi in memorabilia eventa quae huic tandem diei nomen fecere. Qua valet ingenii ubertate exponit res vere gestas h. e. poetico ornatu largiter eas instruit et primum quidem *artes, quibus fecerit* (v. II, 690.) *Gabios Tarquinius suos, turpes illas et malitiae plenas.* v. 691-710. Deinde brevissime refert documentum ingenii, quod sedulo et caute dissimulaverat L. Junius, Bruti hinc cognomen ferens a *brutis.* v. 711-720. Tum Ardeae, Rutulorum urbis obsidionem enarrat (a v. 721 - 722. hactenus, quatenus Lucretiae casu ista fatalis est facta. Pertinent ad foeminam casu fatali suo caussam *Fugae regum* abrogatique regni factam quae leguntur a L. I, v. 723-850. Narrationi finem imponit verbis, revocantibus in memoriam veram caussam (v. vers. 685), cur ea narratio convenienter tempori, cujus de Memorabilibus agebatur, interposita sit. Verba vero sunt v. 851-852: *Tarquinius cum prole fugit. Capit annua consul jura. Dies regnis illa suprema fuit.* [Variant vero et discrepant libri et sententiae Eruditorum (v. Not. ad v. 686.) ratione diei fugae, quam alii d. 22. alii d. 23. alii vero d. 24. alii tandem d. 25. Febr. evenisse contenderunt.] 2) Quo ritu memoria *Regifugii a Rege sacrificulo d. 24. Maj. iterum recoli solita sit* docet illustr. Fastor. intpr. ad L. V, v. 727-728. Inter Romanos vero regnasse opinionum varietatem de *caussa* ritus miri, secundum quem Rex sacrorum lege prohibebatur ab aditu Comitii in Foro Romano per omnes anni dies, excepta illa 24. Maj., qua ipsa quoque sacris ibi peractis se illico inde proripuit, docent verba Poetae v. 727-728: *Quatuor inde notis locus est; quibus ordine lectis vel mos sacrorum vel fuga Regis subest.*

Furius (Camillus.) Vitam viri Plutarchum scriptam eamque cum vita Themistoclis comparatam reliquisse satis constat. Hausit pleraque sua Plutarchus e Livii Historiarum Voluminibus. Si vitio verti Poetae nostro potest quod deliberato quodammodo consilio Livii popularis et aequalis sui tacuit nomen, cujus e librorum historicorum lectione magnam ipsum voluptatem percepisse intelligi inde potest, quia imitando manifeste eum, at, ut Poeta, ex dimidio Poetam (qualem b. Schlözer Livium recte dixit) multa in Fastis expressit, tanto laudabilior est Plutarchus, qui Livii nomen non praeterivit silentio, sicubi potiora in quarundam narrationum capitibus huic eidem accepta deberet.

Quod quidem nominatim fecit in vita *Furii Camilli*, cujus laudatissima rebus et bello et pace praeclare gestis tempora incidunt in spatium intra a. U. c. 349-389. Poetae nostro occasionem memoriae viri recolendae praebuit *templum Concordiae* ab ipso quondam primo votum tandemque a Tiberio imperatore magnifice de manubiis germanicis reconditum et d. 16. Jan. a U. c. 762. dedicatum. Patet igitur cur in libro Fastorum primo mentionem fecerit templi istius Poeta. (v. I. 637-650.) Verba, quibus hoc fecit, quatenus huc pertinent, sunt haec: „*Furius, antiquum*, (h. e. res est antiqua; nam *quadringenti* fere absunt hinc anni, ex quo, quod narrabimus, factum est.) *populi superator Hetrusci voverat* (Concordiae templum.) *et voti solverat ante fidem. Caussa, quod a patribus sumtis secesserat armis vulgus, et ipsa suas Roma timebat opes.*" Inciderunt in extrema vitae Camilli tempora motuum civilium caussae, quae vovendo Concordiae templo extitere occasio. Quae quidem caussae fuerunt acerrimae plebis contentiones *de communicando cum Patriciis consulatu*. (Pluribus enarratae leguntur a Liv. VI, 34-42.) Camillus octogenarius fere senex, cum *quintum* propter iteratum armorum Gallicorum terrorem Dictator paulo ante a Senatu dictus esset, nec, vel composito feliciter bello, propter ingentes plebis turbas idem permisisset, ut magistratu se abdicaret, e tribunali in foro "Κραυγῇ καὶ θορύβῳ, οἷος οὔπω κατέσχε τὴν ἀγορὰν," coactus in Curiam se recepit „καὶ πρὶν εἰσελθεῖν, μεταστραφεὶς εἰς τὸ Καπιτώλιον ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατευθῦναι τὰ παρόντα πρὸς τὸ κάλλιστον τέλος· ὑποσχόμενος ναὸν Ὁμονοίας κατασκευάσειν τῆς ταραχῆς καταστάσης. Tandem in Senatu vicit sententia διδοῦσα τῶν ὑπάτων τὸν ἕτερον ἀπὸ τοῦ πλήθους ἀρχαιρεσιάσαι. Quo facto plebs gavisa παραχρῆμα τῇ βουλῇ διηλλάττοντο καὶ τὸν Κάμιλλον οἴκαδε πρόπεμπον κρότῳ καὶ βοῇ παρέπεμπον. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ συνελθόντες ἐψηφίσαντο, τῆς μὲν Ὁμονοίας ἱερὸν, ὥσπερ ηὔξατο ὁ Κάμιλλος, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον (Hinc Ovid. l. l. v. 639: *Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam.*" Patres vero deliberato eoque sapientissimo consilio voluerunt, ut Concordiam e foro et comitio turba in alto positam loco ante oculos haberet semper.) ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις ἱδρύσασθαι. v. Plutarch. in Camilli Vitae Capp. extr. 2) In annos vegetae Camilli juventutis incidit excidium per decem annos a Romanis obsessorum Vejorum. Propter quos quidem obsessos et expugnatos a Poeta nostro l. l. „*populi superator Etrusci*" vocatur. Dictus vero erat tum *primum*, ut videtur, Dictator, quo suis consiliis, infinitam nactus agendi facultatem, bellum istud molestum et novem jam annos ductum celeriter et feliciter profligare et conficere posset. (v. Liv. V, 19. Plut. m. § 21.) Quod quidem factum quoque a U. c. 358. a. C. n. 394. Diruta vero Vejentium urbe, *reliquae Etruriae civitates poterant victae et ipsae videri*. (Quamquam caeteroquin constat satis diu vel postea restitisse crescentibus Romanorum opibus.) Veji enim fuerant τὸ πρόσχημα τῆς Τυῤῥηνίας, ὅπλων μὲν ἀριθμῷ καὶ πλήθει τῶν στρατευομένων οὐκ ἀποδέουσα τῆς Ῥώμης, πλούτῳ δὲ καὶ βίων ἁβρότητι καὶ τρυφαῖς καὶ πολυτελείαις ἀγαλλομένη, πολλοὺς καὶ καλοὺς ἀγῶνας ἠγωνίσατο, περὶ δόξης καὶ δυναστείας πολεμοῦσα Ῥωμαίοις. (v. Plut. Camill. § 9.) Jam quae talis ac tanta quondam fuerat civitas et Etruriae caput, *ejus de situ* hodie ne Italos quidem eruditos certi quidquam cognitum et compertum habuisse, quis non mirabitur, cum tamen Cremerae (v. Ind. s. h. v.) flumen monstrator viae adhuc esse posse videatur? — Veniam igitur facile me impetraturum spero, si literas Romae datas d. 3. Maj. a. c. 1811. easque insertas Ephem. po-

lit. Magni Ducatus Francof. d. 20. Maj. N. 140., cum fide fatis dignae esse videantur, hic interposuero." Depuis longtems, nos Erudits cherchoient *la véritable position de Veïes*. Les uns plaçoient cette ville, si longtems rivale de Rome, *à Civita Castellana*; les autres *à l'isle Farnese*. Une inscription trouvée par le savant Mr. Alexandre Visconti, sembloit appuyer cette dernière conjecture, lorsqu'elle a été tout-à-coup renversée par la découverte, que vient de faire Mr. l'Avocat Philipp Joseph Galli et qui prouve que la ville de Veïes, détruite par Camille et rebâtie depuis sur ses ruines, *étoit située à deux milles de l'isle Farnèse, non loin de la voie Cassienne et tout près de la forêt de Baccano*. Bien sûr de son fait l'auteur de cette découverte associa à ses idées et à ses projets Mr. André Giorgi peintre et propriétaire du terrein, qui couvre ces ruines antiques et, de concert ils obtinrent de l'autorité compétent la permission d'y faire des fouilles. A peine avoient-ils mis la main à l'oeuvre, qu'ils découvrirent la base d'une Urne cinéraire avec cette inscription: *Postumio Vejento*. Ce prélude heureux les encouragea, ils prirent deux nouveaux associés et continuèrent les fouilles, dans lesquelles ils ont déjà trouvé plusieurs urnes, huit grandes colonnes cannelées, dont les chapiteaux sont d'ordre ionique; six colonnes d'une plus petite dimension et d'ordre composite; une statue assise, plus grande que nature et que les connoisseurs assurent être un Tibère. Ces divers objets ont été apportés ici (à Rome) dans la maison du Sieur Giorgi et attirent depuis quelques jours la foule des curieux et l'admiration des Antiquaires. — Enfin le résultat de toutes ces découvertes *est celle de la véritable position de Veïes*, depuis longtems l'objet des recherches et des contestations de nos savans archaeologues. On continue les fouilles et on espère qu'elles ne seront pas sans succès. „Quod jam reliquum est de quo moneam, Furius Camillus tum, cum Dictator a Senatu missus erat decimo obsessae Vejentanae urbis anno, quo cum expugnaret, „πρῶτον ἐυχὰς ἐποιήσατο τοῖς θεοῖς; ἐπὶ τῷ πολέμου τέλος ἐυτυχὲς λαβόντι — ναὸν θεᾶς, ἣν μητέρα Ματέτα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, κατιερώσειν (h. e. *instauraturum*. v. Not. ad VI, 477.)" v. Plutarch. Camill. §. 21. Liv. V, 19. De hac vero Matuta Dea ejusque factis, fatis, et sacris uberrimus extat locus in Fastor. Libr. VI, 473-562. Cfr. ind. s. v. *Bacchus*. Idem Camillus extitit auctor templi *Junonis Monetae*. Nam sic de eo Noster VI, 185-186: *Arce quoque in summa Junoni templa Monetae ex voto memorant facta, Camille, tuo. Ante domus Manli fuerant, qui Gallica quondam a Capitolino repulit arma Jove etc.* Cfr. de situ hujus templi locus I, 638. Itemque Not. ad utrumque locum. Add de moribus Camilli ind. s. v. *Feliscus*. It. de templis Concordiae ind. s. v. Concordia.

G.

Gabii, orum. Narratio de turpi, qua urbem Gabianam *suam* fecerat quondam Tarquinius superbus, arte, inest loco II, 690-710. v. notata de Gabiis ad v. 690. Tempus, quo validum hoc Latii oppidum (v. Flor. I, 7.) Romanae ditionis factum putant, convenit fere cum anno U. c. 240, et anno a. C. n. 504. De manubiis hujus etiam urbis Tarquinius *erexit* templum Jovis Catolini. v. Flor. l. l. Cfr. Ind. Rer. s. v. *Capitolium*.

Gaetulus, a, um. (Omphale) Dat (Herculi) tenues tunicas, Gaetulo murice tinctas. II, 319. H. e. *purpureas*. Purpureae vero pro *pretiosis* ponuntur, simulque notionem adjunctam habent cultus vitae delicati, mollis et luxurioſi. Caet. Gaetuli Africae partem in occidentem simul et in meridiem vergentem incolunt.

Cfr. Heyn. ad Virg. Aen. V, 51. Ad oram regionis maritimam murices inventas esse docet Plin. H. N. IX, 36. Cfr. Not.

Galatea. Nerei Doridisque filia, nympha maris, Ov. Met. XIII, 724. Hinc explicandus locus Nostri VI, 733: *Hanc* (scil. nurum Laomedontis h. e. Auroram) *quoque cum patris Galatea receperit undis* etc. h. e. praeterita hac quoque die. Est haec formula quoque inter mille alias, quibus variavit infinitum in modum Temporis certi nunc praeteriti nun futuri significationem.

Gallia. Publica cura est pro moenibus istis. (Romanae urbis) *— et poenas Gallia victa dabit.* VI, 377-378. Sunt verba Jovis in Concilio Deorum Vestam consolantis de discrimine summo, in quo res romana versari videbatur, urbe a Gallis capta Capitolioque obsidione presso, et quod omnino Alpino sub hoste Roma jaceret. (v. 358.) Cfr. omnis locus a L. VI, v. 349-394. Caet. victus penuria revera laborasse obsessos in Capitolio Romanos patet e loco Plutarch. in vita Camilli hoc: (§ 139.) Ἀλλὰ χῆνες ἦσαν ἱεροὶ περὶ τὸν νέων τῆς Ἥρας, τροφόμενοι τὸν ἄλλον χρόνον ἀφθόνως, τότε δὲ, τῶν σιτίων ἤδη γλίσχρως καὶ μόλις αὐτοῖς διαρκούντων, ἁμελήμενοι κακῶς ἔφερτον. E loco vero alio (§ 144.) discimus ὅσον ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν δὶς τροφήν; οἶτυ μὲν ἡμίλιτρον ἀπίχωρίου, οἴνου δὲ κοτύλης Ἑλληνικῆς τέταρτον. Obsidio vero accidit a. U. 364. a. C. n. 390.

Gallicus, a, um. Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus, cum tanto Phrygia Gallica distet humus? IV, 361 - 362. Acquiesco equidem in sententia Poetae, quam in seqq. adfert Cybeles sacerdotes accepisse nomen a Galli, amnis Phrygiae, aquis. Caeterum vero quis nescit provinciam Phrygiae conterminam, hoc est *Galatiam*, nomen tenuisse a Gallis (qui a Graecis ὁι Γαλάται dicuntur) quique quondam relicta patria, seu inopia agri seu praedae spe (v. Liv. XXXVIII, 16.) migrare instituerant alias in terras. Pars eorum duce Brenno in Dardanos, Moesiae populum pervenerunt, ibi, secessione a Brenno facta, (Qui oppugnatis frustra Delphis una cum omni exercitu periit. v. Just. 24, 8. Olymp. 125. 2. H. e. a. M. c. 3700, a. C. n. 284.) ad viginti millia hominum cum Leonario et Lutario regulis iter averterunt in Thraciam atque pervenerunt Byzantium, obtinentes Propontidis (jetzt: Mar di Marmora) oppida. Inde transiere adjuvante eos Nicomede primo, Bithyniae rege, in Asiam. (Quod accidit circa a U. c. 47[9] et a. C. n. 278.) Erant autem gentes tres: 1) Tolistoboji, 2) Tectosagi (quorum tamen pars, vel Caesaris tempore, Germaniae loca circum Hercyniam silvam, quae fertilissima erant, occupata quondam, armis adhuc tenuit, summamque habuit justitiae et bellicae laudis opinionem. v. Caes. B. G. VI, 24.) 3) Trocmi. Quarum gentium haec oram Hellesponti, Tolistoboii Aeolida atque Ioniam, Tectosages (haec est Jul. Caes. scribendi ratio v. l. l.) mediterranea Asiae sortiti sunt. Tum stipendia tota cis Taurum Asia exigere coeperunt, tantusque terror eorum nominis fuit, ut Syriae quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Tandem vero Attali primi, regis Pergamenorum (qui regnavit ab a. U. c. 513-557.), armis, adjuti a Romanorum exercitu, coacti sunt se tenere intra Galatiae proprie sic dictae fines. v. Liv. 38, 16-28. De victis tandem triumphavit Cn. Manlius Vulso. v. Liv. 39, 6. 7. Cfr. Flor. II, 11. *Gallica humus* igitur quamquam *tanto distabat ab Asia spatio*, non impedimento tamen quondam hoc fuit Gallis ut eo pervenirent. Caet. De Galatia antiqua scripsit Dissert. Hofmann. 1726. 4. De republica Galatarum vero libellum edidit singularem Theoph. Werenadorf. Norimb. 1743. 4. (Scilicet ut illustrandae servirent haec scripta Ep. Pauli ad Galatas,

bulam Palaeph. XXV, 1. Male vero, cum sine caussa idonea Pontum juxta Euxinum Geryona sedem habuisse suam velit. Melius expositit rem, quae mixta cum falsis vera haud dubie continet, Apollod. Libr. II, cap. 5. Qui quidem *decimum* hunc Herculi ab Eurysteo impositum *laborem* facit. Cfr. Edit. Op. ad Fast. nostr. I, 543.

Giganteus, a, um. De templo Martis bis ultoris in Foro Augusti ab Augusto exstructo Poeta agens: „*digna*, inquit, *Giganteis haec sunt delubra troparis*" V, 555. Quum, quae sunt immensi operis viriumque immensarum, *gigantaea* dicantur, (qs. Gigantum conaminibus similia.) patere videtur, de signis cogitandum esse omnibus, quae Romani bellis reportaverint innumeris, non vero de trophaeis unius Augusti, quae non multum abest quin ridicule *gigantea* dicerentur.

Gigas, ntis. Poeta incertus de vera caussa impositi *Majo* mensi nominis sententias rogat ea de re Musas. Quarum Polyhymnia prior longis ambagibus repetit caussam *a majoribus dignitate et aetate*, ita ut ostendat, qualis quantaque rerum omnium perturbatio vel inter coelites orta sit, quoties omnes vel inter se aequales esse voluerint vel imperio unius parere noluerint. Jam inter hos fuere *Gigantes* (nominatim *Typhon*. vid. loc. II, 461 - 470. v. ibi not.) majestatem Jovis oppugnare ausi. Quibus a Jove victis „*Majestas Deorum bene defensa restat; et ex illo tempore firma manet.*" v. loc. Libr. V, v. 35 - 44. Cfr. de iis Apollod. I, 6. Qui quidem narrare, quae Gigantas spectant, ita incipit: Γῆ δὲ, περὶ Τιτάνων ἀγανακτοῦσα, (De Titanomachia, quae praecessit Gigantomachiam v. Nostrum agentem III, 795 - 808.) γεννᾷ Γιγάντας, ἐξ Οὐρανοῦ, μεγέθει μὲν σωμάτων ἀνυπερβλήτους, δυνάμει δὲ ἀκαταγωνίστους etc. Hinc *terrae fert partus* a Poeta dicuntur.

Glaucus. Occasione commemorandi *ad d. 21. Jun. orgus Ophiuchi sideris* et enarrandae caussae, cur hoc sub nomine Aesculapius inter sidera receptus sit, VI, 733 - 762.) refert Poeta *primum exemplum* in vitam ab Aesculapio restitutorum, *Glaucum*, Minois ex Pasiphaë filium l. l. v. 749 - 750: *Gramina continuo loculis depromit eburnis:* (Aesculapius, in vitam Hippolytum quoque revocaturus.) *profuernnt Glauci manibus illa prius* etc. v. Not.

Gnosis et *Gnossis, idis.* Ad *Gnosson* s. *Gnosum* Cretae urbem pertinens. Quae quidem urbs cum regia Minois fuisset, Minos vero pater Ariadnes, propterea *corona*, quam Veneri Vulcanus, Venus vero Ariadnae dono dotali (III, 513 - 514.) dederat, Bacchus vero ea in novem transformata stellas coelum ornaverat, *Gnosidis* cognomen accepit. Hinc noster III, 459: *Protinus adspicies veniente nocte* (d. 8. Mart.) *Corona Gnosida.* (Sequitur narratio de caussa nominis a v. 461 - 516. Post solis occasum ex angulo inter Boream et Eurum surgens tum iterum conspicitur i. u. post mediam noctem culmina s. vertices coeli attingat et meridianam lineam transeat.

Gorgoneus, a, um. III, 449 - 450: *Jamque, ubi coeruleum variabunt sidera coelum* (i. e. nocte, quae d. 7. Mart. [v. l. l. v. 429.] sequitur) *suspice: Gorgonei colla videbis equi.* H. e. sidus Pegaseïum ex parte ortum conspicies. Explet Pegasus in coelo haud exiguam hemisphaerii borealis partem et in ea quidem ejusdem regione, ubi, ut Mythi argumento inter se propinqui homines, (v. Apollod. II, 4.) ita hic contigua et continuata astra apparent *Cepheus*, *Perseus*, *Cassiepeia* et *Andromeda*. Pegasus vero designatur verbis a fabuloso ortus sui ratione repetitis. Abscisso enim a Perseo Medusae capite ἐκ τῆς Γοργόνος ἐξέθορε Πήγασος πτηνὸς ἵππος. v. Apollod. l. l. Hinc igitur Pegasus *Gorgoneus* adpellatur *equus*. Nam *Gorgonum*, quarum sex nomina-

tim ab Apollodoro l. l. laudantur, una fuit *Meduſa*. Quae cum eſſet μόνη θνητή, διὰ τοῦτο ἐπὶ τὴν τούτης κεφαλὴν Περσεὺς ἐπέμφθη. v. l. l. Caeterum fabulae de Pegaſo breviter enarratae (a v. 451 - 456) ſubjungit Poeta haec v. 457 - 458: Nunc fruitur coelo, quod pennis ante petebat; *et nitidus ſtellis quinque decemque micat.* v. Not. ad h. l.

Graecia. Ubique fere terra pro terrae incolis h. e. Graecia pro Graecis poſita legitur. 1) Quem tamen eſſe Deum te dicam, Jane biformis? *Nam tibi par nullum Graecia numen habet*, I, 89 — 90. [Erat igitur inter Deos indigetes Romanorum Janus.] 2) Feſta corymbiferi celebrabas, Graecia, Bacchi etc I, 393. v. Not. 3) Februarius, extremus quondam anni menſis, (II, 49.) et hinc expiandis facer Manibus, (II, 52.) unde nomen quoque traxit ſuum, (II, 19 - 54.) praebuit occaſionem Poetae inquirendi *in originem* et *cauſſam originis* ritus expiandi vel ſua vel majorum malefacta. Ait igitur II, 35 - 38: *Omne nefas, omnemque mali purgamina cauſſam credebant noſtri tollere poſſe ſenes.* Graecia *principium moris fuit. Illa nocentes impia luſtratos ponere facta putat.* Exempla ſubjunxit rei a v. 39 - 44. 4) Inter cauſſas, cur Romulus annum *geminis menſibus minorem* (III, 100.), quam poſtea fuit, inſtituerit, refertur ignorantia nominatim curſus Lunae et Solis per Zodiaci ſigna. Nam „*Nondum tradideras victas victoribus artes, Graecia; facundum, ſed male forte genus.*

Graecia Magna. Nec tibi ſit mirum Grajo rem (Aprilem menſem) *nomine dici: Itala nam tellus Graecia major erat.* IV, 63 - 64. Pergit, exponere Poeta a v. 65 - 80, quomodo per colonias Grajas in Italiam deductas factum ſit, ut e ſermone graeco multa quoque vocabula immigrarent in ſermonem latinum ſ. jus Latinitatis acciperent.

Graecus, a, um. „Chloris eram, quae Flora vocor. *Corrupta latino nominis eſt noſtri littera graeca ſono.* V, 195 - 196. v. judicium ea de re illuſtr. Op. intpr. ad l. l. Caet. locus *de Flora* et *Floralibus* pertractatus legitur a Libr. V, v. 183-378.

Grajus, a, um. H. e. graecus, a, um. Poeta occupatus in recenſendis ſententiis de origine vocabuli: *agonalis*, refert quintam hanc: *Pars etiam, fieri ſolitis aetate priorum nomina de ludis Graja* (ἀγῶνες) *tuliſſe diem*, (d. 9. Jan.) I, 329-330. 2) *Quis tunc — ſenſerat* (Romuli aetate) — *eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura* (Urſa minor *ſtella polari* inſignis) *petatur Sidoniis, Helicen* (Urſam majorem) *Graja* carina notet? III, 105 - 108. 3) *Sed Veneris menſem* (Aprilem) *Grajo ſermone notatum auguror:* a ſpumis (ἀφρῶις) eſt Dea dicta maris. (Ἀφροδίτη.) IV, 61 - 62. 4) Venerat Evander plena cum claſſe ſuorum: venerat Alcides, (in Italiam) *Grajus uterque genus.* IV, 65 - 66. 5) Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Grajus ab imbre (ὗειν pluere) vocat. V, 166. (Romani *Suculas* easdem ſtellas appellando, ex inſcitia linguae e graeco Τες, ſues, nomen deduxiſſe viſi ſunt Cic. Nat. Deor. II, 43. Plin. Hiſt. Nat. XVIII, 23, extr. Vindicare ab ignorantiae opprobrio ſtuduit populares ſuos Gell. N. A. XIII, 9. 6) In loco libr. V, 621 - 622, qui ſatis offendere videtur, obtinuiſſe in Italia quoque hunc morem religioſum quondam, ut homines ſacrificio Diis offerrentur, legitur, poſt rem omnem et aliter, ſecunda explicandi ratione, expeditam a v. 639 - 658, hoc: *Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago, ut repetat* Grajas per freta longa domos (v. 659-660. 7) Stat vi Terra ſua: *vi ſtando* Veſta (quae quidem ex ſententia Poetae eadem eſt quae Terra.) vocatur. *Cauſſaque par Grajo nominis*

(Ecclas v. not.) esse potest. 8) Grajus h. e. Graecus. *Subst.* Carmenta, Evandri mater, rogata respignans Inoni, materterae Bacchi, a se hospitio in Italia exceptae, venientia fata: „*Leucothee*, ait, *Grajis, Matuta vocabere nostris.*“ [Cfr. Plutarch. Camill. §. 21.]

Gyges. Ceres orbe perrrato, ut filiam amissam requireret, tandem erravisse et in coelo fingitur a Poeta. Hic a Sole, rerum omnium, quae in terris interdiu fiunt factaque sunt, teste, certior facta, filiam, *nuptam Jovis fratri, tertia regna tenere*, (IV, 584.) adit Jovem et *de facti injuria* queritur ita, ut mordacibus dictis Jovem accuset talia, *impune* ut fieri per ipsum possint, admittentis, his usa verbis: *Quid gravius victore Gyge captiva tulissem, quam nunc, te coeli sceptra tenente, tuli?* IV, 593-594. Gyges vero, Cottus, et Briareus (cfr. de hoc Ind. Rer. s. v. Briareus) fratres fuerunt quinquaginta capitum centumque manuum, Terrae Coelique filii. Qui quidem a Saturno (secundum Apollod. vero ab Urano.) detrusi in Tartara, Jovi, ab ipso inde evocati, potius auxilio adfuerunt contra Titanas, quos victos et dejectos in Tartara ibidem custodiverunt. v. loc. Hesiod. in Not. laud. Ovidius igitur Gygen memoria lapsus pro Titanum aliquo posuit. Cfr. Palaeph. Fab. XX.

H.

Hamadryas, dis. Nymphae comites Dianae venantis, Hamadryades dicuntur. „*Callisto sacri pars fuit una Chori.* II, 156. Nymphae simpl. adpellantur v. 169. Narratio de Callistus fatis, quae legitur apud Apollod. Bibl. III, 8. discrepat in nonnullis a Poetae nostri narratione v. c. Jovem ipsum βουλόμενον Ἥραν λαθεῖν (τὴν Καλλιστὼ) εἰς ἄρκτον μεταμορφῶσαι αὐτήν. Item: εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες, ὡς Ἄρτεμις αὐτὴν κατετόξευσεν, ὅτι τὴν παρθενίαν οὐκ ἐφύλαξεν. Caet. *ad Deucalionis tempora* (H. e. a. C. n. 1580.) refert vitam Lycaonis, Callistus patris, additque: τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν ἔνιοί φασι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν γεγενῆσαι. Habebat nimirum idem quinquaginta filios, quorum nomina dedit Apollod. l. l. Nominibus positis addit: οὗτοι πάντας ἀνθρώπους ὑπερέβαλον ὑπερηφανείᾳ καὶ ἀσεβείᾳ. Reliqua v. in Ind. Rer. s. v. *Callisto.* Caeterum Hamadryades nomen suum accepere inde, quod ἅμα ταῖς δρυσὶ h. e. simul cum arboribus, inpr. quercubus oriri et interire credebantur.

Hasdrubal. Hannibalis frater. Cum imperio in Hispaniam missus ab Carthagine deinde allatum est, ut primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret. (Liv. XXIII, 27. Eo nimirum consilio, ut Hannibalem post pugnam ad Cannas in Lucanis morantem adjuvaret auxiliis.) Alpibus superatis Placentiam (hodie *Piacenza.*) obsidet. Obsidione abscedens in Umbriam movet. Atque hic ad Metaurum flumen pugnans, *ut fratre Hannibale et patre Hamilcare dignum erat* (v. Liv. 27, 49.) *telis cecidit ipse suis.* d. 24. Jun. a. U. c. 548. a. C. n. 206. v. Fastor. Libr. VI, 770. Cfr. Not. ad l. l.

Hasta. 1) Instrumentum comendis puellarum nubilium aut nubentium inserviens comis. Hinc instrumentum *caelibare* ab Arnobio et Festo vocatur. Poeta noster Feralium diem (qui dies 18 Febr. erat, praeter alios haud dubie praecedentes. v. Not. ad II, 567. Cfr. Not. ad v. 475.) *malo ominis* fuisse docet, si qua nuberet viro, his usus verbis: *Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri, comat virgineas hasta recurva comas.* 2) Hasta Fetialium ampliatis romani imperii finibus non ultra veros hostium fines (v. Liv. I, 32.) sed ultra columellam in area ante templum Bellonae positam mitti solita. „*Hinc solet hasta manu, belli praenuntia, mitti; in re-*

gem et gentes cum placet arma capi." VI, 207 - 208. 3) Hasta proprie sic dicta a Sabinis priscis nominata est *Curis*. Hinc e multorum sententia Romulus ἀποθεωθεὶς *Quirini* nomen tenuit. Nam „*bellicus a telo* [*hasta*] *venit in astra Deus*. II, 477 - 478.

Hastatus. (adj. Suppl. *miles*.) Numerus denarius magno quondam in honore cum esset (III, 122.) propterea „*pares centum denos secrevit in orbes Romulus, hastatos instituitque decem*. vid. III, 127 - 128. v. quae ad locum valde vexatum observavit illustr. Op. Edit. Additur eod. loc. „et totidem *Princeps*, totidem *Pilanus* habebat corpora." H. e. centum dena i. e. mille erat militum ordo Hastatorum, totidem etc. Caet. hastati pugnae initium fecerunt. Prima enim acies fuerunt. (v. Liv. VIII, 8.) Constabant e flore pubescentium et tirones fere fuere.

Hebe. Vid. quae de ea monuit illustr. Fastor. intpr. ad Libr. VI, v. 65. Quo loco *Herculis uxor* adpellatur. Poeta Junii mensis tractaturus memorabilia pulchro hoc est usus commento: quum se in lucum arboribus densum abdidisset, ut meditaretur de caussis, cur *Junius* mensis hoc nomine insignis esset, Juno, Hebe et Concordia, Deae, nil tale exspectanti conspiciendae se ipsius oculis praebent. Quarum prior, postquam a v. 21 - 65 honorem mensis a se ita nuncupati vindicasset omnibus fastus et ambitionis ipsi propriae notis, *Hebe*, dea Juventutis caussam suam summa modestia menteque submittente se matri, Junoni, ita agit a. v. 67 - 89, ut Junium *juvenum mensem* esse ajat, et ab his, ut a *majoribus natu* h. e. Senibus *Majum*, dici, adfirmare sustineat.

Hebrus. Fluvius Thraciae in monte Orbelo ortus (Hodie *Marizza*) nostro *arenosus* dictus III, 737. Horatius (Epp. I, 16, 13.) Digentiam suam ita cum Hebro comparat: ut *nec frigidior* Thracam, *nec purior* ambiat Hebrus (Qui quidem locus notabilis praetermissus est a Schellero in Lex. s.)

Hecate. Janus caussa reddita figurae suae, I, 132 - 140, subjicit caussam, cur Hecate *triceps* sit, hanc: „Ora vides Hecates in tres vergentia partes, *servet ut in ternas compita secta vias*." v. 141 - 142. Propter compita in ternas secta vias h. e. propter *trivia*, quae *servat*, quae sunt in Deae tutela, *Triviae* cognomen accepit; quod quidem cognomen absolute positum legitur v. 389. Eadem Dea propter tria ora *virgo triplex* adpellatur I, 387. v. Not. ad l. l. Fortasse tamen propterea quoque quod in coelo fulgens *Luna*, sub terris latens *Hecate*, in terris vero *Diana* vocatur. Sacrificatum est ipsi a Romanis *cerva* v. 387 - 388, a Sapaeis et Haemi montis accolis vero *canum extis* v. 369 - 390. [Ab Atheniensibus ditioribus mense quoque *coena, ex ovis et caseo* constans, in trivia Deae mittebatur, quae pauperes furto auferre solebant. v. Aristoph. Plut. v. 594 - 597; et Schol. ad voc. δεῖπνον.

Helias; ados. VI, 717: „*At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis — tollet humo validos Hyriea proles*." H. e. Post Solis occasum orietur Orion. [Nocte d. 17. Jun. sequente.] Formula est una illarum multarum, quibus miro modo ingenium Poetae variavit simpl. sentent. postera nocte, postero die, post biduum, triduum etc. *Heliades* h. e. filias Solis nominatim recenset Hygin. Fab. 154. Propter Phaëthontis fratris, fulmine icti, (v. Cic. de Offic. III, 25.) casum funestum usque cum lacrymas funderent *Heliades*, ipsae in populos aut alnos (Fastor. (v. celeb. Met. intpr. ad Metam. II, 364.) lacrymae earundem vero in *electrum* permutatae narrantur. Hinc Juvenal Sat. V, 37 - 41: " ipse, inquit, Virro capaces Heliadum crustas — tenet, tibi non committitur au-

rum. H. e. pocula ex electro cavato et tornato formata i. e. pretiosissima luxuriae instrumenta. Cfr. de Heliadib. II, 340 - 366.

Helice. Sic *Ursa major* sive Callisthus astrum appellatur III, 108. Quo quidem loco observatur, scientiae rerum nauticarum studiosos inter Graecos *Helicen*, Sidonios vero, hoc est, Phoenices *Cynosuram* (v. 107) i. e. Ursam minorem sibi delegisse ducem viae in maribus, Mediterraneo, Adriatico et in Ponto Euxino quibus tum fere omnis navigatio continebatur. 2) Per gratum intelligentibus inventum Ceres pererratis, ut filiam raptam inveniret, omnibus orbis terrarum locis (IV, 462 - 502. Item v. 561 - 574.) coelum tandem petit et *ex Helice* propterea scire expetit ubi et a quo rapta sit filia virgo, quia *nunquam* occidat atque adeo videat, quae nocte in terris ubique fiant. v. 575 - 582. Caeterum nomen Helices hoc astrum accepit, quia quoque anno semel ἕλισσεται h. e. rotatur circa polum arcticum, nocte vero quaque ἑλισσομένη h. e. voluta per dimidiam partem orbis sui circa axem Poli conspicitur ab omnibus incolis ejus dimidiae globi terrestris partis, quae sub septem triombus posita est. Addere his liceat Poetam male Helicen alloqui facere Cererem IV, v. 577: *Parrhasides stellae!* cum προσωποποιΐας figura, stellis accommodata displiceat. Sensisse hoc videtur Poeta ipse. Nam v. 588. Helices nomine utitur, quae respondeat Cereri, quod ineptius quoque inducerentur stellae facere.

Hellespontiacus; a, um. Deus Hellespontiacus appellatur *Priapus* I, 440. Item: *Jongi Deus Hellesponti* VI, 341. Sic quoque Virg. Georg. IV, 111: *Hortos — Hellespontiaci servet tutela Priapi* h. e. tueatur Priapus. Caussam appellationi huic dedere *Lampsaceni* cultu hujus Dei praecipue nobiles, quarum urbs (Lampsacos, VI, 348.) ad ora Hellesponti sita erat. Ezechi tamen in Clav. Cic. observat, Hellespontum dici non tantum fretum Europam ab Asia dividens (jetzt: die Dardanellen) sed totam quoque istam Asiae partem, quae est ad Hellespontum. Hinc patere cur Lampsacum a Cic. in Verr. I, 24 dicatur *Hellespontis oppidum.* Hinc igitur pateret majis quoque, cur Priapus appelletur *Deus Hellespontiacus.*

Hellesponius. Nomen fecit freto disjungenti Europam ab Asia *Helle*, sorore Phrixi, filia Athamantis et Nepheles. Fabulam, occasione commemorandi ad d. 22. Mart. transitus Solis in arietis astrum, enarravit Poeta III, a v. 851 - 876. Pertinent huc verba v. 868 - 870: „Ille (aries) vehit *per freta longa* duos. [Hellen et Phrixum.] Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra femina; *cum de se nomina fecit aquae.* [Ἕλλης — πόντος.] 2) Cerere raptam quaerens filiam, ora Atticae relicta, quae orientem versus sita est, — hinc init Aegaeum (mare) — Ionumque rapax, Icariumque legit. Perque urbes Asiae *longum petit Hellespontum* etc. [Hodie: *Die Dardanellen.* Quarum ad ostia a parte Europaeae orae Constantinopolis, quae quondam Byzantium erat, posita est.]

Helorius, a, um. Ceres anxiae curae plena, pererrans omnia Siciliae loca notabilia, adit etiam *Heloria Tempe*, (IV, 477.) H. e. loca amoenissima circa Helorum Siciliae oppidum juxtaque ripas fluminis Helori. Explicatur locus noster loco Virg. Aen. III, 698. Ibi alia et haec quidem regionis circumloquutio legitur: *praepingue solum stagnantis Helori.* Plura de fluvii natura dedit ad h. l. Heyne, qui idem observat hodie nominari: *Atellaro*, et *Abisso.*

Henna sive *Enna.* Urbs mediterraneae Siciliae partis, culto fertilis solo et hinc Cereris quoque nobilis cultu. IV, 422.

Hercules. Duplici memoratur beneficio, redux ex Hispania factus, incolas regionis circa Tibe-

rin obstrictos sibi reddidisse et sic memoriam sui servasse. 1) Exstirpatione Caci monstri. I, 543 - 584. (Livius Cacum pastorem, accolam ejus loci, ferocem viribus habuit. v. I, 7, 4 — 8.) 2) Abrogatione moris Saturno quotannis sacra faciendi ita ut duo mitterentur in Tiberini aquas homines vivi. V, 625 - 632. Caeterum pleraque omnia, quae in Fastorum opere hunc spectant heroem, collecta et in ordinem redacta justum vide in Ind. Rer. s. v. *Alcides*.

Hernicus, a, um. Mensis a Marte dictus fuit „*sextus apud populos, Hernica terra, tuos.*" III, 90. Hernicorum (ab *hernis* h. e. saxis dictorum) ager *lapidosus* fuit circa *Anagniam* tumenti suspensam dorso et fertilem v. illustr. Heyn. ad VII, 684. Quo quidem loco Hernica terra *roscida rivis* vocatur. Hernici ibidem sunt inter Latii populos, quod vel inde ostendi hodienum posset, quia Anagniae conterminus fuit eorum ager. Anagniae vero memoriam servat adhuc oppidum, quod haud procul a Roma meridiem versus positum, nomine prisco parum mutato, *Anagni* dicitur.

Hersilia. (Nomen hoc ipsum in contextu Carminis non legitur.) Martis nurus, Romuli uxor. Ejus exhortatio, qua raptis Sabinorum filiabus suadet, ut reconciliare studeant patres maritis. III, 205 - 213. Apud Livium [I, 11.] eadem partes egit, precibus raptarum fatigata, intercedentis, nec frustra, apud Romulum conjugem, pro causa victorum Antemnatium. Exhibentur igitur ingenium atque mores feminae ab Historico aeque atque a Poeta eum in modum ut ferocitatem Romuli prudentiae consiliis humanitatisque sensibus mollire studuisse videatur.

Hesperius, a, um. Januarium mensem quum *primum* alter anni latini conditor, Numa, esse jussisset, Poeta, respiciens a *Jano* nomen accepisse suum hunc mensem, memorabilia ejusdem persequuturus huic ipsi Deorum Latii indigetum fere antiquissimo eximia ingenii sollertia imposuit personam docentis initio Libri primi, qui sit Deus etc. Jam a v. 133 - 144. pergit rationes reddere, forma cur sit *bicipiti?* Hinc v. 137 - 140: „Utque sedens vester — janitor egressus introitusque videt: *sic ego prospicio, coelestis janitor aulae, eoas partes hesperiasque simul.*" (Ἠοὸς παλιόνδε δοφόνδε) 2) Subst. *Hesperia* [ἡ ἑσπερία scil. χώρα, γῆ etc. Terra vesperam versus posita, in occidentem vergens solem.] α) Graecis in Graecia habitantibus fuit *Italia.* Sic legitur I, 497 - 498: *Vocibus Evander firmata mente parentis nuve fecat fluctus, Hesperiamque tenet.* β) Graecis in Graecia inprimis magna h. e. in parte Italiae australi habitantibus fuit *Hispania.*

Hesperus. Ὁ Ἕσπερος. Proprie vesper. Deinde e mytho physicae rei debito pater Hesperidum e Nocte Dea susceptarum. (Hesiod. Theog. 15. Cfr. de hac Dea Noster I, 455 - 456.) Tum Stella Veneris erratica, quae peragens intra 224 dies, et quod excurrit, cursum circa solem *semel* longissime orientem versus remota *vespere* in plaga coeli *occidentali* conspicitur. Tum vero nomen *Hesperi* accepit ex opinione vulgi *Hesperi numinis* aut *viri* haud dubie credita imago. (v. de ejusmodi opinione quae stellam crinitam *Caesaris duxit animam* Suet. Jul. 88. Quam ut gloriosa Caesari ita communis omnibus fuerit ista opinio, inde patet, quia in numis et gemmis ea expressa hodie etiam visitur. v. Not. Ern. ad l. l.) Jam justae, Phantasiae informatae, imagini Poetae justum adnectere poteris sensum, si legeris II, 314: *Hesperus fusco roscidus ibat equo.* H. e. advesperascebat. v Not. Cur eadem stella *Lucifer* nuncupetur, v. in Ind. Rer. s. h. v.

Hiems. „*Postera lux* (d. 10. Januar.) *hiemem medio discrimine signat, aequaque praeteritae, quae superabit erit.* I,

459 - 46. 2) „Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis Lucifer, et primi temporis veris eunt. *Ne fallare tamen, restant tibi frigora, restant:* (A die igitur, quem modo ornato verborum ambitu designaverat h. e. d. 9. Febr.) *magnaque discedens signa relinquit hiems.* 3 Fallimur? — an veris praenuntia venit hirundo (d. 25. Febr.) *et metuit, ne qua versa recurrat hiems? — Saepe tamen, Procne, nimium properasse quereris, virque tuo Tereus frigore laetus erit.* 853 - 856. 4) Inter causas quatuor, cur Kal. Mart. Juno solita sit colla matronis Romanis, Mars fingitur ipse hanc quoque tertiam attulisse III, 235 - 236: *Quid? quod hiems, adoperta gelu, nunc denique* (d. 1. Mart.) *cedit et pereunt victae sole tepente nives.* (Quanta regnaverit sententiarum varietas inter Romanos ipsos in definiendo temporis hiberni spatio, si vel *ad solam mediam Italiae partem* definiendi studia pertinuerint, disces e notis cuique fere locorum excitatorum ab illustr. Op. edit. subjectis. Caussa vera varietatis sententiarum in ipsa Naturae inconstantia ratione vicissitudinum temperiei Atmosphaerae, quae quoque anno alia esse solet apud nos quoque, quaerenda erit.

Himera. Est in catalogo locorum Siciliae, quae sollicito pectore mater Persephones a Plutone raptae h. e. Ceres filiam raptam requirens pererrasse fingitur. IV, 475. Vide de hujus oppidi situ et fatis not. ad l. l. Fluvius ejusdem nominis, ad cujus ostium urbs sita erat, Siciliae insulam ferme divisit. v. Liv. 24, 6. Ad Cicerone commemorantur et amnis et urbs Verr. IV, 33.

Hippolytus. Theseo patri suspectus de noverca Phaedra (quae, privigni amore capta, cum ad voluntatem suam miserum perducere non potuisset, stupri incesti eum apud Theseа patrem accusavit.) ita ut interitum filii optaret inter tres optationes a Neptuno ipsi datas, (v. Cic. d. Off. III, 25.) Exactum e se promissum Neptunus servavit ita, ut monstro marino in terram emisso equos Hippolyti consternatos redderet. Quo facto excussus curru misere periit. Mox indignante Diana et dolente tristem pii juvenis sortem Aesculapius vitam exquisitae artis suae ope defuncto reddidit, quo facto Virbii (bis viri) nomine latere putabatur in luco Aricino. v. l. class. ap. nostr. VI, 733 - 770. Cfr. Not. ad III, 265.

Hirundo, inis. Adventu suo nostris quoque in terris gratos cujusque in pectore excitare sensus hanc avem, cogitatione, conspecta primum ea hospite, in mente suborta, *adesse jam laetissima veris tempora*, quis nescit? — Nunc noster I, 157 - 158: *Tum* [vere novo] *ignota* [per hyemem] *prodit hirundo, et luteum celsa sub trabe fingit opus.* 2) II, 853 - 856: *Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo* (d. 24. Febr.) *et metuit ne qua versa recurrat hiems? — Sed tamen, Procne, nimium properasse quereris; virque tuo laetus Tereus frigore laetus erit.* [Nam verum veris initium Kalendas Martias habet Poeta III, 235: *Quid? quod hiems, adoperta gelu, nunc denique cedit, et pereunt victae sole tepente nives* etc.]

Honores. H. e. Magistratus. Kalendis Martiis initos fuisse ad tempora belli Punici secundi, imperatore Hannibale gesti, vult Poeta III, 147 - 148; his usus verbis: „*Hinc etiam veteres initi memorantur honores ad spatium belli, perfide Poene, tui.*" At vide, quae monuit celeb. Op. edit. ad loc. laud. [Caet. Poeta inter octo argumenta, quibus ostendit Romuli annum *a Martis mense initia coepisse*, *septimo* commemoravit *loco* modo laudatum. Omnium firmissimum vero stabiliendaeque sententiae aptissimum est haud dubie postremo loco allatum.]

Horae. 1) *Praesidet fortibus coeli cum mitibus Horis Janus.* 1, 125. v. loc. Hom. in not. laudat. [Quatenus per vocabulum ὥραι tempora anni, et nunc quidem ver, nunc aestas, nunc autumnus, nunc vero hyems quoque notantur, vid. loca a b. Fischero in Ind. Aesch. laudata] 2) *Pictis incinctae vestibus legunt leves in calathos munera Horae.* V, 17 - 18. v. Notata.

Hostia. Unde et *cur* hoc nomine nuncupari solitum sit animal sacrificandum Diis, et qua ratione notio vocis differat a notione vocis *victima* docet Poeta I, 335 - 336: „Victima, quae dextra cecidit victrice, vocatur: *hostibus amotis hostia nomen habet.*“

Hyacinthus, i. Lacedaemonius gente, aetate adolescens. Ab Apolline, cui carissimus erat, discо percussus est per imprudentiam. E percussi sanguine flos ejusdem nominis ut nasceretur effecit Flora. Hinc illustrantur loca α) V, 223 - 224: *Prima Therapnaeo fevi de sanguine florem: et manet in folio scripta querela suo.*“ v. Not. β) IV, 439. Quo quidem loco Poeta, cum respectu ad fabulam, quoque scenae vitam augeret, Hyacinthum alloquitur, aitque eum comites Proserpinae per floris a se denominati adspectum jucundissimum oculis, gratissimumque naribus odorem morantes delinuisse.

Hyades. Videndum erit primum de fabula, quae sideri hujus nominis nomen fecit; deinde de sidere ipso, ejus loco in coelo, ortuque item et occasu. 1) Atlantis, qui fuit *stirps Oceani* (V, 171.) et Aethrae fuisse filiae *(Nymphae.* Ib. v. 172.) traduntur, sorores *Hyae* sive Hyantis, primi partu ab Aethra editi. (V, 169 - 172.) Funestam Hyantis venatoris a leaena dilaniati necem plus quam ipsi parentes cum moestae deflerent et lugerent sorores, Aethra mater eas inter astra recepit, *nomina vero sororibus fecit frater Hyas.* (V, 196 - 182.) Rectius vero Poeta nomen ab ὕειν pluere derivavit ibd. v. 166: *Flammae,* (i. e. radiantia astra: *navita — quas Hyadas* Grajus *ab imbre* vocat. (Cfr. Ind. s. v. *Grajus* et Notata ad l. l. Hyadum sorores fuerunt *Pleiades.* Ab eodem enim patre, *Atlante*, genitae, at non ex eadem matre natae fuisse feruntur. Pleiadum enim mater *Pleione*, Hyadum vero *Aethra* fuit. Vid. de Pleiadibus V, 81 - 84. Cfr. IV, 169 - 178. [Cfr. Fischeri Ind. ad Aeschin. s. v. Πλειάδες, qui, quae erat doctrinae viri copia ingens, multorum scriptorum loca laudavit multa, quae de utroque tum Pliadum tum Hyadum sidere agunt] II) De sidere Hyadum ipso et α) de loco, quem coelesti occupat in globo. In universum hoc erit tenendum: Pliadas et Hyadas partes constituere corporis *Tauri* (v. Ind. Rer. s. v. *Bos.*) et ita quidem, ut *Hyadum grex ora reddat radiantia Tauri,* (i. e. in capite Tauri positae micant.) V, 165 - 166. Cfr. VI, 197; *Pliades* vero sint inter finitionem corporis Tauri et caudam Arietis. [Accuratior, auctore Eratosthene, locus huic sideri adsignatur *spina dorsi* ejusdem. Quod si tenueris, conjectura facilis erit, ubi quoque tempore anni nunc quaerendus sit locus in coelo utriusque sideris, atque ubi tunc, quo Poeta inter vivos erat, inveniri potuerit. Nam cum Taurus sit inter *septentrionalia* Zodiaci *signa*, solque, motus ad speciem a loco ubi occidit ad locum ubi oritur, eo perveniret, ubi positus inter Taurum et Terram, illius stellas conspectui mortalium d. 20. Apr. subduceret (IV, 713 - 716.) [quod hodie intra dies 14 - 16. Maji, si rem non ad exactissimam rationem computatam postulaveris, evenire solet. V. celeb. Bode: von dem Zurückweichen der Aequinoctialpunkte oder dem Vorrücken der Tag - und Nacht - Gleichen. Sternk. §. 216 - §. 226] circa *Idus* vero *Maji* (d.

15. Maj. et vel d. 14. Maj. V, 599 - 600. 603 - 604.) easdem motu, ortum versus, ultra progressus conspicuas iterum matutino tempore redderet, [Quod hodie circa dies 14 - 16. Junii evenire potest.] efficitur inde, quo circiter tempore Pliades quoque et Hyades *heliace* ortae sint occiderintve. - - Jam loca e Fastorum opere eruta, quae huc pertinent, ex ordine librorum propositа sequantur: 1) III, 105 - 106: *Quis tunc aut Hyadas aut Pleiadas Atlanteas ferat, aut geminos esse sub axe polos?* [De anno Latio s. Latino agit Poeta, a Romulo inscitiae errore, inprimis Mechanices systematis solaris. denorum mensium ambitu absoluto.] 2) IV, 677 - 679: *Sed jam praeteritas quartus tibi Lucifer Idus respicit. Hac Hyades Dorida nocte petunt.* Tertia *post Hyadas* cum lux erit orta *remotas* etc. [H, e. simpliciter: Hyades d. 17. Apr. occidunt; proprie *mare petunt.* Nam *Doris* habebatur filia Oceani, conjux Nerei, atque adeo Dea marium. Immergi vero tum coepit astrum haud dubie radiis solis occidentis.] 3) V, 163 - 166: *At simul inducunt obscura crepuscula noctem, pars Hyadum toto de grege nulla latet.* [Si de ortu Hyadum vere sermo est i. u. lectio *latet* genuina sit, tum Ovidius, ut aliquotius, sic et h. l. errorem erraſſe videtur. Nam non de ortu vespertino d. 2. Maj. sed de ortu matutino sermo esse tum potuit. Sed lectio *patet* propterea inprimis praeferenda videtur, quia vel tum d. 2. Maj. Hyades non emersae mane e diluculi et aurorae luce ita possunt haberi, ut adspectui curiosorum apparuerint. Versus vero, 165 et 166. nullus dubitarem nectere cum loco, qui sequitur, clasſico, quique mythum de Hyadibus continet a v. 167 - 182. Cfr. illustr Op. intpr.] 4) V, 733 - 734: *Auferat ex oculis veniens Aurora* (d. 25. Maj.) *Booten: continuaque die sidus Hyantis erit.* [Ingenue fateor, me non satis cepisse mentem Poetae. Leges adeo linguae arguere locum vitii latentis videntur.] 5) VI, 197 - 198: *Postera lux* (IV. Non. Jun. h. e. d. 2. Jun.) *Hyadas, Taurinae cornua frontis, evocat, et multa terra madescit aqua.* [Hinc igitur Τάδας ab ὕειν. Cfr. V, 165. Atque hic locus *de tempore ortus* Hyadum seu Suculorum *auctoritate Naturae ipsius* haud dubie confirmatur] 6) VI, 711 - 712: *Tertia lux veniat,* (d. 15. Jun.)) *qua tu, Dodoni Thyene,* (h. e. Hyadum una; v. Not. ad l. l. aut stella Doppelmayero *Palilitia* dicta, Arabibus Aldebaranus. v. Ind. Rer. s. v. *Dodonis* et *Bos.*) *stabis Agenorei fronte videnda bovis.*" Nullus paene dubito, quin de *Tauri lumine* i. e. stella Palilitia locus interpretandus sit, cum Hyades circumpositae sint oculo Tauri, hincque Doppelmeierus quoque eundem oculum Palilitium dixerit, quia Plinius (H. N. XVIII, 26.) Hyades *sidus Palilitium* dixerat a *Palilibus* d. 21. Apr. celebratis, quia tum aut latebant aut patebant. De Palilibus v. loc. clasſ. IV, 721 - 806.

Hyas; ae; et *Hyas, antis.* Omnia fere dicendo occupata sunt quae hunc spectant Atlantis et Aethrae filium, Hyadumque ab ipso, ut voluerunt, dictarum fratrem s. v. *Hyades.* Intertexuit loco de Hyadibus fabulam de Hya V, 169 - 180. Quas ipse Poeta, v. 166, non dubitaverat *ab imbre* (ὕειν) cum Grajis dictas existimare stellas, easdem tamen *a fratre* Hyante quoque, mythum respiciens, *sidus Hyantis* dixit V, 734.

Hymenaeus, i. „*Conde tuas, Hymenaee, faces — habent alias maesta sepulcra faces.* II, 561 - 562a. Cfr. de hoc nuptiarum legitimarum Deo Intpr. ad Catulli Epithalamium. Caet. nuptiis celebrandis plures anni dies infausti h. e. mali ominis habebantur; ut *Feralium* dies h. e. d. 18. Febr. It. *Saliorum dies festus* i. e. d. 1. Mart. v. III,

393 - 394. *Cauſſam* ſubjunxit v. 395 - 396. Omnes *ante Idus Junii* dies. VI, 219 - 234.

Hyperion, onis. *Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum* h. e. Solem. I, 385. Dictum ita volunt propterea, quod ſuper noſtra capita tranſeat ſuperque terras erret. (διὰ τὸ ὑπερ ἡμᾶς ἰέναι.) Certe hoc nomen adjectum ut Epitheton legitur nomini Ἡελίου ipſi. Odyſſ. I, 8. At v. 24. Ὑπερίων ſimpl. legitur ἀνίων. καὶ ἐυόμενος. Cfr. Apollod. I, 9. 25. At vero Heſiod. Theog. 371 - 375. a parente Hyperione nomen deducens, Solem. v. 1011. appellat Ὑπεριονίδην. Caeterum cur equus Soli victima cadat ap. Perſas ex ingenio addidit Poeta v. 386 l. l.

Hypſipyleus, a, um. Poeta monſtrans Martium menſem *partim* propterea Marti fuiſſe ſacrum, *quoniam Romuli fuerat genitor* (III, 59 - 78.) partim vero quoniam idem *omnium fere Latii populorum* jam *ante* Romulum *Deus, tutelaris* fuerat (III, 79 - 96.) exemplo et more *exterarum gentium*, quarum aliae hoc aliae illud numen *praecipuo* cultu prolequutae ſint, inter eas nominatim *Lemni* inſulae incolas, *Volcani cultores*, his laudat verbis III, 82: „*Volcanum tellus Hypſipylea colit.*“ H. e., ut verbis utar auctoris Priap. XXXVI, 7: *Volcanus tutela eſt Lemni*. De Hypſipyla v. not. ad loc. laud. Cfr. Ovid. Epiſtolam Hypſipyles ad Jaſonem, Heroidd. VI. Cauſſam vero e mythis repetitam cultus Vulcani ex ipſius Dei narratione, ſimplicitate nativi leporis plena, qua Coelitibus triſte fatum ſuum Jovis irae excandeſcenti debitum refert, diſcere poſſumus. Narrationis autem verba ſunt haec (v. Hom. Iliad. A, 589-594): Ἀργαλέος — Ὀλύμπιος ἀντιφέρεσθαι. Ἤδη γάρ μὲ καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα [Junoni matri] ῥίψε, ποδὸς τετάγων, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο: πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι κάππεσον ἐν Λήμνῳ· ὀλίγος δ' ἔτι ζυμὸς ἐνῆεν· ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα. Caet. cauſſa e natura ipſa loci repetita, cur Lemnii Vulcanum tutelarem ſibi Deum delegerint, fuerunt ignivomi inſulae montes. v. Sophocl. Philoct. 987. 800. Lemnos vero a Turcis hodie *Stalimene*, vocatur.

Hyrieus. Memoriae filii *Orionis* inter aſtra recepti debet nominis immortalitatem; ut filius ipſe propterea eodem adhuc ſingulari quotidie gaudet honore, ut memoria ipſius recolatur, quia inter coeli aſtra a ſe denominatum aſtrum ex fulgentiſſimis eſt, et, longe porrectum in utrumque hemiſphaerium, numeroſiſſima ſtellarum, quas complectitur, copia ab aliis differt. Commemorandus ad d. 11. Maj. occaſus Orionis heliacus veſpertinus, praebuit Poetae opportunitatem *ſigni cauſſam* canendi a V, 493 - 545. Narratio, qua cauſſa nominis ratio ortus etc. Orionis continetur, eſt haec: Hyrieus angulti cultor agelli et ſenex pius hoſpitio excipit exigua ſua in caſa Jovem, Neptunum atque Mercurium. (v. 495 - 523.) Obſtrictus jurisjurandi fide uxori moribundae ſponte oblata non denuo quidem conjux at pater tamen eſſe cupit. (v. 525 - 530.) Qua per Deos modo laudatos via ſit compos factus voti, *pudor eſt*. cum Poeta (v. 532.) pronunciaverim, *eloqui*. v. loc. ipſ. Sic ſibi genitum Hyrieus vocavit *Uriona*. (v. 535. Perdidit vero antiquum litera prima ſonum. [κατ' εὐφημισμόν, ut auctor fabulae de Orione Palaephataeis inſertae ait. v. Fab. V.] Caeterum ejusmodi Deorum inter homines, adſumto corpore humano, itinera, quorum occaſione lubenter hoſpitio ſe excipi patérentur, *vere* inſtituta fuiſſe et *crebro*, nemo tum dubitavit Polytheiſmo addictorum incultiorum hominum. Memorabile rei exemplum fide ſatis dignum legimus in Act. App. XIV, 4 - 21. Omnino de talibus non, niſi adjutus accurata Plychologiae cognitione, conjuncta ea cum hiſtorica notitia opinionum humanarum omnis

aetatis omniumque globi terrestris populorumque circa res divinas, justum ferre judicium poteris.

Hyrieus, a, um. VI, 717-719: „*At, pater Heliadum radios ubi tinxerit undis et cinget geminos stella ferena polos:* [H. e. Post solis occasum noctemque, sequuta diem 16. Junii] *tollet humo validos proles Hyriea lacertos.* H. e. Orion super partem finientis eoam ante solis ortum erigere se ita incipit *ut humo quasi se tollere* videatur. [Apud nos immersus vespertinis solis radiis versus finem mensis Maji e matutinis ejusdem emergit circa mediam mensis Augusti partem, ita ut mense Septembri a media nocte nitidissimus toto corpore in coelo micet.

I.

Iarba. Cum Virgilius filum narrationis de Aeneae et Didus fatis contextae ita abrupisset, ut nihil de Annae et Tyriorum, post Didus casum, eventis subnecteret et, quod mirum videri nec favens Aeneae moribus judicium excitare poterat, hunc post adventum in Italiam prorsus omnium eorum incuriosum exhibuisset, quae in terris, ubi benignissime exceptus fuerat, gererentur; resumere Poeta noster filum abruptum voluisse videtur, ut suppleret quae supplenda viderentur. Per enarrandam originem festi genialis, in memoriam Annae Perennae Idib. Mart. celebratam, (III, 523) occasionem nactus, quod mente conceperat, re efficiendi, a Libr. III. v. 545-656. *de Annae, Didus sororis, fatis* ita exponit, ut exposita continuo quasi nexu conjuncta videantur cum Aeneidos carmine, utque ita partim lectorum cupiditati satisfaciat noscendi ulteriora quoque et ultima Annae fata, partim vero ipse moribus consulat Aeneae, vindicando eum quodammodo duntaxat a nimis speciosо crimine *ingratissimi erga beneficos animi*, cujus a labe *vel jussa Jovis* a Virgilio ad excusandum heroem commenta satis purgare recentt. tempp. *plum* non potuerunt virum. Caet. ut veniam rogatos cupio lectores humanissimos, ita veniam rogatam me ab ipsorum humanitate impetratum confido, quoties ut h. l. nimis temeraria exsistimandi lubidine abreptus incondita fortasse nec satis perpensa judicia de rebus interdum interpoluero. — Locus qui solus et nudus h. l. si propositum spectas, fa medium proferendus erat, quique pendet a loco classico Virgilii *de Iarba*, (Aen. IV, 196-221. Collatis praecedentt. et subsequentt.) legitur III, 550-552: — — „*Ipsa sua Dido concidit usa manu. Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum: et potitur capta Maurus Iarba domo.*" v not. illustr Fast. intpr. et Heyne ad Virg. l. l.

Iason. Iasonis uxor (Medea) est inter exempla, e tempore mythico repetita, *impietatis erga suos* secundo loco posita II, 627. Cujus qui referant similitudine mores, longissime a *Caristiorum* Ἀγάπαις, quas — d. 19. Febr. *cari inter se cognati* celebrare solebant, remotos cupit Poeta. Caeterum *impietatis Medea inauditae* fontem se reddidit α) caede Absyrti fratris, cujus corporis membra divulsit, divulsaque per agros regionis haud procul a Danubii ostiis dilitae, quo patrem Aeeten persequentem moraretur, dissipavit. (Trist. III, 9, 5 — 34.) „*Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo membra soror fratris consecuisse* (τεμνω seco, a τέμω — τέτομα — τόμος) *sui.*" v. l. l. v. 33 — 34. Cfr. v. 5-6. Caussarum satis habes, cur Poetae tum, cum in pangendo carmine *de Diebus Latiis* occuparetur, *Tomide* exulanti (v. IV, 79-84. et not. ad I, 540. It. ad VI, 666) loco ipso quoque ubi versabatur, ut re, de qua agebat, admonito Iasonis uxor non poterat non exemplum se memoriae obtrudere proposito aptum. β) Contaminavit eadem se Corinthi sanguine puerorum *ex se natorum*, quo sic, insanae

vindictae ſtudio incenſa, Iaſonis mariti perfidiam ingratumque ulciſceretur animum acerrimis ipſi e luctuoſa filiorum caede creatis doloribus. (Nam illud nunc praetereo, quod venenata corona nuptiali veſtibusque pretioſis veneno imbutis Glaucae, quam, repudiata Medea, ſecundis nuptiis in eo erat infidelis Iaſon ut ſibi jungeret, doloſe dono miſſis interitum paravit exquiſitiſſimis cruciatibus conjunctum. *Non enim erat e cognatorum Medeae numero.* v. Euripidis Medeam et Apollod. Bibl. I, 9 extr.) Ad eandem Medeam pertinent *alieno caeterum loco* inſerta [Nam non video, qua ratione Aegeus Medeam Athenis propter perpetratam Corinthi liberorum ſuorum caedem expiaſſe dici poſſit, cum nullibi hoc legatur.] verba II, 41: „*Vectam frenatis per inane Draconibus Aegeus credulus immerita Phaſida juvit ope.*“

Iaſon. 1) „*Paſſus — idem Pagaſaeus Iaſon.*“ I, 492. Carmenta, mater Evandri, occupata in eo, l. l. a v. 479 - 496, ut vocibus firmet mentem nati, juvenis, cum ipſa fugati, inter egregia alia mentis firmamenta delegit *exempla* etiam aliorum, qui *non meriti* poenam paſſi, immo *ſine culpa ſua* exulare juſſi, magno tulerint animo malorum graviſſimorum incommoda. Quorum quidem exemplorum in numero eſt etiam *Pagaſaeus Iaſon.* Nam a Pelia, qui patrem Iaſonis, Cretea, in regno Iolci exceperat, coactus eſt relinquere patriam et vellus aureum e Colchide ablatum adferre. Pelias nimirum conſcius ſibi, ut videtur, regni injuſte parti, diffidebat Iaſoni haud dubie, cui illud eripuerat. v. Fab. ap. Apollod. I, 9. Caet. expeditio Argonautica, cui praefuit Iaſon, quamque incidiſſe volunt in annum a. C. n. 1360, longe lateque ſuo ſempore *inter audaciſſima conamina* celebrata fuiſſe videtur. Inde factum eſt, ut carminibus, qualia hodienum Apollonii Rhodii et Valerii Flacci extant, decantaretur. Indo porro mirus ſequi videtur conſenſus ratione temporis, quo auctores ſcriptorum populi Judaici globum terreſtrem *domicilium eſſe coepiſſe* volunt generi humano recens orto, et ratione temporis, quo *navigationis artem* et *domicilii* generis humani h. e. globi terreſtris *notitiam* adhuc ſuis in incunabulis fuiſſe teſtantur vel Argonautarum res geſtae.

Icarius, a, um. Cereri filiam raptam ſolicito quaerens pectore, aligero ſublata in aërem curru Draconibus juncto — „*init — Ioniumque rapax, Icariumque legit* (Scil. aequor ſive mare.) IV, 561 - 566. De ſitu maris v. not. Nomen mari dedit Icarus, Daedali filius. v. Fab. in Metamorph. libr. VIII, 183 — 235. Cfr. quae praemiſit Fabulae illuſtr. Metam. et Faſtor. Edit. ad. l. l. v. 183.

Idaeus, a, um. „*Jam puer Idaeus media tenus eminet alvo, et liquidas mixto nectare fundit aquas.* II, 145 - 146. Sententia ſimplex eſt: circa d. 5. Febr. ſtellae Aquarii matutino tempore ante ſolis ortum conſpicuae fiunt denuo, *et in idem tempus incidit tempus pluvium.* (Mollis quoque ab occaſu aura venit. v. 148.) Caet. *puer Idaeus* propr. eſt Ganymedes Trois filius a monte Ida ita dictus (v. Apollod. III, 12.) *Aquarii* (Ὑδροχόου) nomine tandem inter ſidera coeli a Jove relatus. v. Ind. Rer. ſ. v. *Aquarius.* Cfr. Not. ad l. l.

Idus, uum. Poeta moniturus qua peculiari nota *omnes omnino Idus*, h. e. quaeque cujusque anni menſis, inſignes fuerint his, quod voluit, declarat verbis I, 56: „*Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*“ Item I, 587 - 588: „*Idibus in magni caſtus Jovis aede ſacerdos ſeminaris flammis viſcera libat ovis.*“ v. Not. [*Grandior agna* et *ovis ſeminas* h. e. vervex Synonima eſſe videntur. Nam utroque loco de eodem ſacrificii genere Jovi, cujus in tutela *Idus* erant omnes, quoque Iduum die oblato ſermo eſt. 2) Idibus Jani a. U. c. 727. Octavianus cognomine *Auguſti*

eondecoratus est, provinciaeque omnes populo redditae sunt. I, 589 - 590. De provinciis redditis cfr. sagacissimi judicii virum Wieland. in Disquisitione de ingenio et moribus Augusti, quae praemissa legitur Epistolae Horatii Augusto scriptae. 3) Idibus Februarii „*agrestis fumant altaria Fauni.*" II, 193 - 452. β) Iisdem, a. U. c. 275, periere in bello contra Vejentes Fabiorum 306. II, 195 - 242. 4) *Idibus* [Martiis] *est Annae festum geniale Perennae.* De quo agit III, a v. 523 - 696. β) Caedes Julii Caesaris perpetrata *Idibus Martiis* a. U. c. 707. [De quo, inprimis vero de iis quae caedem secuta sunt, agit loc. III, 697 — 710.]. 5) „*Occupat Aprilis Idus* cognomine Victor Jupiter; hac illi sunt data templa die." IV, 621 - 622. v. not. β) Ibd. v. 623 - 624: „*Hac quoque* (die) *ni fallor, populo dignissima nostro atria Libertas coepit habere sua.*" 6) „*Tum quoque* [Idibus Maji, quarum proximae praecedentes dies notabiles erant a) Pleiadum ortu, β) Veris fine et incipiente aestate γ) Tauri, Zodiaci signi, ortu, V, 599 - 620.] *priscorum virgo simulacra virorum mittere roboreo scirpea ponte solet.*" (inquisivit in causssam et tempus originis ritus eiusque vim a Libr. V, v. 621 - 662. v. Not. ad v. 621. β) „*Templa tibi* [Mercurio] *posuere spectantia Circum Idibus* [Maji. a. U. c. 258. v. Not. ad loc. laudand.] *Ex illo est tibi festa dies.* v. Libr. V, 663 - 692. 7) „Idibus (Junii) invicto sunt data templa Jovi. VI, 650. [Patere igitur ex hac quoque templorum Jovis dedicatione *Idibus* peracta videtur, eas dies inprimis sacras huic fuisse Deo.] β) Quinquatrus minores *iisdem Idibus Junii*s celebratae sunt. v. l. l. v. 651. Ad quos pertinuerint inprimis, disces ex omni loco a v. 651 - 710. pertractato. Caet. Idus ab *iduando* dictae sunt. Nam *iduare* est dividere in Hetruscorum lingua. Dividunt vero quasi menses. v. Macrob. I, 15.

Ignis Vestae. 1) „*Adde quod arcana fieri novus ignis in aede dicitur*; (Kal. Mart.) *et vires flamma refecta capit.*" III, 143 - 144. Est hoc inter signa *quinto* loco commemoratum, unde colligit Poeta, annum Romanorum priscae aetatis initium coepisse a Kal. Mart. 2) „*Dena quater memorant habuisse Palilia Romam*; (H. e. a. U. c. 40.) *cum flammae custos* [Vesta] *aede recepta sua est.* VI, 257 - 258. [Per se intelligitur cum Vestae cultu *Romae* recepto ignim quoque Vestae receptum esse. 3) „*Ignis inextinctus* (πῦρ ἄσβεστον. v. Plut. Num. 11) *templo celatur in illo.*" (Syn. *in aede.* v. n. 2.) VI, 297. 4) „*Vesta eadem est, quae terra: subest vigil ignis utrique.* VI, 267. 5) „*Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.*" VI, 291. 6) Hinc a flammae natura *virginitatem quoque perpetuam* Vestae interpretatur, „*quod nata de flamma corpora nulla videas.*" VI, 292. 7) Ex eadem flammae natura causssam repetit, cur Vesta sub nullo exhibeatur simulacro. Nam *effigiem nullam — ignis habet.* VI, 295 - 298. 8) Quod monuerat Virg. Aen. II, 296: ab Aenea „*Vestamque potentem aeternumque adytis elatum penetralibus ignem*" fuisse, idem noster ait III, 423 - 424; additio hoc: ignim istam esse *inter pignora imperii*; (v. 422.) *ignibusque aeternis* aeterni numina praeesse Caesaris (Augusti); ut iisdem praefuerat Julius quoque Caesar. v. III, 698 - 707. [Uterque enim Pontifex Maximus fuit.] 9) Ratione loci, unde petita Vestae sacra Latio illata quondam fuerant, *ignes Vestae* appellat etiam: *Ignes Iliacos.* III, 29. It.: *focos Iliacos.* III, 142 et v. 418. 10) Locum de Pontificatu Maximo Octaviani Caesaris, (III, 417 - 428.) ad d. 6. Mart., qua, a. U. c. 741, hunc acceperat honorem, interserendum

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

absoluturus in has desinit preces: „*Quos sancta fovet Ille manu, bene vivitis ignes. Vivite inextincti, flammaque Duxque, precor.* v. 427 - 428.

Ilia. Eadem et *Sylvia* et *Rhea* conjunctimque *Rhea Sylvia* dicta est. v. not. ad II, 383. 2) Virgo fuit *Vestalis.* Ibd. Cultum enim Vestae ab Aenea ex *Ilio* in Italiam illatum (III, 423 - 424. Cfr. loc. Virg. in Not. laudat.) Albana sua in urbe sanciverat haud dubie Ascanius, Aeneae filius. Per Anachronismum *Romana* vocatur *sacerdos.* III, 9. 3) *Filia* Numitoris. Nam Amulius ipsius *patruus* appellatur II, 384. Cfr. III, 49 - 50 et 67 - 68. 4) Mars videt hanc, visamque cupit potiturque cupitam III, 21. Exornatam venere *dictionis et inventionis* multiplici rem legas a L. III, v. 9-48. 5) Mater geminorum *Romuli et Remi* II, 383 - 384. III, 51. Adpellatur *diva.* II, 598. Nam jussu Amulii aquis immersa Anienis, (sec. nostr.) *Dea* et *uxor Anienis*, habita est. v. Not. ad l. l.

Iliacus, a, um. Ignibus adesse Iliacis scil. qui in sacris Vestae focis ardebant. III, 29, 30. v. not. Cedit ab Iliacis laurea cana focis. Eod. libr. v. 142. Cratera Iliacia turaque pone focis. v. 418. Epitheton *Iliacus*, nunc *ignis* nunc *foci* vocabulo additum, hanc habere ubique vim videtur, ut in memoriam revocet tum *summam antiquitatem* sacrorum Vestae, tum vero, ut admoneat *de loco ortus* eorundem.

Imago Jani. Exstabat Jani imago tempore adhuc Poetae in nummis, jussu antiquissimi hujus Italiae regis ex aere cusis, qui in memoriam advecti nave Saturni *forma navis* alteram nummi partem, alteram vero *duplici imagine sui*, h. e. bicipitem se signandum curaverat. At temporis injuria paene evanuerant lineamenta oris Jani. v. I, 229 - 240.

Imperator. Nostra tempora denuo docuerunt, quibus ex caussis fieri potuerit, ut quondam notio hujus vocabuli prima, cujus erat haec vis, ut eum significaret *qui summo praeesset exercitui imperio* ita ut *duces* Cic. de Officiis III, 26. 7.) sive *legati* (quo nomine Julius Caesar duces constanter et ubique in Commentariis suis nuncupavit; ipsi ordine et dignitate *proximi* essent, abiret in *titulum* ejus, qui principatum gentis romanae obtinuerat primus, inque omnes deinde quibus successu temporis idem obtigit principatus. vid. pluribus erudite disputantem de iis inprimis, quae spectant historiam vocis, illustr. Fast. intpr. ad IV, 673. Quo quidem loco cum inter memorabilia dierum mensis Aprilis ad d. 15. ejusd. mens. *adsumtum ab Octaviano, reduce ab expeditione Aegyptiaca*, (a. U. c. 724. v. not.) *praenomen Imperatoris* sine summa aut hallucinationis nimiae, quam cui excusatio et venia parari esse possent, aut malignae voluntatis suspicione, praeteriri silentio non posset, ingeniose inventa imagine usus memoriam rei intertexuit hisque enunciavit verbis: „*Hanc quondam Cytherea diem properantius ire jussit et aetherios praecipitavit equos; ut titulum imperii* [H. e. Imperatoris.] *quam primum, luce sequenti, augusto juveni prospera bella darent.*“ Epitheto *augusti* etiam praemeditante animo h. l. ornavit haud dubie Octavianum Poeta. Nam, quo tempore scripsit, delatum hoc quoque jam (a. U. c. 727. v. Not. ad loc. I, 587 - 616.) fuit *cognomen* ad eum. — Quod reliquum est, contulisse haud poenitebit cum nomine et titulo *Imperator* vocabula omnium fere Europae gentium, (si unos exceperis Germanos. v. Ind. Rer. s. v. *Caesar.*) v. c. Gallorum, Anglorum, Italorum, Hispanorum, Russorum etc., quibus inter mortales, potentia, dignitate, et auctoritate primos designatos voluerunt; et notatos eos videbis eodem e Latio profecto vocabulo, mutationes soni tamen successu temporis varias experto.

Inachis, idis. Postquam Poeta a Libr. I, v. 337 - 346. ostenderat, antiquissimis temporibus

ut rerum tenuitate notabilibus ita morum probitate laudabilibus, Deos adquieviſſe et aequi boniqne conſuluiſſe, ſi quis *vel minimi pretii* rebus propitios eos ſibi reddere ſtuduiſſet. *minimeque omnium cruentis* adhuc penitus incognitis *ſacrificiis* expiatos fuiſſe a quoquam, exorſus a v. 349. de horum diſputare origine originisque cauſſis, verſibus demum 453 - 454. inter documenta contentionis, non *vel optime meritis de hominibus animantium generibus* nedum inſontibus innocuisque tandem parcitum eſſe, ponit et hoc: „*Nec defenſa juvant Capitolia* (v. Plutarch. Camill. m. §. 138 - 144.), *quo minus anſer det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.*“ Inachis, h. e. Iſis, Inachi filia, quaſi Dea delicatiores amet cibos ſibi adpoſitos, feſtive nunc et ipſa *lauta* adpellatur Nam praeter Plinium adl. l. excitatum Martial, Epigrammat. XIII. 58, et Juvenal. Sat. V, 113 - 116 exta anſerum inter ſummas opulentorum ſui temporis hominum delicias ponunt Nam ſic nominatim Juvenalis: „*Poſcimus ut coenes civiliter. Hoc face, et eſto*, eſto *ut nunc multi, dives tibi! — pauper amicis! — Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par, altilis — fumat aper*, etc. — Caeterum *Inachi*, Pelasgorum ducis, Argusque in Peloponneſo conditoris, magnarumque item peninſulae commutationum auctoris, et *Inachidos* noſtrae, h. e. *Ius*, deinde *Iſidos* ſub nomine Romae tandem etiam cultae, (v. Juvenal. Sat. VI, 325 - 529. Cfr. Schol. vet. ad l. l.) patris vita putatur incidiſſe in a. C. n. 1970. (v. Chronol. ſubjunct. Operi notiſſimo Voyage d. j. Anach. en Grèce T. VII.) De loco, ubi Romae templum habuit ſibi exſtructum Iſis ſ. Inachis v. Juven. Sat. laudat. Add. de Iſidis cultu in Aegypto loc. claſſ. in Herodot. Hiſt. Libr. II, a c. 40 - 43.

Inachius, a, um. „*Sunt, quibus haec Luna eſt*; — *Inachium pars putat eſſe bovem.*“ III, 657 - 658. [Diſputaverat Poeta a v. 523 - 542. de ritibus ſacrorum Deae *Annae* Perennae et deinde de Dea ipſa, (a v. 543 - 696.) quae ea fuerit. Inter *ſex* ſententias variasde illa, *quatuor* extant quarum in numero in loco excitato poſitae quoque ſunt, quibus parum tribuiſſe videtur Poeta. Nam inter *Deas indigetes Romanorum* haud dubie fuit Anna Perenna, hujusque cultus a cultu *Inachiae bovis* h. e. Iſidis (v. Ind. ſ. v. *Inachis.*) toto coelo diverſus fuiſſe videtur.] Caet. Iſis etiam inter ſidera a multis relata fuiſſe putabatur latens ſub nomine ſideris Zodiaci, *Tauri* vulgo dicti. v. not. ad IV, 717. II) Argivi, qui comites ſe Herculi adjunxerant, ut expeditioni contra Geryona, Gadirae ſive Gadium regem, ſuſceptae, intereſſent, narrantur a Poeta (V, 650.) poſt reditum ex hac expeditione Hiſpanica, pertaeſi moleſtiarum itineris, conſediſſe juxta Tybridis ripas et inter ſeptem quidem, quibus tandem Roma inaedificata eſt, colles. At vi, vel inviti, ſenſuum admoniti *omnes omnium caritates patriam unam complecti* (Cic. de Offic. I, 17.) morientes adeo dediſſe mandata ſuis traduntur V, 655 - 656: *mitterentur ut in Tiberim; Tiberinis vecti ut undis litus ad Inachium pulvis inanis irent.*“ — Jam ex hyperbolico hoc patrii ſoli deliderio modoque, quo ei ſatis fecerint heredes ſuperſtites, (v. 651 - 660.) explicatur origo ſollennium Idibus Majis cujusque anni Romae repetitorum, de quibus agit illuſtr. Faſtor. edit. ad v. 621. Cfr. Ind. ſ. v. *Argi*. Caet. littus *Inachium* eſt aut omnino *Peloponneſus* (hodie *Morea* dicta Peninſula) aut pars Peloponneſi h. e. *Argolidis* pagus.

India. „*Tura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum.*“ I, 341. Senſus e nexu rerum l. l. enucleatus erit; antiquiſſimis temporibus non, ut nunc, e *remotiſſimis* locis ſuffimenta petebantur, quae vel propterea *ma-*

xima coemenda essent pecunia, quod e tam longinquis petita essent locis, sed Deos quod conciliare valeret hominibus, erant odores rerum *ubique obviarum* atque adeo (v. 337 - 338.) quia nec longe quaerenda (v. 343 - 346.) erant nec rara, *perexigui* quoque *pretii*. — Bacchus post reditum ex *India* a se subacta mutati traditur moris auctor III, 727-732. Nam „*ante tuos ortus*, alloquitur Poeta Bacchum v. 727 - 728, *arae sine honore fuerunt, Liber, et in gelidis herba reperta focis*, etc.

I) *Indus* (amnis.) Liberalium, in honorem Liberi h. e. Bacchi, *mellium repertoris* (III, 736. 744. 762.) d. 17. Mart. celebratorum, occasione *praeteritionis* figura usus inter *non* a se commemoranda Bacchi fata et facta memorabilia, (eod. libr. v. 715-724.) quippe jam a proposito aliena suo, ait esse hoc quoque: (v. 719 - 720.) „*enumerare domitas a Baccho turiferi Indi gentes.*" H. e. expeditionem Indicam. Nam hoc esse ejus, qui *hymno* canere sublimi laudes Bacchi velit. (v. Not. ad v. 715.) Sibi jam curae esse ut offendat: cur liba calentia, quibus *candida infusa sint mella* (v. 761 - 762. Cfr. v. 725 - 726. It. v. 733-736.) Baccho dentur, Liberalibus, cauſſasque reliquorum rituum ut exponat v. c. *togae liberae* Liberalibus datae. (a v. 771 - 788.) Caet. de epitheto *turiferi* Indo h. e. Indiae, male, nec apte, dato v. not. ad v. 720.

II) *Indus* (Indicae incola Terrae) „*Interea Liber, depexus crinibus, Indos vincit, et eo dives ab orbe redit.*" III, 465 - 466. [Opportunitate per ortum sideris *coronae borealis* oblata, ab Ariadnes loco natali *Corona Gnosis* (v. 459 - 460.) atque ab ipsius nomine *sidus Ariadnaeum* dicti (V, 345 - 346.); qui quidem ortus ad d. 8. Mart. commemorandus erat, edocet nos Poeta ex mytho a Libr. III, 459-516, qua ratione factum sit, ut coronā Ariadnes a Baccho inter sidera coeli reciperetur. Ex India nimirum *cum filia regis Indiae* redux factus (v. 467 - 468.) compensare sic (v. 509 - 516.) Baccho placuerat injuriam perjurii et perfidiae (v. 473 - 474.) de qua sibi illata *multis* (a v. 468 - 506.) secum questa erat Ariadne.

Ino. Cadmeis VI, 553. (h. e. Cadmi regis Thebanorum [unde et Ino ipsa vel in Deam mutata *Thebana* adpellatur *Dea* v. 476.] et Hermiones filia.) *Matertera* Bacchi, (Eod. Libr. 523. Soror nimirum erat Semeles, matris Bacchi, quae eadem *Cadmeis* vocatur Metam. III, 287.) Ejusque post Semeles sororis fata *nutrix*. VI, 485 - 486. Hinc Junonis furiale in eam odium et persequendi studium. v. 487. Cujus quidem effectui tribuuntur, quae 1) a v. 489 - 498; iterumque quae 2) a v. 507 - 518 leguntur. *Bis* servata est cum filio Melicerta. *Primum* a Nereidibus, qui salvam e sinu haud dubie Corinthiaco (Golfo di Lepanto) in Italiam perduxerunt. v. 499-502. *Deinde* ab Hercule, quum a *Maenadibus Ausonis* (v. 504.) seu *Bacchis Latiis* (507. Quae caeterum haud dubie nullae tum fuere. Est enim seriori, ut videtur, res ficta aetate.) in loco Aventino monti propinquis, vim illaturis filio puero, cincta esset, v. 513 - 526. Paulo post hospitio excepta a Carmente s. Carmenta, (quae eadem v. 531. Tegeaea sacerdos adpellatur) matre Evandri, audit a vate: se, defunctam laboribus et vita, numen futurum pelagi vocatumque iri a Grajis *Leucotheen*, ab Italis *Matutam*; Melicertam vero filium, suam linguam *Palaemonem*, Romanorum *Portunum* dicturum, quia *in portus* nato jus sit omne futurum. v. VI, 529 - 548. Atque sic jam perventum est ad eum locum, cujus causſa omnis a Poeta inserta est de Inone narratio, ad *Matralia*, a *matribus* in honorem *Matutae Deae* d. 11. Jun. celebrata VI, 475 sqq. Qua et ipsa die Matutae matri

templum Romae positum est; ubi? v. not. ad v. 477 - 478. et a quo? — ibd. in not. leges. Inter singularia cultus hujus Deae fuit 1) *quod famulas a limine templi sui arcuerit* (v. 481 - 482) seu quod *ancillas accedere vetuerit* ad se. (v 551.) Causa rei, reddita a Poeta v. 552 - 558. haec fuit, quod Athamas maritus furtim unam ministrarum suarum dilexerit et haec Inonis nefarium facinus, quo perdere noverca privignos, Hellen et Phrixum (III, 853 - 876, cfr. II, 628.) studebat, marito prodiderit. Alter ritus insolentior etiam in sacris Matutae observatus fuit: 2) quod non *pro sua* stirpe sed *pro stirpe sororis aut fratris matres Deam hanc adorarent.* v. 559 - 562.) Causa redditur haec, quod Ino felicior partu sororis Semeles h. e Bacchi alumni sui fuisset quam suo. Utrumque ritum commemorat Plutarch. in vita Camilli, 21. 22: Πρῶτον μὲν εὐχὰς ἐποιήσατο τοῖς θεοῖς (Camillus Dictator decimo obsidionis Vejentis anno profecturus ut Vejos redigeret in potestatem Romanorum) — Καὶ νεὼν θεᾶς, ἣν μητέρα Ματούτα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καθιερώσειν. Ταύτην ἂν τις ἀπὸ τῶν ἐφωμένων ἰσῶν μάλιστα Λευκοθέαν νομίσειεν εἶναι. Καὶ γὰρ θεράπαιναν εἰς τὸν σηκὸν εἰσάγουσαι ῥαπίζουσιν, εἶτα ἐξελαύνουσι, καὶ τὸ τῶν ἀδελφῶν τέκνα πρὸ τῶν ἰδίων ἀναγκαλίζονται, καὶ θρῶσι περὶ τὴν θυσίαν ἃ ταῖς Διονύσου τροφοῖς καὶ τοῖς διὰ τὴν παλλακὴν (v. de hac celeb. Edit. not. ad v. 551.) πάσχειν τῆς Ἰνοῦς προσέοικε. Caeterum huic Deae sacrificio offerri solita fuere *liba flava.* (v. 476. et v. 533.) Causam quaesivit Poeta in eo, quod accepta talibus a Carmenta coctis longam quondam depofuerit famem. (v. 529 - 532.) Cfr. Ind. s. v. *Bacchus.* Iam cum, sentiendi agendique ratione, *mores* Inonis repugnantes *sibi exhibeantur* a Poetis [quippe quae, ut *noverca*, si qua, omnium maxume impia et nefaria ut *mater* vero, quodque majus est, ut *matertera*, si qua, omnium maxume pia et quaeque pati pro sua sororisque inprimis sobole h. e. Melicerta et Baccho parata fuisse legitur,] cumque historice veri quid subesse narrationibus Poetarum videatur, propter notabilem illam speciosam morum feminae repugnantiam contulisse haud poenitebit omnia loca in unum collecta et justum in ordinem redacta, ubi in hoc opere mentio fit ejus cum judicio de ea, hinc aeque in speciem sibi contrario, h. e. nunc cum laude nunc vero cum summa ejusdem reprehensione. Loca vero, quae ad eam pertinent, sunt quae subjuncta hic sequuntur: 1) *Procul hinc, procul — estp — et Iasonis uxor*, h. e. Medea, — *et quae ruricolis femina tosta dedit* h.e. Ino. II, 628. v. Not. ad hunc vers. laudat. (Agit Poeta a libr. laudat. v. 617 - 639 *de Caristiis* d. 19. Febr. eum in finem celebratis, ut *concordia et caritas mutua* restitueretur, si querelis sublata ea forte foret, item confirmaretur, et, si fieri posset, augeretur *inter cognatos* (v. 617.) *seu propinquos.* (v. 619.) Patet igitur cur procul abesse jubeat *novercas*, a symbolis seu coenis collatitiis sanguinis vinculo junctorum quae *in privignos* eo sint animo, quo *in Phrixum* privignum et *Hellen* privignam fuerat Ino. 2) Expositum pluribus mythum de Inone, Phrixo et Helle a Poeta legimus Libr. III, v. 851 - 876. Quae vero desunt narrationi Poetae (eo consilio intextae operi, ut occasione commemorandi ad d. 21. Mart. transitus Solis in Arietis signum, *causs*am nominis astri, proposito convenienter suo, redderet) ea supplevit, auctoresque omnes reliquos, qui eandem tractarunt fabulam, nominatim laudavit illustr. Op. intpr. ad v. 851. — Haec igitur insunt Fastor. Op. loca duo, ubi Inonis *novercae* justa cum reprehensione fit mentio. Uberrimus vero de eadem

mitre et materiera maxume laudabili locus extat Libr. VI, 473-562. In argumento loci hujus proponendo justo fortasse copiosiores fuisse videbimur ab init. huj. voc. Cfr. Ind. s. v. *Bacchus*.

Insula Tiberina. 1) Accepit Aesculapium et Jovem *insula, dividua quam premit amnis aqua*. I, 291 - 294. 2) Idibus [Februarii] agrestis fumant altaria Fauni; *ubi discretas insula rumpit aquas*. II, 193 - 194. Cfr. eadem de insula loc. class. in Not. laud. Metamorph. XV, 739 sqq. Qui quidem locus agit de origine cultus Aesculapii inter Romanos. [Insignis igitur insula fuit *tribus* templis, quorum ille *Aesculapii* Kal. Januar. a. U. c. 462 dedicatus seu sacratus a patribus legitur. v. loc. II, 289 - 290; et ad loc. intpr. illustr. Not. Iste vero *Jovis* iisdem quidem Kal. Januar. (v. Nostr. l. l.) at anno demum U. c. 509, sex annis ante Gallico bello votus, dedicatus est. v. Liv. XXXIV, 53. Hic autem *Fauni* d. 13. Febr. a. U. c. 509 sacratus est. Cfr. Not. celeb. Op. edit. ad II, 193. Itemque Liv. loc. laudat.

Ionius, a, um. Ceres pectore pervagata sollicito Atticam, filiam investigatura raptam — *Hinc init Aegaeum — Ioniumque rapax, Icariumque* [Scil. aequora seu maria] legit. IV, 566. Quo sensu accipiendum sit *Ionium* l. l. accurate definivit illustr. Op. edit. in Not.

Isaurus, a, um. Perventum erat *ad Idus Januarii* in Fastorum monimento exigendo, seu opere contexendo. Jam quum Idibus mensis dicti a. U. c. 727. datum esset *cognomen* Augusti Octaviano, Poeta non adquievit in eo nude et simpliciter commemorando inter Diei illius memorabilia, sed ut, *quale quantumque* istud esset, ostenderet *via comparationis* optime inventa ea ab iis, qui tale quid adsequi vellent, usus est I, 587 - 616. (Per se quidem quisque judicii actus *in comparando* cernitur, ut nulla *inventione* opus sit; *conficientia* vero naturae judicandi facultatis.) Jam inter comparata seu contentione collata cognomina P. Servilii *Isauricі* dicti cognomen ita extulit v. 595 - 594: *alter Isauras — domitas testificatur opes*. Explicanda sunt haec ex *bello Piratico* ab a. U. c. 674 ad a. U. c. 686 a Romanis contra Piratas, omnes Europae Asiae et Africae ora maritimas infestantes, gesto. Magnitudinem belli optime discres ex oratione Cic. p. leg. Manil. a cap. 11. verbis: „Testes vero jam omnes orae etc. ad fin. cap. 12. Ante Pompejum vero" missus in piratas Publius Servilius, (a. U. c. 674. a. Cn. 82.) quamvis leves et fugaces myoparonas gravi et Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed, nec mari submoviisse contentus, validissimas urbes eorum — evertit, *Isauramque ipsam*, arcem Ciliciae. Unde, consciis sibi magni laboris, *Isaurici* cognomen adamavit." v. Flori loc. in Not. laudat. Pompejus vero demum „undequinquagesimo die, (a. U. c. 686. a. C. n. 70.) postquam a Brundisio (hodie *Brindisi*) profectus est, *totam* ad imperium populi Romani *Ciliciam* adjunxit." v. Cic. l. l. Liv. Epit. 93 simpliciter: „Publius Servilius Proconsul in Cilicia *Isauros* domuit, et aliquot urbes Piratarum expugnavit."

Ismarius, a, um. „*Ampelon intonsum* (h. e. comatum adhuc et cincinnatum i. e. puerum. Sic Pers. Sat. I, 29, pueros absolute *cirratos* dixit) *Satyris Nymphaque creatum fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis*." III, 409 - 410. Sensus Fabulae, imagine remota, nudus et simplex esse videtur: vites (*ἀμπέλους*) *Ismari*, montis Thraciae, qui prope ab ostio Hebri amnis (nunc *Mariza* dicti) situs erat, vino praestantissimi ingenii nobilissimas fuisse temporibus vel longe remotissimis. Nam multus est Homerus in praedicando vini hujus suavissimi, et odore et sapore, itemque in insita genero-

Ia ejusdem vi. v. loc. in Not. laudat. Inprimis huc pertinent verba Odyss. Rhapsl. ι'. v. 208 - 211.: „Τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν, ἐν δέπας ἐμπλήσασα, ὕδατος ἀντὶ εἴκοσιμέτρα χεῦ· ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει, θεσπεσίη· τεῦ' ἂν οὔτοι ἀποσχέσθαι φίλον ἦεν. Eandem vitis Ismarii progeniem dixerat v. 205: θεῖον ποτὸν. Caet. Fabulam de Ampelone puero intexuit propter *sidus Vindemitoris*, cujus ortus ad d. 5. Mart. commemorandus erat, quodque Ampelona a Baccho in astra vectum fuisse commentiti sunt. v. III, 407 - 414. Ortus vero est vespertinus, cum sidus Aquarii, cujus plures gradus seu partes tum (d. 5. Mart.) jam praeteriit lol et in Orientem ulterius motus reliquit, e regione fere in coelo sibi habeat positam *Virginem Erigoneïam*, cujus alam septentrionalem micans ornat Vindemitoris stella. v. Not. ad l. l. v. 407.

Isthmus Corinthiacus. Ejus non denominatio at descriptio inest L. VI, v. 495 - 496.: „*Est spatio contracta brevi, freta bina*, (intelligendi sunt sinus Saronicus orientem versus, et sinus Corinthiacus, occidentem versus solem situs. Ille hodie *Golfo di Engia*, hic *Golfo di Lepanto* nuncupatur,) *repellit* (i. e. aquas utriusque freti repellit.) *unaque pulsatur terra duabus aquis.*" Reliqua praeversa sunt dicendo in Ind. Rer. s. v. *bimaris.*

Italis, idis. „*Italidas matres — caper hirtus inito.*" II, 441. *Matres Italidae* l. l. sunt Sabinae virgines recens nuptae, quae l. l. oraculum Junonis Lucinae (Cfr. loc. III, 243 - 248. Ibd. v. 230. „*Oebalides matres*" dicuntur.) consulunt de sterilitate sua. Responsum pertinet ad explicandam *originem* moris, quo Lupercalibus, d. 15. Febr. celebratis, (v. II, 267 - 452) nuptae steriles (II, 425 - 428) terga sua Lupercis, nudo corpore discurrentibus per urbem, pellibus in lora sectis percutienda dabant. (v. 445 - 446.)

Ityn. Ceres totam pererrans Siciliam sicubi latentem inveniat natam: *quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querelis implet, ut amissum cum gemitibus Ityn.* IV, 481 - 482. Non satis feliciter in comparatione querelarum Cereris cum gemebundis *hirundinis* vocibus fuisse videtur Poeta; inprimis cum Procne *mater* in hirundinem deinde mutata, Ityn *filium*, vindictae insanae studio, ipsa necaverit, Tereoque marito epulandum apposuerit. Caet. Ityn in Phasianum mutatus est secundum fabulam.

Iuleus, a, um. Pertinens ad *Iulum* Aeneae filium, ullo aliquo modo v. c. ad sanguinem ipsius i. u. sint posteri ex ejus sanguine orti; quales fuere *gens Iulia.* De qua IV, 39 - 40: *Venimus ad felix aliquando nomen Iuli; unde domus Teucros Iulia tangit avos.* (Cfr. omnis locus a v. 19 - 124. Qui quidem locus eum in finem scriptus est, ut *summam* gentis Iuliae Poeta monstraret *nobilitatem* a Diis ipsis, Jove, Venere, et Marte eam deducendo, *originisque* item, a remotissimis eam repetendo temporibus, *summam antiquitatem.* Hinc l. l. v. 123 - 124: *Asfaracique nurus dicta est;* (Venus) *ut scilicet olim magnus Iuleos Caesar haberet avos.* 2) Inter varia templi ab Augusto Marti *bis* ultori [α) stragis ignominiosae, quam duce Crasso a Parthis Romani experti erant; β) necis Julii Caesaris, percussoribus viri ad Philippos victis.] in foro suo positi ornamenta erant simulacra etiam majorum gentis Juliae. Quod quidem his extulit Poeta verbis V, 563 - 564: „*Hinc videt* [Mars] *Aeneam oneratum pondere sacro et tot Iuleae nobilitatis avos.*" 3) De mense Quintili, qui Julii Caesaris in honorem *Julius* appellatus est; quamque *appellationem mensis e suo nomine* Suetonius (Iul. 76.) refert inter ea, quae *humano fastigio*

amplitora Caesar decerni sibi passus et propter quae iure caesus existimatus sit, de hoc, inquam, mense haec Noster habet VI, 797: „*Tempus Iuleis cras est natale Kalendis.*“ H. e. A crastino die incipit mensis Iulius. — Caet. priscum mensis nomen legitur II, 149 - 50. *Denique quintus* (mensis) *ab hoc* (Martis i. Martio) *fuerat Quintilis:* et inde *incipit, a numero nomina quisquis habet.* (H. e. Sextilis, September, etc.) Cfr. loc. I, 39 - 42.

1) *Iulius* Caesar v. Ind. I. v. *Caesar.* 1, Inter conditores anni Latii quartus. v. III, 155 - 166. 2) Ad eundem in recensu *cognominum* (I, 587 - 616) pertinent verba v 603 - 604: „*Magne!*“ (Pompejum quasi praesentem adloquitur.) *tuum nomen rerum mensura tuarum est: sed qui te vicit, nomine major erat.*“ 3) De caede ejus, ad d. 15. Mart. commemoranda, ut inter luctuosa quidem, ita inter anni memorabilia tamen, ita agere incipit III, 697: *praeteriturus eram gladios in Principe fixos* etc. A Pontificatu Maximo Caesaris, cujus vi Vestae sacris sacerdotibusque praefuerat, opportunitatem repetiit huic Deae tribuendi aptissime, quippe quae *de sacerdotis sui summi parricidio* omnium maxume doluisse et eodem omnium gravissime laesa esse videbatur, et α) Apotheosin Caesaris et β) vindictam percussorum ejusdem v. 698 - 710. 4) *Vestae sacerdotem* Augustus etiam Julium Caesarem nuncupat V, 573 - 574. Quo quidem loco Augustus juvenis, idem vindicaturus caedem Caesaris, Marti vovet templum conversus precibus ad eum, si sibi, percussorum sanguine satiaturo ferrum suum, adsit. V, 571 - 578. 5 Victoriam Caesaris ad Thapsum in Africa de Pompejanis et Juba, d. 6. Apr. a. U. c. 708; a. C. n. 48, reportatam, ingenioso usus figmento, a Tribuno militum, qui sub Caesare duce meruerat, in Theatro in memoriam sibi revocare jussit Poeta IV, 377 - 386.

II) *Julius* mensis. vid. vocab. Ind. huj. superiori loco positum *Iuleus, a, um.* N. 3.

Iulus. Quum Poeta, aucupaturus gratiam Caesarum (IV, 19-22.) semel decrevisset eam amplecti sententiam, quae *Aprilem* mensem ab *Aphroditis* h. e. Veneris nomine repetendam statuerat, (IV, 61 - 86.) quumque sumsisset Romulum voluisse, ut *alterius mensis* locum Venus propterea haberet, quia gradibus multis eam in genere reperiisset sua, (IV, 27 - 28.) intexuit in honorem gentis Juliae, (IV, 19 - 22.) benevolentiam, ut jam monuimus, capturus Caesarum, seriem regum et Trojanorum (IV, 29 - 38.) et Albanorum. (IV, 39 - 56.) Quorum quidem primus, cum esset Ascanius seu *Iulus*, (Virg. Aen. I, 267 - 271.) Aeneae filius, ejus memoriam recolit his usus verbis, IV, 39 - 40: *Venimus ad felix aliquando nomen Iuli; unde domus Teucros Julia tangit avos.*“ — Nihil vero aliud tandem sibi voluisse videtur Poeta, quam hoc: gentem Juliam quasi *hereditario jure* Romanis imperitare.

J.

Janalis, e. „*Virgaque Janalis* (h. e. a Jano accepta) *de spina ponitur alba, qua lumen thalamis parva fenestra dabat.*“ VI, 165 - 166. Procas iufans, postea rex Albanorum ante Numitorem (IV, 52 - 53.) misere in cunis vexatus legitur l. l. per striges, qui exsorpserint avidis sanguinem e pectore parvi linguis. Cui quidem malo Carna, Dea cardinum, de qua omnis locus agit a VI, 101 - 182, ita medetur, ut inter varias superstitiosorum rituum praestigias virga etiam illa arceat ab aditu cubiculi Procae, regii infantis, striges. Quae quidem virga cur *Janalis* dicatur, docent verba v. 129 - 130: „*Sic fatus,* (Janus) *virgam, qua tristes pellere pos-*

diei (des Neujahr-Tages) ex Jano quaerit a v. 165 - 226. Nimirum α) *cur non sine litibus sit* haec dies h. e. *cur sit fastus?* v. 165 - 170. (Aures igitur non vacabant lite, quod in votis tamen Poetae fuerat, ut haec dies laeta esset omnis. v. 73.) Tum hoc, tum quod quisque sua in arte hac die aliquatenus occupetur ait fieri, auspicandi h. e. boni ominis causa, *ne totus foret annus iners.* v. 168. β) Cur eadem anni prima die Jano tura merumque *primo* ferantur v. 71, 72. Praeter causam hic a Jano, v. 73 - 74, adlatam vide alias aliorum rationes de eadem te redditas in nota ad loc. nostr. γ) *Cur laeta Jani Kalendis dicantur verba* (vid. exemplum v. 63. Cfr. v. 71 - 74.) *et dentur* (vid. exemplum voti pii, quod pro Imperatoris, Senatus et Pop. rom. salute fecit Noster ipse v. 67 - 70.) *accipianturque preces.* (Von der Ursache *der Neujahr-Wünsche*, oder des Glückwünschens zum neuen Jahre.) v. 175 - 185. δ) *Cur strenae dari soleant?* (Von der Ursache der Neujahrs-Geschenke) et primum quidem cur *res dulces* (v. 185 - 189.) deinde cur *stips* h. e. cur nummi omnino (v. 189) et nominatim *aera vetusta* (v. 220) et nummi adeo Poetae tempore *aurei* (v. 221) dentur. Cum hic simulasset se, *dulcia* dono cur dentur bene quidem jam perspicere (v. 189) at non item *cur stips?* — eo jam utitur *ad perstringendam furiosam hominum sui temporis* (v. 211) *habendi cupidinem seu summum qui obtineat opum amorem* (v. 195). Aversurus vero a se morum castigatoris acerbi invidiam, astute imponit hanc monitoris personam Jano Deo, qui, nesciri a Poeta *dulciorem melle stipem jam haberi* ridens miratur, cum ipse vix Saturno regnante viderit cujus non animo *dulcia* lucra fuerint. Quibus quidem omnibus rite et callide praeparatis opportunitate utitur intertexendi locum praestantissimum pertinentem a v. 195 - 227, quo Janum, *collaudata* pro more *honesta priscae aetatis paupertate nemini vitio versa* (a v. 197 - 208), transire jubet contrario hoc posito et nitide verbis exornato, ad *sui, Poetae, aevi nunquam explendam auri famem ejusque causas et effectus* (inde a v. 209 - 226.) Finiturus monita (v. 227) ingenuo Poeta ludo Deum in se Diisque omnibus deligentem quodammodo culpam morum sistit, aculeatis nimirum dictis versuum 223 - 225. Quae inde a v. 227 sequuntur rursus Janum ipsum ejusque historiam spectant. Ansam tractandae hujus praebuerunt *nummi aenei* extantes Poetae adhuc tempore, monumenta rerum remotissimis temporibus in Italia gestarum. Duplex Jani imago (v. 231) s. *forma biceps* (v. 230) in altera, in altera vero nummi parte *forma navalis* (v. 229.) sive ratis scil. Saturni extitit (v. 233.) Discuturus quo haec quoque referenda sint rursus alloquitur Janum Poeta v. 227 - 230, qui hinc occasione petita jam a v. 235 - 255 narrat qualis, se Deo quidem at tum regulo quoque parvae inter homines pios terrae, (247) locorumque hominumque fuerit circa Tibrim conditio, (v. 241 - 254) adventum praeterea suo tempore Saturni ejusque imperium in gentem, Saturniam dein ab eo appellatam, testatur v. 235 - 240. Tum porro e Jano rescisc entem se fingit Poeta: *cur, cum tot sint Jani,* (überwölbte Durchgänge v. not. ad l, 257.) *stet sacratus in uno?* a v. 255 - 276. Tandem: *cur pace templum ipsius claudi, bello vero referri soleat?* a v. 277 - 282. Jam hic modo majestate Dei dignissimo finis imponitur colloquio Poetae cum illo. Nam expositis omnibus, quae rescisc ere cupierat Poeta, Janum ipsum et memorabilia Kalendarum mensis Jani spectantia, oculis sublatis adspexit Deus toto quidquid in orbe fuit — *Pax* erat. (v. 285.) Hinc Janus his quoque verbis colloquium finit.

rat: *Caesareoque diu nomine clausus ero.* Ex his effectum est scripta haec esse A. U. 770. p. C. n. 16, Caeterum ut coeperat egregium tractare hunc locum precibusque ad Janum, missis pro salute imperatorum, Senatus, Populique romani v. 65 - 70; ita et finit eundem precibus pro Tiberio inprimis imperatore et Caesare nostro Germanico, belli jam compositi duce, utroque igitur pacis ministro. (v. 287.) Quod reliquum est, Templa Janus Romae habuit tria. De quibus v. not. ad I, 258. 1) *Ad Janum redeat, qui quaerit, Agonia quid sint: Quae tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.* V, 721-722. H. e. ad Memorabilia Januarii Libro Fastorum primo pertractata redeat etc. Agonia igitur iterata d. 22. Maj. - 2) Janus amore captus Granes Nymphae ea potitus, nomine Granes in nomen *Carnae* mutato, eam *cardinum fecit Deam.* VI, 107 - 183.

II) *Janus.* Ut janus et janitor a Juno sic et *Jani* (überwölbte Durchgänge) nomen haud dubie ab eodem accepere. v. de iis not. ad I, 257; ubi legitur: *Cum tot sint Jani;* (Sic II, 201: Carmentis portae dextro via proxima Jano est. v. intpr. de h. l. difficili.) *cur stas sacratus in uno, hic ubi juncta foris templa duobus habes?* — De templis Jani v. not. Inter Janos illos celeberrimi fuere *summus, medius* et *imus,* sub quorum arcuatis fornicibus transeundum erat *forum romanum* aut adituris aut inde abituris. v. Heusinger ad Cic. Off. II, 25, 7; item Wieland ad Horat. Epp. I, 1, 54. Ad Janum *medium* imprimis sedebant argentarii, feneratores, numularii etc. Hinc Cic. joci etiam inter seria amans l. l. „Sed — de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utendo, commodius a quibusdam optimis viris (von einigen gar würdigen Männern, gar rechtlichen - oder Biedermännern. Sic supersedere possumus longa Heus. nota) ad Janum medium sedentibus, quam ab ullis Philosophis ulla in Schola disputatur." cfr. loc. Horat. Sat. II, 3, 18.

III) *Janus. Janus habet finem* II, v. h. e. mensis Januarius habet finem i. e. Memorabilia hujus *mensis,* maxume quae in Fastis notata leguntur, literis consignavi. 2) *Ad Janum redeat, qui quaerit Agonia quid sint.* V, 721. H. e. ad librum Fastorum primum, qui memorabilia Januarii mensis consignata literis complectitur.

Janus. Amore captus Granes Nymphae, latae in luco Helerno prope a Tiberis fluvio sito, (VI, 105 - 107.) eaque potitus pretium virginitatis raptae defert virgini *jus cardinis* et *virgam albam,* qua strigas pellere posset a foribus noxas. v. VI, 119 - 131. Cfr. v. 165. et Ind. l. v. Carna.

Juba. Rex Mauritaniae, victus cum Scipione a Julio Caesare ad Thapsum, oppidum Africae juxta mare mediterraneum positum (v. de situ regionis hodierno *Shaw* in opere: Reisen verschiedne Theile der Barbarey und der Levante betreffend. A. d. Engl. I, p. 144.) *sexto mensis Aprilis die.* IV, 379. (a. U. c. 708. a. C. n. 42. Confirmatur dies a Nostro laudatus auctore B. Afr. qui haec habet c 79: Caesar — *gridie Non. Apr* — egressus ab Agar — ad Thapsum — castra ponit. Potuisse vero duobus demum diebus post pugna decertari, patet ex omnis ioci nexu.) Ad quem quidem diem cum Poëta carmen deduxisset suum, loco de Megalesiis (IV, 179 - 372. It. v. 377), a. d. 4. ad 6. Apr. celebratis, artificiose attexuit memoriam pugnae et victoriae illius quondam a Caesare reportatae memoratu maxume dignae. (v. h. Morus ad B. Afr. c. 85.) Fuxit nichilrum se spectatorem ludo scenico in honorem Cybeles seu magnae matris Deorum d. 6. Apr. acto ita interfuisse, ut juxta adsidentem *in*

Orchestra (v. Not. ad v. 383) habuerit Tribunum militum, qui gloriatus sit de honore sedis in Orchestra militia sibi parto. Sic sedis in Theatro dieique ratione habita, naturae rei convenienter, *in memoriam redit* viro res ea die praeclare duce Caesare gesta, cujus haud dubie videbatur sibi ipse magna fuisse pars. Hinc, aeque convenienter naturae, a se impetrare non potest, ut non *communicet* Poetae cogitationem, quae in mente suborta erat de re illa *sibi* omnium maxume memorabili ea die gesta h. e. de victoria Caesaris ea die ad Thapsum parta deque Juba nominatim, ea die fugato.

Julia. In vaticinio Carmentae, qua hanc Evandri matrem, subvectam cum filio Tiberi, conspectu collium, quibus Roma superstruenda erat, praesagientem fecit futuram Urbis magnitudinem, (I, 509 - 536.) Poeta specimen artis, *aptissimo loco* intexendi, quae *recenti memoria* vere facta non praetereunda videbantur, praeclarum edidit, dum substitisse Carmentam ait in verbis I, 535 - 536: „*Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris*, (i. e. Dea ero) *sic Augusta novum Julia numen erit.*“ (Dea erit.) Caeterum verba Taciti, (Annal. I, 8. v. Not.) quibus hic omnis illustratur locus, haec sunt: „*Nihil primo Senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti:* (modo extincti; a. U. c. 767. p. C. n. 14.) *cujus testamentum, illatum per virgines Vestiae, Tiberium et Liviam heredes habuit: Livia in familiam Juliam nomenque Augustae adsumebatur.*“ Ad eandem pertinet locus VI, 638-639: *Te quoque magnifica, Concordia! dedicat aede Livia, quam caro praestitit illa viro.*“ Item locus I, 649 - 650: „*Hanc tua* (Tiberii imperatoris) *constituit genetrix et rebus et ara, sola loco magni digna reperta Jovis.*“ (H. e. Augusti. Cfr. II 130 - 132. Quo quidem ex loco disci potest cur et quatenus Augustum magni nomine Jovis haud indignum judicaverit.) Caet. cum de Concordiae templo sermo sit, respexit fortasse *Poeta* templum etiam Concordiae a Livia conditum, de quo in loco proxime ante excitato sermo est.

Junius. Mensis hujus memorabilia inprimis sacra continet Fastorum liber sextus. Incipit et ipse *a nomine mensis* h. e. ab origine et caussa nominis. Partes agunt, ita ut, ratione nominis, caussam defendant suam, tres Deae, Juno, Hebe et Concordia. *Iuno a suo nomine* inde a v. 26 - 65 *mensem nomen habere* ita disputat, ut *oratio moribus ipsius*, quales, constanter finguntur, (mit ihrem stehenden Charakter übereinstimmend) *aptissima* dici possit. Fastui et arrogantiae Junonis summam filiae *Hebes* opposuit modestiam et verecundiam, qua a v. 65 ad v. 89, voluntate sua voluntati matris pie submissa, amabili morum cum decore, quam Poeta aliis in locis (I, 41. V, 77-78.) haud cunctanter amplexus erat sententiam, tueri conatur: Junium esse *juvenum*. (v. 88.) H. e. *ab aetate juntorum*, quae in ipsius, *Deae juventae*, erat tutela, *dictum esse mensem;* esseque hoc decus omne apud Romanos, unicumque honorem (v. 75 et 76) qui sibi *origine mensis* contigat. At ne reverentia Hebes summa quidem, qua hanc suam pronuntiaverat sententiam, Junonem impediviſſet, quo minus in litem studio certaminis iviſſet atque ira saeviſſet, (v. 89 - 90) nisi *Concordia* Dea interveniente et suam proponente sententiam hoc prohibitum fuisset. Quae quidem a v. 93 - 96. Junium *a junctis Sabinis et Romanis* acceptisse nomen indocte satis evincere sustinet. Poeta nil definit caussamque, cur nil definiat, subjungit lepidissimam. v. 97 - 100. 2) Quae hujus mensis pars connubiis fausta, quae sit infausta habenda, docet Poeta his verbis: „*Tum mihi post*

Jacras monſtratur. Junius Idus utilis et nuptis, utilis eſſe viris. Primaque pars hujus (Junii) thalamis aliena reperta eſt." v. omnem de hac re locum VI, 219 - 234.

Juno. 1) Opis, (quae *Cybele* quoque, item *Rhea* et *Berecynthia*, porro *Magna Mater Deûm* dicta eſt. v. loc. libr. IV. a v. 179 - 372.) et Saturni *filia* eaque natu maxima. VI, 29 - 30. Cereris et Veſtae (VI, 285 - 286.) itemque Jovis ipſius (IV, 197 - 215) *ſoror.* De quo, quod ſit Jovis et ſoror et conjux amat gloriari. v. VI, 27 - 28. Virg. Aen. I, 46 - 47. (Hinc igitur patet, cur Cybele, cum tot fuerit Numinum eorumque majorum gentium genetrix, nuncupata ſit *Magna Mater Deûm.*) 2) Eadem ipſa vero Juno noſtra Martia mater habita eſt. (Mars ipſe eam *matrem* vocat *ſuam.* III, 251. Quo quidem loco de cauſſis agit, cur ſui menſis Kalendis a *matronis* colatur *romanis.* Ut Minervam Iupiter ſine officio Junonis genuerat, ſic Martem Juno ſine officio Jovis artibus adjuta Florae deae procreaſſe narratur V, 229 - 260. 3) Hinc Romulus *nepos* Junonis vocatur, cum ipſius eſſet pater Mars Deus. VI, 54. Atque haec *avia* Romuli dignatur eum ipſa quoque *ſuum* vocare *nepotem.* Ibd. v. 64. 4) Junoni Romae omnes *primae* cujusque menſis dies ſacrae fuere. Quod noſter his declarat verbis I, 55: „*Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas.*" 5) Junius menſis cum, unde accepiſſet nomen, non ſatis conſtaret, Poeta, inquiſiturus in hanc rem, arte inventi Phantaſmatis uſus libr. VI, 3 - 16, praeter Concordiam et Heben, Deas, ſe ſibi, in nemore, ſolo meditanti de nominis Junii origine, in conſpectum dediſſe *Junonem* fingit (16 - 20.) ut ratione nominis Junii *ipſa* ſuam ageret cauſſam ſibique ejus vindicaret honorem. Quam convenienter perſonae ſuae agat partes hic quoque ſuas Juno a v. 20 - 65, quisque ſentiet, qui, qualibus praedita moribus conſtanter exhibeatur a Poetis, cognitum habuerit. Nec vero minus apti ſunt motus animi, quibus *ſemet*, viſa hac tali Dea, adfectum declarat Poeta v. 19; apta quoque eſt rei prudentia, qua callidus omni ſe periculo diremtae inter Deas litis ſubducit. v. 97 - 100. 6) *Cognomina* Junonis, quae leguntur in hoc Faſtorum opere, ſunt fere iſta: α) *Monetae.* Loc. claſſ. de hoc cognomine extat VI, 183 - 184: „*Arce quoque in ſumma* (montis Tarpeji.) *Junoni templa Monetae ex voto memorant facta, Camille, tuo.*" Per locum laudatum illuſtratur, qui prior ordine legitur I, 638: „Candida te (Concordia) niveo poſuit lux proxima (d. 16. Januar.) templo, *qua fert ſublimes alta Moneta gradus.*" De centum gradibus cfr. Tacit. Hiſt. III, 71. Caeterum Juno a *monendo* Monetae cognomen accepit; pecunia vero *monetae* (v. I, 222, unde patriae linguae vocabulum originem traxit *die Münze*) nomen tenuit haud dubie a templo Monetae, ubi officina erat cudendis nummis. v. Liv. VI, 20. β) *Lucinae.* Romuli jam tempore monte ſub Esquilio *lucus* Junonis magnae fuiſſe narratur Oraculo Deae nobilis. Cujus quidem Oraculi reſponſum medelam attuliſſe creditum eſt ſterilitati Sabinarum raptarum II, 425 - 452. Jam *de cauſſa cognominis* Deae haec ſubjunxit Poeta v. 449 - 450: „Gratia Lucinae: (ſcil. ſit pro fecunditate reddita) dedit haec tibi nomina *lucus*, aut *quia principium tu*, Dea, *lucis* habes." (lucis ſcil. vitae. H. e. quia tu vitam largiris, parturientibus in enitendo auxilium ferens.) γ) *Soſpitae.* Hoc quoque ſub cognomine abſolute poſito templum quondam d. 1. Febr. in monte Palatino dedicaverant Junoni. Antiquitatis autem vitio collapſum Ovidii tempore jam interierat. v. II, 55 - 58. Cfr. quae notata leguntur ad h. l. ab illuſtr. Op. edit. Nec e

loco colligi quidquam posse videtur, unde pateat restitutum esse Sospitae templum. Immo e v. 59 conjectura facilis est alia quidem templa non istud vero instauraſſe Tiberium. — Tandem suo sub nomine „*juncta Tarpejo habuit templa Jovi*" VI, 34. v. Not. illustr. Fast. intpr. Cfr. v. 52: „*Hic* (Romae) *colar, hic teneam cum Jove templa meo.*" — *Saturnia* adpellatur I, 265. Quo loco ex canssis satis notis infesta Romanis fingitur adjuvasse conatus Titi Tatii Sabinorum regis dolo oppressuri arcis Tarpejae defensores. Potentiae hujus Deae vindictaeque studii magnitudo egregie Jani ipsius metu notatur. Ait enim v. 267: *cum tanto veritus committere numine pugnam* etc." *Saturnia* denuo adpellatur II, 191. Quo quidem loco notissimum naturae phaenomenon *Ursae majoris* in globi tenebris parte boreali *nunquam ὁριζόντα subeuntis* (Cfr. IV, 575 - 578.) hoc ingenioso suum in usum Poeta convertit commento ut a *vindictae studio Junonis* illius phaenomeni caussam repetat, quippe quae Callistona in ursam a se mutatam a Jove vero inter astra collocatam ne tum quidem lavacris Oceani recreari (v. b. Koeppen ad Hom. Ilias.) voluerit, sed Tethyn ne eam lavari iis sineret, rogaverit. Caet. Junonem 1) Sparta inprimis coluit. III, 83. VI, 47. Praeterea in ejusdem Deae *tutela* fuerunt adoraruntque prae reliquis ejus numen 2) Carthago. 3) Argos. 4) Mycenae. 5) Samos. VI, 45 - 50. Quae quidem loca omnia quum sub potestate Romanorum tum essent, Poeta Junonem aptissime finxit hoc *inter merita sua erga Romanos* referentem quippe quae si hoc fieri non permiserit, per potentiam suam facillime, ut Romani incassum laborarent, effectura fuisset. Repetit inde *gravissimum argumentum* Juno ipsa cur, *celebrata quidem*, quod cum laude profitetur, *centum aris* a Romanis VI, 55) et *templo* (v. 52.) nec mensis Junii *a se* denominati honorem eripi sibi pati possit. (v. 55.) En selectissima *vanae ambitionis*, qua Dea regi constanter fertur, nota. Eadem adpellatur *noverca Bacchi*. III, 769. Item *noverca Herculis*. VI, 800. Nam Jupiter utriusque habebatur pater. (Hinc Hercules simpliciter *Jove natus* vocatur. I, 559.) Filiorum igitur Juno, conjux ipsius, recte nominatur *noverca*. Qualis vero fuerit noverca, significant Herculis verba VI, 524: „*An numen, quod me, te quoque* (Iponem, materteram et educatricem Bacchi) *vexat?* — *ait.* — Atque Herculi in coelum recepto vel tum *invitas* victa dedit *manus*. VI, 800.

Junonalis, e. Junonale leges tempus i. e. si inspexeris Fastos oppidorum suburbanorum, invenies in omnibus mensem mihi dedicatum. VI, 63.

Junonicola. Sic inter alios nominatim Falisci Junonicolae vocantur. VI, 49.

Jupiter. I) „*Ante Jovem genitum* terras habuisse ferunrur Arcades: et Luna gens prior illa fuit." II, 289 - 290. Cfr. Not. *De Jove genito* vide quae sequuntur. Occasione nimirum *Megalesiorum* in honorem *Cybeles*, h. e. *Rheae*, matris ut omnino Deorum ita nominatim *Jovis*, celebratorum d. 4. Apr, Poetae percontantem se fingenti e Musis *caussam, cur* gaudeat adsiduo *Dea Magna* (Cybele) sono? (IV, 194) respondet Erato, Musarum e choro una sic, a IV, 195 - 215, ut ostendat Rheam Saturnum (qui, quoties enixa erat, toties devoraverat prolem enixam, metu sortis acceptae *se sceptris e nato excussum iri suis* v. 197 - 198) elusisse tandem *Jove nato* maritum; genitori ejus saxo, pro Jove infante, devorandum dato. Curetibus vero et Corybantibus (v. Not. ad v. 210) hoc dedisse negotium, ut clypeos galeasque tundendo tutum vagientem ore infante puerum redderent a patre.

Hinc repetendam esse *ritus originem* quod Galli, Deae comites, Megalensium die festo, Cymbala et tympana pulsent. Atque sic *ritus iste* cum *Jovis orti* narratione continent. *Jovis* vero *patriam* quod attinet, de ea vide agentem illustr. Oper. intpr. ad l. l. v. 207. II) Occasione commemorandi ortus Capellae astri, qui quidem ortus astri incidat in d. 1. Maj., *de modo* agit Poeta, *quo Jupiter recens natus et in silvis Idae, montis Cretae, occultatus ibique nutritus sit*, V, 111-127. Cfr. III, 443-444. *Amaltheae Naidi* nimirum hoc ita curae fuisse narrat Noster, ut *Capellae*, haedorum matris formosae duorum, lac praebuerit Jovi. Qui quidem, ubi res coeli tenuerit et invicto nil ipso majus fuerit, praemia dati lactis Capellae *nutrici* coelum dederit. III) Quam Poeta innuit verbis V, 34: „*Dum senior fatis excidit arce Deus*" laesam fuisse *Majestatem* (genitam quondam ab *Honore* e *Reverentia*, i. u. *Pudor* et *Metus* confederint simul cum illa medio in Olympo) a Jove ipso, ejusdem extitisse ait vindicem, cum arma Gigantes (V, 35 - 42. Cfr. II, 461 - 474. Inpr. v. 462. Item III, 439 - 445.) in magnos movissent Deos. Nam tum primo, fulminibus sumtis (Sic Poetam errantem correxit illustr. Op. intpr. ad verba L. III, v. 439: „*Fulmina, post ausos coelum adfectare Gigantas, sumta Jovi: primo tempore inermis erat.*") versisque ponderibus vastis h. e. montibus (v. I, 307 - 308. III, 441 - 442.) Olympo, Ossa et Pelione. (Cfr. Metam. I, 154.) in auctores suos, *Majestas* bene defensa est *Deorum* a Jove ita ut ex illo tempore firma maneret. „*Adfidet ulta Jovi; Jovis est fidissima sustos: et praestat fine vi sceptra tremenda Jovi*" (V, 45 - 46.) [Qui sententiae pondere gravissimum artisque splendore illustrissimum totum hunc locum a L. V. v. 17 - 32. *nostro tempore* non satis capit, quo melior et major Jove Romano *Majestatis*, non ab ipso sed a gentibus violatae et susque deque habitae, vindex extitit, invitatus accessit a Poeta hujus sui operis lector.] IV) *Magnus. Jupiter.* Sic Augustus Imperator appellatur. I, 650. Nosi objectae adulationis crimine reum agere Poetam. Nam Augustus tum, cum haec scriberet, vita jam excesserat, ita ut exsuli non spes reliqua esset, se verborum blanditiis formularumque incantamentis infortunii incommoda certe leviora experturum esse. Explicat Poeta mentem suam locis duobus sequentibus: 1) Auctoritate Senatus secium; ille cum Jove nomen habuit. I, 608. *Hinc repetas caussam usi* humanis honoribus majoris (I, 607,) tituli. 2) *Iampridem tu pater orbis eras. Hoc tu per terras, quod in aethere Jupiter alto, nomen habes: hominum tu pater, ille Deum.* II, 130 - 132. His rectioribus laudasse Augustum videtur dum inter vivos *erat*. Nam in Fastorum opere multa eo mortuo mutasse videtur. V) *Cognomina* Jovis occurrunt haec: α) *Vejovis.* H. e. non magnus Jupiter (III, 448) sive *juvenis*. De vera vocis significatione, templo et *loco* templi Vejovis accurate exposuit Poeta a Libr. III, 429 - 448. Conferatur ad omn. loc. illustr. Fastor. intpr. Consecratio templi, quae quondam ex communi sententia d 7. Mart. locum habuerat, quaque una re notabilis erat ista dies (v. l. l. 429 - 430.) ansam praebuit Poetae disputandi de Vejovis nomine et templo. De capra, cujus simulacrum juxta statuam Vejovis stabat, cfr. V, 111-127. β) *Elicius.* Pertinet ad hunc omnis locus, quo docetur qua arte Faunus et Picus in Numae gratiam *elicuerint* (III, 327) h. e. *deduxerint* (317 - 321.) Jovem de coelo, qualique eventu Jupiter e coelo in terram deductus Numae se, ut Mosi quondam Jehova, conspiciendum praebuerit. Vid. Libr. III.

285 - 316. Inprimis vero 317 - 348. γ) *Victor*. Pauciſſimis abſolvit verbis quae hujus commemorandi cognominis occaſionem fecere, dum ait IV, 621 - 622: „*Occupat Apriles Idus cognomine Victor Jupiter: hac illi ſunt data templa die.*“ δ) *Piſtor*. Miri cognominis rationem reddidit pluribus Poeta Libr. VI, 349 - 394. Per Catachreſin *Pluto*, frater Jovis, quatenus tertia Tartari ſeu Chaus inanis regna tenet, (IV, 584., 597 - 600.) *Jupiter Stygius* vocatur V, 448. Item *Jupiter terminalis* a Numa dictus videtur, qui deinde *Terminus* Deus. v. Not. ad II, 641. VI) Jovis amores. 1) Jupiter et Calliſtho. II, 156 - 192. 2) Jupiter et Juturna. II, 585 - 616. 3) Jupiter et Europa. V, 603 - 620. Cfr. illuſtr. Faſtor. intpr. notata ad Metamorph. II, 833. 4) Jupiter et Semele. VI, 485 ſqq. Cfr. loca Metam. in Notis laudat. Add. Faſtor. III, 715 - 718. 5) Jupiter et Electra, IV, 172 - 174: „*Nam — concubuiſſe ferunt* — Majan et *Electram* Taygetenque *Jovi.*“ H. e. tres ſeptem Pliadum in amplexus venere Jovis. Item: IV, 31 - 32. Quo quidem loca Stemma Romuli atque ipſius adeo gentis Juliae h. e. *familiae tum Caeſareae* refertur ad Jovem ipſum. Hinc Junonem etiam dicentem fecit VI, 41 - 42: „*Tunc me poeniteat* (ſi negatur Junium menſem mei in honorem ita dictum eſſe,) *poſuiſſe ſideliter iras in genus Electrae, Dardaniamque domum.*“ VII) Jovis in tutela Idus cujusque menſis fuere. Hinc I, 56: „*Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*“ Quod l. l. *de omnibus Idibus* valet, nominatim *Idibus Januarii* factum his commemorat Poeta verbis I, 587 - 588: „*Idibus in magni caſtus Jovis aede ſacerdos ſemimaris ſtammis viſcera libat ovis.*“ H. e. vervecis. — De ſacris ſolennibus Jovi ipſis Kalendis Januariis in templo magnifice exſtructo et ſumptuoſe exornato Capitolii ſactis a Conſulibus munus auſpicantibus ſuum vid. I, 75 - 88. VIII) Coelitibus regnis ab Jove pulſus erat Saturnus: I, 236. Cfr. III, 795 - 808. Hinc Titanum a Saturno concitatorum bellum in Jovem ſuſceptum. Ibd. 797 - 809. Cfr. II, 461 - 462. Vid. Not. IX) *Jovi feſtum ſollemne Phoebus paraſſe narratur*. II, 247. [Inſervit hoc ſimpliciter commemoratum feſtum, de quo nil praeterea occurrit, narrationi fabulae, e qua origo cauſſaque originis explicatur nominum, quae *aſtris* impoſita adhuc manent *corvi*, *anguis* et *crateris*. a v. 243 - 266.] Sic Cybele ad ſua feſta vocaſſe Deos, Satyros et Nymphas narratur. VI, 321 - 344. X) Ut Bacchus pro vino, Ceres pro frugibus, ſic Jupiter ſimili fere modo pro *coelo*, quatenus eſt pro tecto domus ſeu camara cubiculi, et *tempeſtate* ponitur. Formula notiſſima Synonimica noſtrae eſt: *ſub dio agere*. It. ſudo ſub coelo degere vitam. α) II, 299 - 300: „*Sub Jove durabant et corpora huda gerebant, docta graves imbres et tolerare Notos.*“ [Eſt hoc inter lineas e quibus noſter compoſuit imaginem ingenioſe fictam, vitae generis et conditionis externae hominum antiquiſſimae aeratis nulla adhuc arte excultorum. v. 289 - 302.) β) „*Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt: ſunt quibus e ramis frondea facta caſa eſt. Pars ſibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis, deſuper extentas impoſuere togas.*“ Oppoſita ſatis docent, quid ſit l. l. *ſub Jove durare*. Caet. de feſto geniali Annae Perennae Idib. Mart. a Plebe inprimis juxta confluentem Anienis et Tiberidis celebrato agit l. l. Poeta. (Die Beſchreibungen dieſes Volksfeſtes der Stadtbewohner und jenes *der Terminalien* der Landleute, II, 639 - 662, gehören ohne Zweifel zu den gefälligſten der Faſten.) γ) „*Sub Jove duravit*, (Ceres, quo loco poſſea *Cerealis Eleuſin* fuit, tum vero Celei ſenis ru-

ra erant.) *multis immota diebus; et lunae patiens et pluvialis aquae.*" IV, 505 - 506. δ) „*Quodcunque est alto sub Jove, Caesar* (Augustus) *habet.*" II, 138. Est hoc inter decem antitheta rasa quartum, quo, ut extollat Augustum, deprimit Romulum. XI) *Hoc tu* (Caesar Auguste) per terras, quod in aethere Jupiter alto. II, 131. 2) Ille (Julius Caesar post necem sui inter Deos relatus s. divus factus, ἀποθεωθεὶς) *quidem coelo positus Jovis atria servat.* III, 703. XII) De *Vinalibus* ex plurimorum (v. Not. ad IV, 863) ipsiusque Poetae nostri (v. IV, 878. 898 - 900.) sententia *in honorem Jovis* d. 23. Apr. celebratis v. loc. IV, 863 - 900. Causam originis refert Poeta a v. 877-898. Inprimis tamen a v. 892 - 898.

Justitia. Virgilii exemplum secutus (qui, exhibens Justitiam *Deam*, quae inter homines commorata sit, dum hoc paterentur mores hominum, talia canit de Dea ista Georg. II, 473 - 4: *extrema* per illos (agricolas) *Justitia* excedens terris vestigia fecit) Noster I, 249 - 250. haec refert de eadem: Nondum *Justitiam* facinus mortale fugarat. *Ultima* de superis illa reliquit humum. — Addantur verba Poetae nostri, quibus *aetatium quatuor* generis humani notis suis distinctarum finit delineationem Metam. I, 150: „Virgo caede madentes ultima Coelestum terras *Astraea* reliquit." Item Juven. VI, 19 - 20: „ Paulatim deinde ad superos *Astraea* recessit hac (Pudicitia. Vid. vers. prim.) comite, atque duae pariter fugere sorores."

Juturna. 1) Pertinet ad hanc Nympham fluminis et lacus Latii h. e. *ad Naïda Juturnam*, numen Romanorum *vernaculum* locus I, 463 - 464: „ *Te quoque lux eadem,* [D. 11. Januar.] *Turni soror, aede recepit, hic ubi Virginea campus obitus aqua.*" v. Not. Aedes igitur Nymphae in Campo Martio extructa erat. 2) Ritibus superstitiosis jucundo et faceto relatis modo, quibus *Deae Mutae* seu *Tacitae* sacra faciebat anus d. 18. Febr. (II, 571 - 582.) eo consilio ut puellae garrulae admonerentur, *non impotenter* uti lingua, immo ut addiscerent compescere eam, pergit communicare lectoribus παραδόσεις, quae de ea vulgi sermonibus tritae innotuerint sibi per senes antiquos. *Juturnae* nimirum indomito amore cum captus esset Jupiter, prodidisse Laram, Naïda garrulam Juturnae, quas ipsius pudicitiae struxerit insidias: summus ille Deus, quove dolo convenerit inter ipsum et Nymphas, sorores Juturnae et Larae, ut circumveniretur; prodidisse porro eandem amoris illiciti secreta Junoni. Jovem vero re comperta ira excandescentem eripuisse blateranti miserae linguam. Hinc sub nomine *Deae Mutae* postea coli coeptam, a Mercurio vero vi compressam *matrem Larum compitalium extitisse*, etc. II, 583 - 615. Quum arctissimo nexu sic copulata essent Juturnae et Deae Mutae fata, non superfederi posse videbamur brevi hac narratione, quae hanc sane potius attingit Deam, quam Juturnam ipsam. 3) *Juturnae lacus.* I, 705 - 708: „*At quae venturas praecedet sexta Kalendas*, (d. 27. Jan.) *Hac sunt Leucadis templa dicata Dis.* [Castori et Polluci e Leda natis. v. loc. class. de Geminis his V, 693 - 720.] *Fratribus illa Dels fratres de gente Deorum* [1) Tiberius Claudius Nero, imperator; 2) Drusus Nero Germanicus. Cfr. laudes egregiae, quibus egregium hunc heroa mactavit etiam Horat. Od. IV, 4.] *circa Juturnae composuere lacus.*" v. Not. et Excurs. Heynii ad Aen. XII, 134 sqq. in Nota ad loc. Nostri I, 463 laudat.

K.

Kalendae. Inter semel dicta totis haerentia Fastis (I, 61.)

h. e. quae in genere valeant nec reperita firmius memoria teneada sint commemorat et hoc Poeta: *vindicat Aufonias Junonis cura Kalendas* (scilicet *omnes*.) I, 55. Causam rei vide in Notis. Cognomen Junoni inhaesit Junonis *Kalendaris* v. Macrob. Sat. I, 14. 2) *Kalendae Jani*, (Die Neujahrstage; quarum memorabilia cum causis recentiss leges inde c. L. I, v. 63 - 89 et a v. 265 - 296) ita tractare incipit ut, praeoccupans seu antevertens morem tralatitium Kal. Jan. duplicem, (1) *At cur laeta tuis dicuntur verba Kalendis?* I, 175; et 2) *At cur lingua solennes concipit pro aliis preces?* I, 196. Cfr. v. 181 - 182.) primum nuntius et interpres mentis Jani, hujus ipsius nomine *fausta quaevis Germanicum sperare jubeat sub anni initia novi*. v. 63. deinde ut preces concipiat solennes (a v. 65 - 70.) quibus Jani Dei favori et tutelae *Duces* h. e. Domum Augustam *commendet, Senatum item Populumque romanum*. Tum a v. 71 - 88 immoratur ritibus, maxime religiosis, quibus Kal. Januar. omnis occupata sit Roma. Inter quos insignes erant praeprimis novorum Consulum, quos ingens hominum candidis togis indutorum turba comitabatur, arcium conscensus Tarpejarum (v. 79) et in splendidissimo (v. 74 - 78) Jovis Capitolini templo facta huic Deo sacra. Omnino haec dies habebatur a Romanis et, ut esset, curae erat omnibus: *lux prospera*, (v. 71) *bona dies*, (v. 72) et *dies laeta* (v. 87.) 3) *Kalendarum Februarii*, (II, 57) quas *principium mensis* paulo ante dixerat, (v. 65) memorabilia habes a L. II. v. 55 - 72; inter quae studiosis partis Geographiae physicae commendantur verba v. 71, 72. 4) *Veteres* non totidem, quot nunc, habuere Kalendas h. e. menses. III, 99 - 100. 5) *Martis Kalendas anni primas fuisse* docetur III, 135 - 150. H. e. coepisse annum a mense Martio. 6) *Matronalia* Kalendis Martiis celebrari solita. III, v. 170. Post redditam primam hujus rei causam haec leguntur v. 229 - 230: Inde diem, quae prima, meas (Martis.) celebrare Kalendas Oebalides matres non leve munus habent. — Jam vero cum Kalendae omnino omnes Junoni essent sacrae, Martias, qua tempus tum foecundum esse incipit, (v. 235 - 244) inprimis solennes cultu Junonis *Lucinae* esse voluerunt matronae romanae. Nam ea die templa ipsi fecerunt publica in Esquiliis. v. 245 - 246. Quintam eamque ultimam causam Matronalium Kal. Mart. celebratorum affert a v. 249 - 258. Quod nimirum ipse (Mars) ille *Junonis filius*, propterea se frequentari a turba matrum h. e. se filium coli respectu matris nuptas amantis [De Marte floris vi genitali, in lucem a Junone edito vid. Libr. V, 229 - 260.] 7) Eaedem Kalendae Martiae Saliorum festa dies *in honorem Martis* instituta. III, 259 - 398. 8) Kalendis Aprilibus Festum Veneris et Fortunae Virilis celebratum est a matronis, puellis et meretricibus inprimis. IV, 133 - 162. 9) Kalendis Majis Capellam, lignum pluviale, ortam esse docet Poeta, V, 111 - 127. Eaedem Kalendae Majae viderunt *aram* signaque parva constitui *Laribus praestitibus*. V, 128 - 146. Bonae etiam Deae eadem die aedes dedicata est. V, 148 - 158. 10) Sextae Kalendae [VI, 181] h. e. Kalendae Juniae [VI, 169] insignes fuerunt, α) cultu *Carnae*, Deae cardinis. VI, 101-182. β) Dedicatione templi Junonis Monetae. VI, 183 - 190. γ) Lux eadem [VI, 191. H. e. prima dies Junii. v. 101.] Marti festa fuit, cujus templum extra portam Capenam [Hodie: Porta del San Sebastiano] dedicatum est hac die. δ) Tempestas cur eadem luce meruerit delubra eadem in regione docet locus VI, 193 - 194. Cfr. Not. ε) Aquilam stellam ortam esse vespere

iiid. Kalend. adfirmat Poet. eod. libr. v. 195 - 196. 11) *Tempus Iuleis cras eſt natale Kalendis* h, e. Cras incipit menſis ab Iulio Caeſare dictus. VI, 797. [Quintilis et Sextilis igitur perdiderant jam nomina ſua antiqua. Nam Sextilis a Noſtro vocatur ſimpliciter *Auguſtus menſis* V, 147; Iuleae vero Kalendae loco modo laudato commemoratae teſtantur Quintilem tum *Julium menſem* jam dici coeptum eſſe.] — Caeterum *Kalendae* nomen acceperunt a ceſca voce *Kalare*. [Καλεῖν, pronuntiare.] Pontificum ſcilicet minorum aliquis debebat, antequam *Faſti* a Flavio, ex humili ſcribae conditione calliditate et facundia ad dignitatem Aedilis curulis evecto, (Liv. IX, 46.) invitis patribus, circa forum in albo proponerentur, [quod accidit a. U. c. 449.] at, *quando lege agi poſſet*, ſciretur, obſervare adſpectum *novae Lunae* [Hinc Kalendarum vocabulum a Graecis per vocabulum νεομηνία redditur.] viſamque nunciare Regi Sacrificulo; *qui deinde ſacra faciebat Junoni*. Tum idem Pontifex *Kalabat* i. e, vocabat plebem in Capitolium juxta *curiam calabram*, prope a caſa Romuli poſitam, [Varro L. L. V, 4. Feſt. l. vocab. Curia] quae ipſa inde (a Kalare) nomen acceperat, et pronunciabat quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſuperarent; ſi quinque, *quinquies* praedicabat Καλῶ; ſi ſeptem, repetebat idem verbum *ſepties*. Inde igitur primi quique menſium dies dicti ſunt *Kalendae*. v. Macrob. I, 15. Varro autem de Ling. Lat. V, 4. auctor eſt, Pontificem proclamaſſe: *quinque Kalo Juno novella*; et: ſeptem Kalo Juno novella. Quia Kalendae ſacra erant Junoni. Pontifex autem minor numerum dierum, qui ad Nonas ſupereſſent propterea *Kalando* prodebat, quoniam, qui in agris eſſent, debebant Nonis in Urbem confluere cauſſas feriarum a rege Sacrorum accepturi. v. Macrob. et Varro loc. laudat. — Quod reſtat ut moneam, ſequuti ſumus Ovidii exemplum in indagandis accuratius omnibus, quae Kalendarum ſpectant vocabulum. Quum enim ab hoc vocabulo aliud Romanorum, *Kalendarium* videlicet, deducendum ſit, hoc vero *civitate* donatum *germanica* eſſe reputaremus, haud abs re viſum eſt proponere, quae ad ſubtilem et doctam vocis cognitionem pertinerent, ducem ſimilibus in cauſſis, ut diximus, ſequuti Ovidium ipſum. Kalendaria autem, quae graece Ἐφημερίδες dicuntur, indicabant etiam dies feſtos et profeſtos, comitiales, ortus et occaſus ſiderum, aequinoctia, ſolſtitia, faſtos item et nefaſtos dies. Hujusmodi Kalendaria extant in Corp. Inſcriptt. Gruter. p. 191. (131.) Murator. p. 150. Tab. B. et p. 305. Tab. C. Tom. I. Graev. Theſ. Antq. Rom. T. VIII. Salenger. Theſ. nov. Antq. Rom. T. III. Jam cum a debitoribus ſolvendae eſſent creditoribus, uſurae ſeu foenus *Kalendis* cujusque menſis (Horat. Sat. I, 3, 86 - 89.) propterea, factum eſt haud dubie ut foeneratorum libri accepti et expenſi etiam *Kalendaria* dicerentur. Senec. Ep. XIV.

L.

Ladon. Amnis mediterraneae Peloponneſi partis, h. e. Arcadiae, in mare effluens, quem fabula finxit genitorem Daphnes in laurum mutatae. Vid. de hoc fluvio diſputantes pluribus illuſtr. Faſtor. et Metam. intpr. ad harum Libr. I, 770; et b. Fiſcher. in Ind. ad Palaeph. Verba Pauſaniae 8, 20 (Arcad. p. 651.) ab utroque interprete laudati huc adponere liceat: ὁ δὲ Λάδων ποταμῶν, τῶν ἐν Ἑλλάδι, ὕδωρ παρέχεται κάλλιστον· ἔχει δὲ καὶ ἄλλως ἐς ἀνθρώπους φήμην Δάφνης τε ἕνεκα καὶ διὰ τὸ ᾄδεσθαι ἐς τὴν Δάφνην. „Quod ad *epitheta* attinet, praeterquam quod *arenoſus* adpellatur in loc.

Metam. laud. eidem *epitheta repugnantia sibi* tributa leguntur a Poeta, dum *placidum* in Metamorphoseon, *rapacem* vero et *citis aquis* in Fastorum opere [vid. loca inferius excitata] eum dixit. Quid in genere de ejusmodi epithetis in Poetarum carminibus obviis judicandum sit, docet illustr. Metam. edit. ad loc. laudat. Quo quidem loco (I, 689 - 713.) Syrinx nympha, Panos fugiens amorem, impetrasse hoc a Naïdibus hujus amnis narratur, ut in calamos palustres mutaretur, e quibus Pan *fistulam* effinxerit. Fastorum in opere Poeta Fauni bicornis sacra sive Lupercalia d. 15. Febr. celebrata a libr. II, v. 267 - 452 pertractans disquisitionem praemisit de *Fauno ipso*, et posito hoc, Faunum et Panа esse unum idemque numen, a Pelasgis Panos cultum per Evandrum (v. 279 - 282.) illatum esse Latio docet; Pana vero Deum pecoris ubique locorum in Arcadia sanctissime cultum esse, cujus quidem rei testis Pholoë sit: „*Quique citis Ladon in mare currit aquis.*" II, 274. Simillimus prioti loco posterior quoque est V, 29 - 106, quo, ut ostendat Calliope Musa, cui has impositi partes Poeta, a *Maja*, Mercurii matre, accepisse nomen mensem *Majum*, argumento utitur hoc: Evandrum ab Arcadiis agris in agros veniisse Latios (v. 91 - 92) impositosque fugatum navibus suis Deos secum attulisse. Hinc sacra multa quidem sed omnium prima Fauni bicornis *altipedisque Dei* docuisse gentes Latii. (v. 99 - 100.) Alipedem vero Deum, seu (v. 98.) „*aethertum volucri qui pede carpat iter*" h. e. Mercurium Arcades nominatimque *Ladona rapacem* rite coluisse. Utroque igitur loco Poeta *amnem* pro *amnis accolis* posuit.

Laenas. [M. Popilius.] Consul cum L. Posthumio Albino instituit cum collega a. U. c. 580, ut *Floralia* quotannis celebrarentur. Hinc V, 329 - 330, Flora Dea „*Consul*, inquit, *cum Consule ludos Postumio Laenas persolvere mihi.*"

Laestrygones. Poeta ut argumentis historicis probaret quod contenderat „*immixta esse sermoni latino multa verba graeca*" colonias Graecas plures commemorat (IV, 63 - 64) in Italiam olim deductas (v. Not. ad v. 64) interque alias *Laestrygonum*, aut potius Ulyssem cum suis in terras Laestrygonum delatum „*Venerat — in Italiam — Dux quoque Neritius* [Ulysses.] *Testes Laestrygones* [Odyss. X, 76 - 132.] *extant* etc. Vid. de sede hominum Not. ad v. 69.

Lala. Antiquum nomen Naïdos, Almonis, fluvii hujus nominis (IV, 337 - 338.) Dei, filia. (II, 601 - 602.) Ex vitio *loquacitatis* positum erat Nymphae hoc nomen. It, v. 601, [ita ut haud dissimile veri videatur. nostr. vocab. *lallen* et, e quo nostr. ortum est, Latinorum *lallare* (Pers. lat. III, 18.) per naturalem *ὀνοματοποιίαν* cum illo ex eodem fonte derivanda esse.] Reliqua quae ad eam, syllaba nominis posteriori in *ra* mutata, *Lara* dictam, pertinent v. fusius expolita a Nostro Libr. II, 571 - 616. Cfr. Ind. s. v. *Lar.* Caet. si rem physice spectes intelligendus erit haud dubie fons scaturiens, cujus aquae cum murmure prosilientes (eine *plaudernde* Quelle) cum promanare forte propter terrae motum cessassent, fabulae excogitandae dederint occasionem.

Lampsacos, i. Asiae minoris et *nominatim quidem* Mysiae ad ora Hellesponti sita urbs, cultu Priapi diffamata. Hinc *versus* adeo *Lampsacus* Martiak. XI. 17, 3. appellatur qui Priapo est dignus b. e. obscoenus. Omnino itaque *Priapus* a Poeta nostro *longi Deus Hellesponti* appellatur VI, 341. Item *Hellespontiacus* Deus. I, 440. Sacrificiorum *cruentorum* causas referens originis (I, 347 - 456) diutissime immoratur (I, 391 - 440.) Poeta *causae*, cur inter *quadrupedantia* animalia (Nam

de volucribus agit a v. 441 - 456.) Lampsaceni (VI, 345.) delegerint caedendam Deo suo victimam *asellum*. Quam quidem caussam a se haud dubie inventam ita in usum suum convertit, ut eandem et *mortem* l. l et *honorem* (VI, 319 - 347) attulisse fingat asello.

Lanx. Inter vasa sacra fuit. Hinc I, 453 - 454: *Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser dei jecur in lances, Inachi lauta*, (h. e. o Isis quae opipari delectari soles dape) *tuas*.

Laomedon. Priami frater, Ili (a quo Ilium nomen accepit) filius, Trois (qui Trojae nomen dedit) nepos etc. v. Not. ad IV, 29 - 36. Inter formulas innumeras, quibus ornate simplicem eloquutus est sententiam Poeta hanc: *postero die*; aut huic similes v. c. duobus tribus etc. diebus post; est etiam quae legitur VI, 729: *Jam tua, Laomedon, oritur nurus*; h. e. Aurora Tithono, Laomedontis filio nupta. v. Not.

Lapis. I) *terminalis*, quo limites agrorum disterminabantur seu definiebantur, et juxta quem quotannis d. 23 Febr. sacra Termino Deo ex instituto Numae sacra faciebant. vid. Not. ad loc. II, 639 - 684. II) *milliarius*, distans alter ab altero in viis publicis mille passuum spatio. Videntur ab initio iidem qui terminales fuisse, quippe qui fines imperii Romani notarent ipsius, dum angustis erant limitibus circumscripti. Hinc II, 681 - 682: „*Illac* (in via Laurentina) *lanigeri pecoris fibrit tibi, Termine, sacra videt fieri sextus ab Urbe lapis.*" (H. e. in loco unius cum dimidio fere milliaris germanici spatio, occidentem ab Urbe versus, et haud procul a mari disito.)

Lar, is. Quod attinet ad notationem vocabuli, Schellerus in Lexico suo inclinavit mentem suam in eam sententiam quae statuit affinitate propinquum esse illud cum Etruscorum praenomine *Lar* s. *Lars*, quod significaverit *dominum* atque adeo *patronum, fautorem*, i. u. Anglos adeo vocabulum linguae suae *Lord* ab Etruscis accepisse haud dissimile veri esse credat. Ovidius vero Lares a *Lara*, Naïde garrula, quae garrulitatis vitium linguae damno luetat, quamque Mercurius a Jove irato ducere ad Manes jussus vi compresserat, potius nomen accepisse lectoribus persuasum esse cupiit; fabulam *de origine Larium*, nominis eorundem cum nomine matris similitudine, credibiliorem sic redditurus. a) Patrem igitur *Mercurium* matrem vero *Larem* habuisse fingitur. Inserta legitur narratio de ortu hujus numinum generis, quod Latio ipsum quoque *vernaculum* et proprium fuit, loco *de Dea Muta*, quae quondam *Lala* seu *Lara* fuisse credita est. v. Libr. II, 571 - 616. Pertinent huc maxume versus 615 - 616: *Fitque gravis* (Lara vi compressa a Mercurio) *geminosque parit, qui compita servent et vigilant nostra semper in aede* (al. Urbe) *Lares*. Ex quo quidem loco patet Larium fuisse duplex genus: *α) publicos*, qui compita (ut apud Graecos Hecate, cujus ora Janus adfirmaverat (I, 141 - 142.) propterea *in tres vergere partes*, quo servaret *in ternas compita secta vias.*) h. e. vias publicas et fortasse omnino urbes servarent; *β) privatos* seu *domesticos*, qui aedium privatarum curam haberent seu defenderent eas a periculis. Cfr. quae pluribus disputata leguntur in Not. ad l. l. II) Alter loc. class. de Laribus legitur V, 128-146. Ex quo, colligendo singula, efficitur *qualia officia* seu *quale munus* Laribus tum *publicis* tum *privatis* tribuerint Romani huic Deorum tutelarium generi. Nam *praestites* dictos esse ait Poeta quod praestent oculis omnia tuta suis; (Non diversos caeterum eos a *compitalibus*, ut ex omni loco evidentissime patet; quippe qui *a loco* ubi *praestabant oculis omnia tuta fuit* h.

e, a *compitis* compitales dicti sunt; nisi notionem haud dubie vocabulo complicatam *publicorum* his adjungere simpliciter et utique volueris.) „*Stent quoque pro nobis et praesint moenibus Urbis, et sint praesentes auxiliumque ferant.*" III) Quod attinet ad *numerum* certe publice cultorum ab initio non nisi *duo* fuisse videntur α) quoniam Lara sive Dea Muta *geminos* pepererat (II, 615.); β) nec nisi *bina* gemellorum *signa* (V, 143) a Curio quondam *publice* posita (Eod. libr. v. 130) erant, quae Poetae tempore aut omnino destructa aut certe annorum vi caduca facta erant (Ibd. v. 130-131. 143 - 144.) Auctum vero sensim sensimque numerum Larium ita crevisse, ut Romae ducenta et sexaginta quinque Larium fuerint, ex Plinii loco et ad verba Poetae: „*Millo Lares — Urbs habet*, (V, 145.) illustris monet Fastorum interpres ad loc. laudat. IV) Propter memorabilem eorum *quae curae sunt canibus*, quaeque *cara loca* similitudinem cum iis quae curae sunt, quaeque loca cara Laribus, et propter omnem omnino ingenii et officii similitudidinem quae intercedere videbatur inter *canem* et *Larem* (V, 139 - 142.) hujus in *tutela* erant canes; (v. Not. ad V, 129.) canis ex eodem quo Lar fabricatus saxo stabat ad hujus pedes; (Eod. libr. v. 136 - 137.) Pellibus quoque caninis Lar amictus erat. (v. loc. Plutarch. laudat. in Not. ad V, 139.) V) Ex officiorum meritorumque Larium ratione, qua aedium privatarum viarumque publicarum provida cura singularum sibi familiarum devinciebant animos, patet cur Caristiorum die (II, 617) caris sibimet propinquis moneat Poeta, ut ne negligant *libare dapes Dis generis bonis*; [H. e. Laribus. v. Not. ad l. l. v. 631.] *quo missa patella, grati pignus honoris, incinctos nutriat Lares.* (II, 631 - 634.) VI) Larium signa *in loco atrii* sedem habebant suam (Trist. I, 3, 43 - 44: „Illa etiam, *ante Lares* passis prostrata capillis, contigit *extinctos* ore tremente *focos*; etc.") Hinc pendet recta interpretatio loci Fastor. I, 135 - 136: „*Omnis habet geminas, hinc atque hinc, janua frontes; e quibus haec populum spectat; at illa Larem.*" VII) Templum in Foro Laribus positum et d. 27. Jun. consecratum Poeta his commemorat vorbis VI, 791 - 792: „*Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt.*" Locum vero delubri ita definit: „*Hic ubi sit docta multa corona manu.*" H. e. in Foro romano. Coronam enim accipio ea, quam apud Cic. (v. c. pr. Mil. cap. 1,) habet, significatione: de frequentia civium, qua Orator in Foro circumdatus erat; Oratorem vero *a manuum motu et gestu rationibus caussae orationique adcommodato designatum puto.* VIII) Pro sede certa, domicilio certo aut loco quem quis habitandum sibi per omnem vitam delegit, ponitur. Sic α) I, 7: Evander — *deserit Arcadiam, Parrhasiumque Larem* h. e. patriam terram paternamque domum. β) V, 652: Argivi, qui interfuerant expeditioni Herculis in Geryona, Gadium (Cadiz) regem, reduces ex Hispania facti „*montibus his*, (quibus Roma serius superstructa erat.) *ponunt spemque Laremque suum.*" H. e. sedem ibi figunt spe allecti se vitam ea in regione peracturos commodam et satis beatam. γ) „*Hoc tamen est vero propius; cum condita Roma est, transferri jussos* (agrestes et pastores) nominatim in nova tecta *Lares.* IV, 801 - 802. (De caussa ritus palilium die flammas transiliendi sermo est.) δ) VI, 362. Quo quidem loco Mars, Roma a Gallis occupata et deleta, Coelitibusque a Jove convocatis ut deliberarent quid decernendum et agendum sit ratione hujus eventi „inter alia conqueritur: „*spes erat in cursu*, (προϊούσης ὁδῷ τῆς Ἐλπίδος. v. Plutarch. Camill. 24.)

nunc Lare pulſa ſuo eſt." H. e. Omnis ſpes concepta de futura Romae magnitudine et potentia, quam 1) tu, o Jupiter (v. 359-360), promiſſis tuis excitaveras, 2) quamque laeta a Romanis adhuc geſtorum bellorum eventa nutriverant foverantque (v. 361), omnis iſta ſpes jam concidit. — *Spem* igitur per proſopopoeeam finxit perſonam, quae, dum cum ſucceſſu contendit quo vult, domo quaſi ſua ab hoſte occupata ejicitur. *e*) Concordia - ubi narravit — *Lare communi ſoceros* (Sabinos) *generosque* (Romanos) *receptos* etc. *Lar communis* eſt Roma urbs, poſt concordiam reſtitutam ſedes utriusque populi communis facta. IX) Transfertur, ſervata eadem notione, ad animalis nominatimque apud Noſtrum ad aves III, 242: „*Nunc* [tempore veris, menſe Aprili] *avis in ramo tecta Laremque parat.*" H. e. tecta i. e. nidos facit, quibus recipiatur ut ova ibi ponat pullosque inde excluſos ut ibidem nutriat. Apibus *Larem* tribuerat Virg. v. Not.

Larentalis, e. Hinc *Larentalia* (cil. ſolennia, quae quidem eadem *Accalia* dicta ſunt (Varro de Ling. Lat. V, 3.) in honorem Accae Larentiae, nutricis Romuli et Remi, menſe Decembri celebrata. III, 57 - 58.

Larentia. Hanc Romuli et Remi nutricem his commemorat verbis III, 55 - 56: *Non ego te, tantae nutrix Larentia gentis, nec taceam veſtras, Fauſtule* (mariti Larentiae) *pauper, opes.* Vid. Not. Nos vero taciuiſſe honorem utriusque conqueri poſſumus, cum aut injuria temporis interciderint ſex Carminum volumina aut morte praeventus non Decembris memorabilia canere potuerit Poeta. Cfr. v. 57 - 58. *Acca* ſimpl. nominatur V, 453. Per luctus propter necem Remi non fucati immo gravillimi *ſigna*, inter quae et imago Remi ipſa per ſomnium oblata referenda erit, egregie exprellit amoris tenerrimi (v. 459) adfectus, quibus perrexerant adultos ſuos perſequi alumnos Acca et Fauſtulus. Caet. non dedit locum Noſter opinioni multorum turpi quam refert Liv. I, IV: „*Sunt qui Larentiam vulgato corpore lupam inter paſtores vocatam putant.*" Dignitati rei melius conſuluit II, 413-422.

Latinus, a, um. *Dies Latini* i. q. annus Latius. III, 177. vid. Ind. I. v. *Latius, a, um.*

Latinus, i. Rex Latii ſeu Aboriginum. III, 601: *Jam pius Aeneas regno nataque* (Lavinia. Cfr. IV, 879 - 900.) *Latini auctus erat, populos miſcuaratque duos.* (Trojanos et Aborigines Latinorum nomine communi conſociaverat.)

Latium. Janus, quem Poeta finxit inter alia lui, (antiquiſſimi, regionis circa Tiberim nominatimque circa Janiculi collem, reguli) temporis eventa enarrantem, Saturni fata commemorans ait I, 235 - 238: *Hac ego Saturnum memini tellure receptum* (pererrato, poſtquam a Jove coelitibus regnis pulſus erat, orbe) — *Dicta quoque eſt Latium terra, latente Deo* h. e. dum ibi latebat Deus, aut ſimpliciter *a* latente Deo. Similliimo modo Virg. Aen. VIII, 319-323: „*Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo, arma Jovis fugiens et regnis exul ademtis — Is — Latium vocari maluit, his quondam latuiſſet tutus in oris.*" Illuſtr. Heyne vero vult in Not. ad v. 319. ex etymologia vocab. ductum eſſe mythum de fuga Saturni in illas Latii terras.

Latius, a, um. Annus Latius ſi. e. Romanus. Nam vel ſuburbanorum oppidorum Faſti discrepuere a Faſtis Romanorum. Vid. III, 85 - 98. I, 1: *Tempora — Latium digeſta per annum — canam.* Cfr. II, 7: *Idem cano — tempora ſignata Faſtis.* It. IV, 11 - 12: *Tempora — Annalibus erutа priſcis cano.* Porro VI, 21: *O vates, Romani conditor anni, auſe per exiguos magna referre modos:* It. III, 177: *diſce Lati-*

norum vates operose digerum, quod poscis etc. 2) Turnus an Aeneas Latiae gener esset Amatae bellum erat. IV, 879 - 880. De *caussa originis* Vinalium agit Poeta Libr. laud. a v. 877-900 Caet Amata l. l. est Laviniae mater et Latini regis marita. 3) *Quid in Latios illa* (Didus soror, Anna) *veniret agros?* III, 606. 4. Puppibus egressus (Evander.) Latia stetit exul in herba. I, 539. *Latia herba* i. e. in Latii agris. Dicuntur vero sic per Anachronismum. 5) *Tempora jure colunt Latiae fecunda* (Martii) *parentes*, (matronae Romanae) *quarum militiam votaque partus habet.* III, 243-244. Syn. nurus Latinae v. 247.

Lavinia. Latini Amataeque filia et post belli propter eam exorti (IV, 877 - 900.) eventum Aeneae uxor. *Zelotypia* foeminae, e suspicioso ipsi Annae, Didus sororis, in Italiam adventu et modo orta, quo ab Aenea, beneficiorum a Didone acceptorum memore, excepta fuerat hospitio, egregie notatur III, 623 - 638.

Laurens, tis. De trecentis sex Fabiis agens Poeta, ultima ausis ut certe non inulti perirent, hac illustrat imagine exquisita stragem, qua ad incitas redacti, fortissime se defendendo antequam occumberent, affecerint hostes: „*Sicut aper, silvis longe Laurentibus actus, fulmineo celeres dissipat ore canes; mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti;* etc. II, 231. Caet. *sylvarum Laurentium apros* passim memorari docet illustr. Op. edit. ad l. l. ipse vero *ager Laurens* et *Laurentinus* ad mare ac Tiberim situs erat. v. Heyne ad Virg. Aen. VII, 61-63. Consitus fuisse lauris videtur. *Laurentum* oppidum ibi quondam positum hodie nunc *Paterno* nunc *Torre di Paterno* adpellari monet illustr. Heyne l. l. Commemoratur ager Laurentinus a Nostro in loco quo agit de Terminalibus II, 679 - 683: *Est via, quae populum Laurentes ducit in agros, quondam Dardanio regna petita duci.* „(h. e. Aeneae. v. Virg. Aen. VII, 25. 36. Ad quem quidem v. 56. celeb. Heyne: " escensum fecere Trojani ad orientalem [a Germanis potius *australem*. ut videtur, dicendam] fluminis ripam in agro Laurentino.) Subjungit his Poeta, ad sextum viae Laurentinae lapidem *terminos imperii Romani antiquissimos* fuisse, quorum memoria quotannis reculta sit sacris ibi factis.

Laureus, a, um. Quamquam per formae suae rationem hoc vocabulum vim adjecti habeat, forma tamen foeminini generis, *laurea*, saepe absolute et ita posita legitur ut subjecti habeat vim sitque subintelligendam sive supplendum substant. aliquod v. c. frons, corona, aut, ut apud Nostrum in loco laudando *arbor.* Postquam nimirum docuerat (Fastor. III, 71 - 134) Poeta noster Romulum per decem distribuisse annum suum menses et alios quidem jam ante Romulum Latii populos mensem habuisse Marti sacrum, pergit ostendere Romulum hunc *praecipuum* huic Deo suoque parenti (III, 75 - 78.) habuisse honorem, ut *primum* anni sui *mensem* diceret a Marte. (Ibd. v. 135 - 136.) Quod quidem probat e more constanti, ab antiquitate summa repetendo et suo adhuc tempore servato, *Kalendis* cujusque anni *Martiis* laureas (arbores), positas 1) ante domus Flaminum, 2) ante Jauuam regiae regis Sacrorum 3) ante fores Curiae priscae, tandemque 4) ante focos Vestae, postquam toto perstiterant anno sicque *canuerant* h. e. exaruerant, ita ut marcidae factae essent, permutandi cum laureis recentibus foliis virentibus. v. III, 135 - 142. Caeterum cur *arbor Phoebi* dicatur (v. 139.) docet Fabula de Daphne [δαφνη, laurus] in laurum mutata Metam. I, 450 - 567. Cfr. Phaedr. Fabell. III, 17, 3. Cujus quidem fabellae primis in versibus haec leguntur: „*Olim quas vellent esse in tutela sua,*

Divi legerunt arbores, — placuit Phoebo laurea."

Laurus. ., *State Palatinae laurus, praetextaque quercu ſtet domus. Aeternos tres habet una Deos.* [Palatina domus ſ. Palatium, habet h. e. continet tres jam Deos, *Veſtam, Apollinem* et — *Auguſtum.* quem *magnum Jovem* jam I, 650 - at *Jovem per has tamen terras tantum.* II, 131 - 132 dicere placuerat Poetae.] Talibus finem imposuit libro Faſtorum quarto precibus pro ſalute inconcuſſa imperatoris, talibusque verbis tropicis in precum formula adhibitis exoptat ut ſemper vigeat floreatque *potentia* etiam Caeſarea domus omnis. Caet. *de laureis arboribus*, quarum altera dextrum altera vero ſiniſtrum occupabat locum ante fores Palatii, ut de *corona querna* cauſſaque cur in ſupero portae Palatii limine poſita fuerit. vid. loc. claſſ. in Poetae noſtri Triſt. Libr. III, 1, 31 - 50. Laudavit hunc et alia loca illuſtr. Faſt. intpr. ad verba Libr. I, 614: „Protegat et veſtras querna corona fores.

Lea, ae. Inter quinque ſigna, quibus Poeta, alios ſecutus Poetas, (vid. loca laudata in Not. ad II, 79 - 118, extr.) ut omnino *incredibilem artis Muſices in animos hominum vim* declaravit ita inprimis quibus ſignificare notis ſelectiſſimis voluit, *quantus artifex re muſica Arion quondam fuerit*, eſt etiam hoc II, 88: *Et ſtetit in ſaxo proxima cerva leae* h. e. Muſices ars, qualis erat Arionis, tantam exercuit vim in animos, ut deleret e memoria adeo *inermium imbelliumque* animantium periculi ipſiusque vitae diſcriminis magnitudinem, quam ſubirent praeſentia animantium ſibi inimiciſſimorum, *(Quippe quos Natura ſuae carnis adpetentes ſuamque ſanguinem ſitientes formavit)* ut juxta eos collocati adſtarent Muſices faſcinati incantamentis. Hos vero aeque magna Muſices vi tactos finxit Poeta ita ut naturae ſuae obliti *depoſuiſſe* mitigato animo *omnem ſaevitiam crudelitatemque* viderentur, placidique et amico animo *illos ſibi latus jungere* paterentur. II) Inter belluas venandi ſtudio corroboratae aetatis aptas commemorata legitur *lea* quoque V, 175-176: *At poſtquam virtus annis adolevit, in apros audet* [Hyas] *et hirſutas cominus ire leas.* Syn. *leaena* verſſ. ſqq. legitur: *dumque petit latebras foetae catuloſque leaenae, ipſe fuit Libycae praeda cruenta ferae.* H. e. dum ne tempore quidem *quo* et loco *ubi* cum maxume reformidanda eſt immanis belluae feritas et rabies eam adgredi temerarius dubitat, dilaniatus ab ea perit. Cfr. Xenoph. Cyrop. I, 4, 7. ſqq.

– *Leaena.* Idem quod *lea.* Forma tum haec tum iſta vocis graecae (λέαινα) legitur V, 177. v. ſ. voc. proxime praeced. n. a. Ibv. 371: *Cur tibi* [Florae] *pro Libycis clauduntur* (in Circo Floralibus, celebrari coeptis Aprili et continuatis ad d. 3. Maj.) *rete leaenis imbelles capreae ſollicitusque lepus?* — Reſpondet Flora eſſe inter feras *pugnaces*, quibus nec horti nec arva, quorum tutela ſit ipſa, adeundae ſint.

Learcheus, a. um. Moeſta Learcheas mater tumulaverat umbras. VI, 491. v. Ind. ſ. v. Learchus. Inter exempla res eſt, quibus *ſumma crudelitas* declaratur, quo inſito ſuo vindictae ſtudio Juno ſe abripi paſſa ſit.

Learchus. Inus et Athamantis filius, a patre, furiis exagitato de ſinu matris raptus ſaxoque illiſus, perit. VI, 489 — 492. Cfr. not.

Ledaeus. a. um. Dii Ledaei I, 706. Sunt Caſtor et Pollux a matre *Leda*, Tyndari regis Lacedaemoniorum uxore, ita dicti (ut a patre *Tyndaridae fratres* V, 700,) Agitur l. l. de eorum templis Romae a Tiberio d. 27. Jan. A. U. 789 dedicatis et circa Juturnae lacum poſitis. v.

not. ad v. 705 - 708. Locus classicus facta et fata Deorum Ledaeorum persequens aptissime intextus legitur Libr. V, a v. 693-720. Agitur enim l. l. de tempore, quo sol subeat geminorum illorum alternatim Deorum sidus, mediusque sit inter astrum ab ipsis denominatum et Terram nostram.

Lemures. Sic *animas Silentum* veteres dicere coeperant [V, 483 - 484] a *Remo*. Postquam nimirum Romulus expiare decreverat manes fratris interemti, diemque expiationis *Remuria* dixerat, [Ibd. v. 479-480] quae placandorum Maniam solennia mox *Lemuria* dici solebant, [Ib. v. 481-482.] factum est ut animae *Silentum* omnino Lemures quoque vocarentur. Atque Poetae ita persuasum est *veram* esse hanc suam in medium prolatam vocis notionem ut addat v. 484: *Is verbi sensus, vis ea vocis erat.* Synonyma sunt. α) *Manes taciti* v. 422. β) *Leves umbrae* v. 434. It. simpl. *umbrae* v. 439 - 442. γ) *Manes paterni* v. 443. Nominatim *umbrae fraternae* [Remi] v. 452. Quae eaedem: *elapsa rogi flammis et inanis imago.* v. 463. Item: *lubrica umbra* v. 476. Cfr. Ind. s. v. Manes.

Lemuria. Locus varia exornatus arte de his sacris piacularibus pertractatus legitur a L. V. v. 419 - 492. Pertinuere ad Manes tacitos, (v. 422.) seu ad cineres avorum compositos v. 425-426, seu ad animas silentum, (v. 483.) quibus inferiae *nocte* dabantur. v. 421 - 422. Inter antiquissima Romuli ipsius (hoc inest quoque vers. 423 - 426) instituta referenda sunt. Mense Majo, ex parte Poetae quoque tempore, (v. 428) et tribus, at non continuis (v. 491.), diebus, inde a d. 25. m. Maji (v. 419-420) peragebantur. *Ritus* superstitiosos, quibus *Lemures* h. e. umbras (v. 439 - 442) seu Manes paternos (v. 443) tectis exire suis rogabant et a se suisque removebant (v. 438. Cfr. v. 442.) habes a v. 429 - 444. *Nominis originem* v. 445) ejusque *caussam* (v. 449 - 450) docuisse Mercurius, aptissimus huic negotio, quippe Deus isque *Ψυχοπόμπος*, Poetam rei istius ignarum, invitatus ut hoc faciat, sistitur. v. 445 - 450. Qui quidem a v. 451 ad v. 478 refertur hoc ita fecisse, ut doceret Remum crudeliter interemtum Faustulo et Accae noctu conspiciendum se praebuisse (v. 457) et utrique mandasse, (v. 475) vellent fratrem per lacrimas perque alimenta, quae quondam gemellis praebuerint, rogare ut celebrem festo signet honore diem. (v. 474 - 475.) Romulum obsequutum diemque illam, qua *positis justa ferantur avis* h. e. consanguineis in genere (v. 480 dicere debuisset Poeta: *qua positis justa tulerit cineribus fratris)* a *Remo* fratre *Remuria* dixisse (v. 479 - 480.) Hinc *Lemuria* nomen accepisse, et animas silentum paullatim *Lemures* dictas esse (v. 481 - 484.) Caeterum ut Feralium (Cfr. Ind. s. h. v.) sic et *Lemurium* dies infelices aut mali ominis habitas fuisse additur in loci vers. extr. a v. 485 - 490.

Leo. I) Astrum. „*Ignis qui micat in medio pectore Leonis venienti mersus erit nocte.*" I, 655 - 656. *Ignis in medio pectore* est stella Arabibus *pes* (רגל) *leonis* (Regulus) postmodo dicta. *Nox ventens* est quae excipit d. 23. Januar. v. not. Jam cum *Leo* signum sit Zodiaci boreale et 180 gradibus fere distet ab *Aquario*, signo Zodiaci australi, quod adiisse v. 652. Sol dictus est septem diebus ante (v. 653) occasum Reguli, discrimen temporis, quod intercedit inter ortum aquarii, atque adeo nunc Solis ipsius et occasum Leonis, *discrimine* declinationis et adscensus astrorum *recti atque obliqui* constituendum erit. Talia jam globi coelestis arte facti ope celerrime dijudicari queunt. 2) *Illa nocte aliquis — medii quoque ierga*

Leonis in liquidas subito mersa notabit aquas. II, 77 - 78. *Nox* est l. l. quae diem excipit Februarii secundam. v. not. — Caeterum Leonis occasum utroque loco commemoratum mensibus Januarii et Februarii post mediam noctem, quicunque voluerit, oculis suis observare poterit, cum per majorem noctis partem coelo tum apud nos plerumque sereno fulgeat cum stellis suis. Dignoscitur hodie cognomine *majoris* a minori, qui mense Septembri hujus anni (1811) omnium habebat oculos in se conversos, cum Cometa memorabilis inter stellas ejus se denuo conspiciendum praeberet. Est vero *Leo minor* propior a polo arctico inter Leonem majorem et Ursam majorem positus et nuper demum ab Hevelio in coelo effictus. II) Quam vim symbolicam habeant *leones currui Cybeles juncti* his docet verbis Poeta noster IV, 215 - 218: *Cur huic genus acre, leones, praebent insolitas ad juga curva jubas? — Feritas mollita per illam creditur. Id curru testificata suo est.* III) Fabiorum trecentorum sex stragem ingentem inter hostiles copias primo impetu feroci editam egregia illustrat imagine stragis, *quam Lybica de rupe invadentes sparsos lata per arva greges edere soleant leones.* II, 209 - 210.

Leontinus, i. Incola Leontii Siciliae oppidi in ora maris Siculi inter Catanam et Syracusas. v. not. ad IV. 467. Caeterum nostro in loco ut in pluribus aliis a Schellero in Lexico suo laudatis, *Leontini, orum* sunt urbs ipsa. Cfr. Ernesti Clav. Cic.

Lesbis, idis. Lesbida cum domino (Arione) *Lyram tulit Delphin.* II, 82. v. not. *Lesbos* insula maris Aegei, celebris Alcaei, Sapphus et Arionis, de quo agit loc. laud. a v. 84 - 116, nominibus. Nunc *Metelino* nuncupatur.

Lesbos, i. Berecynthiam seu Cybelem navi a Romanis e Phrygia [et Pessinunte quidem] petitam - *Cyclades excipiunt Lesbo post terga relicta, quaque Carystcis frangitur unda vadis.* [Relicta item post tergum Euboea.] IV, 281 - 282. Cfr. de hac itineris parte Wood über das Originalgenie Homers p. 65 - 72. Explicat ibi locum Odyss. III, 169 - 183.

Leucadius, a, um. Poeta *de origine* et *caussa* moris agens Idibus Majis de ponte sublicio in Tiberim projiciendi simulacra scirpea aut straminea ad similitudinem corporis humani efficta (V, 621 - 662.) tribuit hunc morem, famam sequutus, oraculi aut Dodonaei aut Delphici responso, quod antiquissimis temporibus (v. 625) jusserit duo hominum vivorum corpora libari seni falcifero h. e. Saturno, et ita quidem ut aquis immersa Tiberinis perirent. „Quae quidem *quotannis tristia Leucadio sacra peracta fuerint modo*, dum Hercules advenerit in illa Tiberis arva. V, 629 - 630. Caet. *Leucadia* scil. insula sive *Leucas* [v. loc. in Not. laud.] hodie *Santa Maura* vocatur eique inter insulas, quae Veneto - *Levanticae* nominantur in quinta pacis inter Austriacos et Franco-Gallos d. 17. Octbr. a. C. 1797. factae conditione. Nunc vero est inter *Ionicas* a. C. 1798. a Turcis et Russis, jam vero, quantum equidem scio, ab Anglo-Britannis occupatas.

Leucippus. Phoebes et Hilairae pater. Lynceo et Idae, fratris filiis, desponsatae viri filias rapuerunt Castor et Pollux. Qua ratione hinc factum sit ut per hoc fratrum gemellorum inter sidera reciperetur coeli, enarrantem lege Nostrum Libr. V, 693 - 720. Copiose singula illustrata ibi invenies ab illustr. Op. impr. Nomen *Leucippi* vero ipsum habet loc. laud. v. 702.

Leucothee, es. Numen pelagi VI, 543. Eadem quae *Matuta* a Romanis vocata est. v. 545.

mica domibus capit certis, quae Februa vocantur. II, 23 - 24. Sermo est de lictore flaminis dialis. v. not. 2) *Fasces pro Lictoribus* Consulum inter insignia munus adeuntium commemorantur I, 81. Nam praeferebant Consulibus fasces in pompa illa Kal. Januar. cujus l. l. mentionem fecit Poeta. Cfr. Liv. XXI, 63.

Lilybeus, a, um. Inter tria Siciliae promontoria his commemoratur verbis: *Jamque Peloriaden Lilybeaque, jamque Pachynon lustrarat* (Ceres) *terrae cornua prima suae.* IV, 479 - 480. Excurrit porrectum in occidentem. Hinc Eryx mons ea in regione positus *Zephyro semper apertus* dicitur IV, 478; et ap. Virg. Aen. V, 32. blandis vela *secundi intendunt Zephyri.* Trojani enim, frustra obnitentes ventis, cursum flexerant ab occasu ortum versus. Caet. extrema Lilybaei promontorii ἄκρα plana et depressa protenditur ad tria millia passuum sub undis et, cum non, nisi in trium circiter cubitorum altitudinem aquis tecta sit, propterea Aeneas in narratione de fatis erroribusque suis ap. Virg. „*et vada*, inquit, *dura lego saxis Lilybeia caecis*" h. e, classe trajicio s. supero loca Lilybaei promontorii vadosa et propter fundum saxeum latentem periculosissima. Vid. Aeneid. Libr. III, 706. Quaeque e Cluver. Not. Orb. antq. ibi notavit illustr. Heyne.

Limen. 1) *Tecti limina primi*, h. e. fores, quibus prima aditur aedium s. domuum privatarum pars v. not. ad I, 137. 2) Janus limina servat aditus ad Deos. I, 173. 3) *Ecce anus — sacra facit Tacitae — et digitis tria tura tribus sub limine ponit, qua brevis occultum mus sibi fecit iter.* II, 571 - 594.

Lituus. De Romanis et Sabinis pugna decertaturis III, 215-216: *Jamstabant acies ferro mortique paratae; jam lituus pugnae signa daturus erat* etc. v. Gell. N. A. I, 11.

Livia [Drusilla.] Quae tandem *Julia Augusta* dicta est. v. Ind. s. his vocibus. 1) *Genitrix* Tiberii imperatoris. I, 649. 2) *Sola toro magni digna reperta Jovis.* Ibd. v. 650. *Magnus Jupiter* est Augustus imperator, cui secundis nuptiis juncta fuit. [Nolit abjectae adulationis crimine reum agere Poetam. Nam α) quo sensu Augustum magnum dixerit Jovem explicat ipse II, 130 - 132: „*Jam pridem tu pater Orbis eras. Hoc tu per terras, quod in aethere Jupiter alto, nomen habes: hominum tu pater, ille Deûm.*" β) Senatus ipsius auctoritate *socium summo cum Jove nomen* acceperat *Augustus* adpellatus. I, 608. γ) Vita tum defunctus haud dubie jam erat Augustus, δ) Nihil *exsul* juvabatur verborum blanditiis formularumque incantamentis.] 3) *Augustam Juliam* i. e. Liviam *novum* fore *numen* vaticinantem facit Carmentam I, 536. [Plena collustratur luce hic locus verbis Taciti Annal. I, 7: *Livia, per testamentum defuncti Augusti in familiam Juliam nomenque Augustae adsumebatur.*" Quod factum est a. U. c. 767. p. C. n. 14. *Numen* vero *novum*, quae eadem sunt Carmentae verba l. l., invita ipsa, teste Tiberio filio apud Taciti Annal. V, 2, eam tamen post fata fecit Claudius. v. Not. Mortem vero obiit Livia annos nata duo et octoginta h. e. anno p. C. n. 29. v. not. ad Tacit. Annal. V, 1. init. Ad eandem pertinet locus apud Nostrum VI, 637 - 640: „*Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede* [D. 10. Jun. Quum contra die 16. Januar. niveo eandem posuisse templo dicatur I, 637. v. Ind. s. v. *Concordia.*] *Livia, quam caro praestitit illa viro.*

Livius, a, um. H. e. ad Liviam Augusti maritam pertinens. De porticu in honorem Liviae exstructa et de ejus nomine ita ab Augusto dicta VI, 639 - 648:

„*Discе tamen veniens aetas, ubi Livia nunc est Porticus, immensae tecta fuisse domus. Urbis opus domus una fuit, spatiumque tenebat quo brevius muris oppida multa tenent* etc. Cfr. Not.

Lolium. In precum aptissimarum formula, qua Tellurem Cereremque, deas operum rusticorum consortes pro colonis adit Poeta I, 675 - 695 est *inter mala* post sementem factam *a Deabus averruncanda* hoc quoque v. 691 - 692: *Et careant lolio oculos vitiantibus agri; nec sterilis culto surgat avena solo.* — Junxit utrumque herbae malae segetibusque noxiae genus Virg. in loco in Not. laud. (Georg. I, 150 - 154.): *Mox et frumentis* [modo Cereris beneficio repertis] *labor additus — intereunt segetes — interque nitentia culta infelix lolium et steriles dominantur avenae.* Caet. *lolium* verterunt intprr. utriusque loci: Lolch s. Luelch. It. Trespe, Rade. *Avenam* vero *sterilem*: wilder oder tauber Haber. Rusticorum primus quisque tibi obvius in agris inter Nostrates quoque malas has herbas satis etiam sibi cognitas monstrabit, si tenearis forte cupiditate oculis eas cognoscendi.

Lotis, idis. Agonalium die h. e. d. 9. Januar. quo Jani numina placanda erant a rege sacrificulo *lanigerae conjuge ovis* h. e. ariete [I, 317 - 334] Poetae animus *per cruentum* hoc *sacrificium* deductus ad originem et causas originis *omnium omnino* cruentorum sacrificiorum (Ibd. a v. 335 - 390] commemoraverat sacrificium cruentum etiam quo Lampsaceni [VI, 345] placare solebant numina Priapi h. e. *asello* [„*Caeditur et rigido custodit ruris asellus.*" I, 391.] Hinc per *caussam* reddendam, cur Lampsacos coeperit mactare Priapo asinum, opportunitate oblata, lasciviae et nequitiae Poetae, gratissima, interlerit fabulam *de Priapi salacitate Lotidis Nymphae forma venusta* (v. 419) *excitata eaque intempestivis asellii clamoribus delusa.* I, 392 - 440. Post *episodium* hoc absolutum redit ad argumentum, cui pertractato finem imponit v. 456. De Lotide cfr. loc. Metam. IX, 347.

Lotos, i. „*Quaerere multa libet: sed me — terret horrendo lotos aduncа sono.* IV, 189. Mallem de situo potius quam de tibia cogitare I. l. quum ille *aduncus*, sonusque haud dubie propter usum bellicum (III, 215 - 216.) *horrendus* esset, quod utrumque non in tibiam, quamquam e loto fieri solitam, [v. Polluc. Onomast. IV, 71. De tibia cfr. Fast. VI, 695 - 710.] quadrare videtur. Eurip. in Phoeniss. v. 801 - 805 tibiae sonos gratos a Martis studiis diserte discrepantes facit. Nam Chorus ibi: *ὦ πολύμοχθος Ἄρης — οὐ — λωτοῦ κατὰ πνεύματα μέλπῃ Μούσαν, ἐν ᾇ χάριτες χορο- ποιοὶ* ἀλλὰ etc. Tibia igitur e loto facta canebant quae laetam redderent mentem, quae animum exhilararent. Cfr. Eustath. ad Iliad. II, 776. Quo loco lotum nostrum ait esse *καλαμίσκον τινά*. Plura dedit de loto (Der Lotusbaum, jetzt in der Barbarei *Sidra* genannt, nicht das Lotuskraut.) celeb. Voss. ad Virg. Georg. II, 84.

Luceres. Postquam Poeta *causssam duplicem* constituerat anni a Romulo per *decem* menses descripti, *alteram*, ut artium ingenuarum omnium, ita *Astronomiae insciliam*, [III, 99 - 120] *alteram* vero *insignem numeri denarii reverentiam*, [III, 121 - 134.] atque postquam reverentiae *causssas* repetierat α) a numero digitorum, β) a numero mensium, qui a concepto ad editum foetum praetereunt et γ) a numero, quem, ubi denarius consummatus est, inde *crescentem* h. e. auctum ubi volueris, hoc efficiendum est ope repetitorum primorum decem numerorum, [III, 123 - 126.] illustravit *exemplis* illam reverentiam. [Ibd. a v. 127 - 132.] Quae quidem inter exempla est

hoc quoque: *Quin etiam partes totidem Titiensibus idem* (Romulus), *quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.* v. 131 - 132. Liv. I, 13: Eodem tempore et centuriae tres equitum conscriptae sunt. — *Lucerum nominis et originis causa incerta est.*

Lucifer, a, um. Proprie *lucem ferens.* Sic equi Lunae adpellantur *luciferi* a Nostro Heroidd. XI, 46. II) *Veneris stella erratica.* Romani nimirum ex imitatione Graecorum, qui hanc stellam Φωσφόρον dixerant, quia lucis praenuntius, solem orientem, certe semel quoque anno et per plures dies, antecedendo, esse solet, ipsi quoque *Luciferi* nomine eandem Planetam dixisse videntur. Intelligenda erit haec stella, quatenus est matutina, VI, 474: *et, vigil eois Lucifer exit equis* [al. *aquis.*] Ad quem quidem locum illustr. intpr. monet: Poetas Luciferum finxisse vel equo solitario vehentem vel curru et equis jugalibus. (Lunae contra *bigas* et Soli *quadrigas* dederunt.) Hac ratione opponitur *Hespero.* [H. e. per se *eidem cum Lucifero stellae.* Quatenus nimirum Veneris stella intra ducentorum et viginti octo dierum spatium orbitam suam circa solem cursu conficit, nunc Φωσφόρος nunc Ἕσπερος esse solet h. e. intra illud temporis spatium semel occidentem versus longissime a sole tempore matutino, semel vero orientem versus tempore vespertino a sole remota est.) *Hespero* vero itidem tribuebatur equus singularis at *fuscus*, Lucifero vero *candidus*; utrique vero vis *trrorandi terras* e caussis naturalibus. v. illustr. Op. intpr. ad II, 314. Quo quidem loco verba „*Hesperus et fusco roscidus ibat equo*" nil significant nisi fulgebat Veneris jam stella coelo vespertino h. e. noctis tenebris jam omnia erant offusa. De stella Veneris capiendus erit etiam locus III, 877: *Tres ubi Luciferos veniens praemiserit. Eos,*" Quamquam caeterum huj. loc. sensus simplex sit: post tres dies praeteritos. Porro IV, 677: *Sed jam praeteritas quartus tibi Lucifer Idus respicit.*" H. e. simpl. quarta adest post exactas Idus dies. It. V, 548: *Quid solito citius liquido jubar aequore tollit candida, Lucifero praeveniente, dies?* A nostratibus stella Veneris vulgo quatenus est lucifera simpl. dici solet *der Morgenstern*; quatenus vero Hesperus est, *der Abendstern.* [Ὡς ἐν παρόδῳ hic monere liceat, qua mira, ratione factum sit ut diceretur et in multis libellis vernacule scriptis, immo in vita communi certe joci caussa, *geniorum malorum dux atque princeps* vel adhuc dicatur *Lucifer.* Auctor nimirum carminis satirici in interitum regni Babylonici conscripti [v. Jesaiae Oraculor. Cap. XIV, 12.] ultimum] Babyloniorum regem, Babylone a Cyro capta, interemtum, propter pompam regiam, qua antea cinctus erat, cum *stello Aurorae* h. e. stella Veneris in coelo mane fulgente comparaverat. Hinc, cum subsannatione de solio regio deturbati et interemti, exclamat: *Quomodo decidisti de coelo, o Lucifer!* — Sic enim Hieronymus verba hebraica recte vertit. — Jam cum aetas serior ignorantiae vitiis laborans omnem locum de casu et interitu geniorum malorum principis et antesignani interpretaretur, factum est ut Lucifer et Diabolus ejusdem esse inciperent significationis vocabula et hinc promiscue ponerentur. Caeterum de modo, quo interemtus *sit*, *Lucifer de coelo detrusus*, h. e. rex Assyriorum ultimus, v. Xenoph. in Cyrop. VII, 5, §. 27 - 31. De nomine ejusdem v. Zeune ad Libr. IV, 6, 2. Loc. esro Jes. ipse copiose et erudite explanavit in Scholiis suis illustr. Rosenmüllerus. — Quamquam aliena a loco, et recte quidem, modo propositа alii judicaturi sint, tamen alios speramus fore; quibus certe

nec ingrata nec inutilia, quae hic interteximus, videbuntur.] II) Sol ipse *Lucifer* a Poeta nostro vocatur — et quod astrum potiori jure ita vocari posset? — „*Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis Lucifer.*" II, 150. III) Dies. Sic α) hac cum voce propria commutatum legitur I, 45 - 46: „Ne tamen ignores vaiorum jura *dierum*, non habet officii *Lucifer* omnis idem." β) „Nec tamen haec ultra [fit, ut posito pascantur umbrae cibo. De Feralibus sermo est. v. Not. ad II, 533.], quam tot de mense supersint *Luciferi*, quot habent carmina nostra pedes." II, 567-568. γ) „Restat ut inveniam, quare toga libera detur *Lucifero* (al. luce geri) pueris, candide Baeche, tuo." (al. tua.) III, 771-772. Syn. v. 785: „*Luce sua* ludos uvae commentor habebat." δ) „*Muneris* [h. e. templi] *est* tempus, *qui* Nonas *Lucifer* ante est." VI, 211. [H. e. d. 4. Jun. dedicatum est templum Herculis Custodis in Circo Flaminio. v. Not. ad l. l.]

Lucina. Est hoc nomen inter *cognomina Junonis.* [v. Ind. s. v. *Juno.*] Caussam cognominis duplicem reddidit Poeta, ut nimirum Romani eam ita dixerint aut a *luco* aut a *luce* scil. vitae. Priori sententiae favent sqq.: „*Monte* enim *sub Esquilio, multis incaeduus annis, Junonis magnae nomine lucus erat.*" II, 435 - 436. Cujus quidem luci abditis cum *Oraculum Junonis* inesse crederetur, Sabinae steriles passae, quod ex responso ejus pati jussae erant, *subito matres factae fuisse* ferebantur. v. loc. laud. a v. 429-452. Quae cum ita evenissent repetiit inde cognominis originem Poeta v. 450: „*Gratia Lucinae: dedit haec tibi nomina lucus.*" Sententiam hanc adjuvare quodammodo videtur locus III, 246: „*Illic* (in eodem monte Esquilio et in vertice quidem Cispio. v. Not. ad l. l.) *a nuribus Junoni templa Latinis (quarum militiam votaque partus habebat,* v. 244.) *hac sunt, si memini, publica facta die.* H. e. Templum d. 1. Mart. dedicatum est Junoni, a loco fortasse deinde semper, ut ab aliis dignosceretur templis ejusdem Deae, Junonis *Lucinae* dictum. Ipse tamen Poeta tribuisse majorem vim videtur sententiae, e qua β) *quia principium lucis habeat* h. e. vitam quisque acceptam ipsi quodammodo debeat, dum *maturum utero molliter efferat onus,* Lucina adpellata putabatur. v. II, 450 - 452. Nam inter caussas, *cur Martis celebrent Kalendas Oebalides matres* h. e. matronae Romanae, (v. III, 229-230) est etiam haec: quod *Junonis sit filius Mars,* (v. l. l. v. 251. Cfr. V, 229 - 260.) *matrum turbam eum frequentare, matrem enim nuptas amare,* quod ostendat eo, *quia votis adsit parturientium.* (v. III, 256.) Hinc simpliciter matronas precari jubet, cum respectu *ad alteram* nominis Lucinae *caussam,* III, 255: *Tu lucem nobis, Lucina, dedisti. Tu voto parturientis ades.* Gravidas vero resoluto crine nominatim precari jubet: *ut solvat partus molliter illa suos.* (III. 358. Cfr. verba II, 451 - 452.) A Graecis dicta est Dea parturientium Εἰλείθυια, a Junone omnino diversa. De qua Phurnutus haec habet: „Εὔχονται ταύτην ἐλθεῖν αὐταῖς ἠπίαν καὶ λυσίζωνον αἱ ὠδινοῦσαι." (v. Cap. 34. p. 232. Ed. Gal.) Diversam vero a Junone Deam finxisse sibi *Ilithyiam* Poetas graecos docet loc. Hymni in Apoll. v. 97 - 101: Μούνη δ' οὐχ ἐπέπυστο μογοστόκος [parientibus, seu in partu laborantibus, opitulans] Εἰλείθυια· ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν, Ἥρης φραδμοσύνῃ λευκωλένου, ἥ μιν ἔρυκε ζηλοσύνῃ, ὅτ' ἄρ' υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε Λητὼ τέξεσται καλλιπλόκαμος τότ' ἔμελλεν. Finxerant etiam plures μογοστόκους Εἰλειθυίας Graeci. Item Ἀρτέμιδα μογοστόκον, Dianam puerperium adju-

tantem. v. Dorville ad Charit. p. 339 - 340. Ed. Beck. Imprimis vero consulatur illustr. Boettigeri Dissert. inscripta: *Ilithya oder die Hexe*, ein archaeol. Fragm. nach Lessing. Weimar 1799. Caet. quantopere a sensu nostro decori honesti et pulcri abhorreant puellarum parturientium clamores et preces in scena ita edita ut audirentur a spectatoribus, quibus opem Junonis Lucinae implorant ap. Terent. puerperae, quisque novit et facile agnoscet.

Luna. Arcadiam, mediterraneam Peloponnesi partem, *antiquitate originis* omnes superare terras, Arcadesque, terrae incolas, populum esse *omnium longe vetustissimum*. Poeta, eadem *ter* usus formula, pronunciat: 1) „*Orta prior luna* (de se si creditur ipsi) *a magno tellus Arcade nomen habet*" I, 469 - 470. 2) „*Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Arcades: et luna gens prior illa fuit*" II, 289 - 290. 3) *Arcades hunc* (Mercurium), *Ladonque rapax et Maenalos ingens, vite colunt, luna credita terra prior*. V, 89 - 90. [Formula loquendi ista in proverbium *apud Arcades ipsos* abiisse videtur, quod ex verbis loci primo loco positi et Parentheseos signis inclusi certe colligere posses, ita ut, ortum suum suaeque adeo terrae *ad tempora longe remotissima* relaturi, dicerent: ortos esse ipsos, ortam esse terram suam ante lunam creatam. II) Romanos nullam priscis temporibus curasse *artem* nisi *bellicam* (III, 103 - 104:) ignaros inter alia *rationis* quoque digerendorum accurate per annos *perque menses* temporum (H. e. ut Astronomiae omnino, ita nominatim artis chronologicae, illa suffultae perque illam stabilitae.) ornate effert quoad Solis et Lunae motus sic: „*Quis tunc — senserat — tre per signa, quae longo percenseat Frater* [Apollo i. e. Sol.] *anno, uno Sororis* [Dianae h. e. Lunae] *equos menses*. III, 105 - 109 - 110. III) „*Annus erat*, [Romuli] *decimum cum Luna repleverat orbem*." III, 121. A Plenilunio igitur, si Nostrum sequaris, non a Novilunio coeperunt menses numerari. Jam cum de *synodico* Lunae cursu cogitandum sit, annus Romuli secundum exactissimam computandi rationem hodiernam fuisset Dierum 290 cum horarum 12, minutarum hōrae partium 20 itemque secunda vice minutarum 30 spatiis. [H. e. 290 D. 12 Hor. 20', 30"]. At fuisse constat 204 Dierum. vid. illustr. Op. intpr. ad l. l. v. 161. Nam talia nostro demum tempore subtiliter definiri potuerunt. Caet. Cfr. v. 100. IV) Ceres moestissima ob filiae Persephones raptum in Attica terra „*sub Jove duravit — et Lunae patiens et pluvialis aquae*" h. e. aperto sub coelo pernoctavit noctiumque incommoda tulit. IV, 505 - 506. V) Sub Annae Perennae, numinis indigetis, nomine *Luna* a nonnullis coli credita est, quia *mensibus luna impleat annum*, atque adeo, e ratione nominis etymologica, quia quasi *perennet annum*. III, 657. VI) Lunae templum in monte Aventino. „*Luna regit menses. Hujus quoque tempora mensis* (Martii) *finit Aventino Luna colenda jugo*. III, 883 - 884. VII) „*Luna novum decies implerat cornibus orbem: quae fuerat virgo credita, mater erat*. II. 175 - 176. β) „*Luna resumebat decimo nova cornua motu; virque pater subito, nuptaque mater erat*." II, 447 - 448. Cfr. ratione *argumenti* locorum I, 33 - 34. „*Quod satis est, utero matris dum prodeat infans; hoc anno statuit* (Romulus) *temporis esse satis*." Item: III, 121 - 124: „Annus erat *decimum* cum *Luna* repleverat *orbem*. Hic numerus magno tunc in honore fuit — *seu quia bis quino femina mense parit* etc.

Lupercal. 1) Antrum ingens

et opacum ſub colle Palatino vivarum inſignis aquarum fonticulis. v. not. ad II, 279. Cauſſam nominis Noſter repetiit a Lupa foeta quae gemellos expoſitos, Romulum et Remum, ibi nutriverit. Patet hinc ſimul, antrum illud ſub radicibus poſitum montis Palatini haud procul abfuiſſe a ripa Tibridis auſtrali proximumque ficui Ruminali. v. 391-394. cfr. v. 409 - 410. It. 421. 2) Aliam cauſſam e Dionyſ. ad v. 381 notatam habes: Evandrum nimirum Pani Lucaeo, Deo patrio, ſacra facturum, antrum illud *Lycaeum*, Lutinos poſthac *Lupercal* vocaſſe. Plutarchi adhuc temporibus inde excurrere nudi coepere Luperci. v. not. ad v. 421.

Lupercalia, ſcilicet *ſacra* ſive *ſolennia*, in honorem Fauni ſeu Panos celebrata menſe Februario et tertia quidem poſt Idus die, iterata vero ſub nomine quoque *Faunalium* Non. Decbr. (Vide verba extrema not. ad II, 193). Idibus quidem jam Februarii (H. e. d. 13. Febr.) *fumaſſe agreſtis altaria Fauni* narrantur II, 193; nihilominus vero tertia poſt Idus die (d. 15. Febr.) demum *Fauni ſacra bicornis* ire ait Poeta ibd. v. 288. Pertractavit vero locum de horum ſacrorum caerimoniis ita, ut admirandae ingenii foecunditatis documenta non deſideres tam in inveniendis quam exornandis rebus materiae tractatae aptis, inde a Libr. II, v. 267 - 452. Inprimis hoc apparet poſt enarratam *originem* ſacrorum (v. 269-282) e *cauſſis* ritus *ſacerdotum* (v. 363) *Fauni* ſeu Panos *currendi* et *nudo* quidem currendi *corpore* redditis *quatuor*. 1) a v. 283 - 288. 2) a v. 289-302. 3) a v. 303 - 358. 4) a v. 359 - 380. Item e cauſſa reddita *originis* nominis loci *Lupercal* appellati v. 381 - 422. β) ritus feriendi nuptas ſteriles v. 425 - 452.

Lupercus. 1) Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos adſpicit. II, 267. *Luperci* ſunt ſacerdotes [v. II, 363. Item V, 101:] Panos ſeu Fauni v. 278. Cur α) *currant*, curque currant β) *nudi*? v. 283 - 284. V. ibi notata. Cauſſam ritus prioris reddit paucis v. 285 - 286. Immoratur contra ritui poſteriori ita, ut cauſſis quatuor allatis omnis locus *de Lupercalibus* ſplendidiſſimum aeque atque copioſum debeat ornatum, cum per ſe ſterilis et tenuis eſſe videretur. Cauſſam primam paucis abſolvit v. 287 - 288; alteram a primo hominum ſtatu repetitam et egregie amplificatam v. 289 - 302, tertiam antiqui plenam joci animi cauſſa addit v. 303 - 358. Quartam denique latinam v. 359-380. *Luperci currebant cinctuti*. Quid hoc ſibi velit v. expl. ad V, 101. Velleribus ſectis α) *luſtrabant urbis vias*. Ibd. 102. v. not. ſeu *omne ſolum* II, v. 31, 32. β) Percutiebant, ut foecundas eas redderent, terga ſterilium maritarum. v. 425-452; qui locus cauſſam orti meris fatis miram reddit.

Luſtrum. Annorum nunc quatuor nunc quinque periodus a *luſtrando* dictus. Luſtrabantur certis ritibus et homines et pecudes. Sic IV, 735: „Paſtor, oves faturas ad prima crepuſcula (Palilium diei h. e. d. 21. Apr.) *luſtra*.“ Quibus ritibus hoc facere debeat docet Poeta verſſ. ſqq. Sic etiam ſemente peracta exhortatur Poeta ruſticos I, 669: *pagum luſtrate, coloni!* Item in loco memorabili de opinione hominum erronea agens „*omne nefas, omnemque mali cauſſam purgaminibus tolli poſſe*“ (II, 35 - 36. Locus vero omnis a v. 19 - 46. pertinet.) commutavit verbum *luſtrare* (II, 32 - 38) cum verbis *piare*. (Ibd. v 29) *placare*, (item v. 33.) purgaminibus aut piaminibus *purum reddere*. Factum vero hoc eſſe antiquitus inprimis abluendo ſeu *lavando* aut certe conſpergendo corpus *aquis*, docet idem locus laudatus v. 39 - 40. It. v. 43 - 46. Itaque verbi *luſtrare* notio prima

haud dubie fuit: luendo i. e. abluendo purgare qſ. a ſordibus (Iliad. I, 314-315. Ariſtoph. Plut. 656-665.). Jam cum ex antiquiſſimo Romanorum inſtituto (Liv. I. 44. III, 24.) poſt cenſas civium Romanorum opes *luſtrum* conderetur, h. e. luſtrarentur cives ritibus certis ſacris quinto quoque anno, antequam Cenſores magiſtratu quinquennali (Quinquennalis fuit ab a. u. 310. ad a. u. 319. v. Liv. IV, 24.) ſe abdicarent, *luſtrum* I) pro *quinque* annorum ſpatio poni coepit. Sic apud Noſtrum α) II, 183.: „*Jam tria luſtra puer furto conceptus agebat*," h. e. iam quindecim fere annos natus erat Arcas, Jovis e Calliſthone filius, mox *Arctophylacis* nomine inter ſidera relatus. β) Item IV, 701-702.: „*Filius hujus* (coloni in campo Carſeolano) *erat primo laſcivus in aevo; addideratque annos ad duo luſtra duos.*" H. e. duodecim annos natus erat. Sic Horat. Od. II, 4. extr. de ſe: *cujus octavum trepidavit aetas claudere luſtrum*, h. e. qui jam 40 aetatis annos exegi. γ) III, 119-120: „*Ergo animi indocîles et adhuc ratione carentes* (Romanorum ſub Romulo) *menſibus egerunt luſtra minora decem.*" H. e. luſtrum, quod agebant, quinque quidem fuit annorum, at cum annus decem, non duodecim, eſſet menſium, quinquennium quinquaginta non ſexaginta conficiebatur menſibus. II) At poſitum legitur *luſtrum* etiam pro *quatuor* at abſolutorum annorum ſpatio ſeu periodo III, 165-166: *in luſtrum accedere debet, quae conſummatur partibus una dies.* H. e. Dies, quae e ſumma neglectarum per quatuor annos ſex horarum conficitur plenus, quarto addendus eſt anno. Caeterum hic dies intercalaris dictus eſt *biſextus* ſ. *biſextus, i* quia *ſextus* dies a. Kal. Mart. *bis* numerabatur. Intercalaverat enim Caeſar diem inter diem 24 et 25 menſis Februarii. Annus vero ipſe quadriennii, quod luſtrum plenum reddebatur, ipſe quoque dici coepit *annus biſextilis.* v. Iſidor. Origg. VI, 17.

Lyaeus, i. Sic Bacchum, uvae commentorem (III, 785.) ab effectu vini dictum putant, quod λύσι curas, quod eas diſcutiat aut *ſolvat.* Nam qui Bacchus a Noſtro I, 393. et v. 403. Liber vocatus erat, idem eadem in fabula v. 395. Lyaeus vocatur: *Di quoque cultores Lyaei in idem venere.* 2) Per metonymiam cauſſae Lyaeus pro vino, ſimpl. poſitus legitur V, 521. de Hyrieo, Orionis patre, qui pauper, propenſa tamen voluntate, ignotos ſibi exceperat hoſpitio Deos Jovem, Neptunum et Mercurium. Praeparatis omnibus: „*nunc dape, nunc poſito menſae nituere Lyaco.*"

Lycaeus, a, um. Lycaeus mons Arcadiae. Hinc adj. *Faunus* i. e. Pan *Lycaeus*, a Romanis deinde *Inuus* vocatus. v. Liv. I, 5. it. Virg. Aen. VI, 776. „*Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos? Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* II, 423-424. (Nam λύκος eſt *lupus.*)

Lycaon. H. e. Lycaonides, Lycaonis e Calliſto nepos, (v. Fab. L. II, 153-192.) inter ſidera Cuſtos urſae, Arctophylax, itemque Bootes, ejus vero ſtella nitidiſſima *Arcturus* dicta, cujus ortus ad d. 12. m. Febr. relatus fuerat II, 153, ejusdem occaſum mane d. 7. m. Jun. eveniſſe narratur VI, 235-236.

Lycaonis, idis. „Cui Dea [Diana]: virgineos, perjura Lycaoni, coetus delere, nec caſtas polluе, dixit, aquas." II, 173. v. vocab. ſq. Cfr. de Lycaone ejusque numeroſa prole Apollod. Bibl. III, 8.

Lycaonius, a, um. Calliſto (v. de ea loc. II, 155-192. Cfr. ind. ſ. v. *Calliſto.*) in urſam mutata a *Lycaone* patre eodemque Arcadum rege *Lycaonia* per abuſum orationis vel eo loco adpellatur, ubi de ea inter aſtra recepta et ut de aſtro ſermo eſt III, 793: „Stella *Lycaoniam* vergit proclinis *ad Arcton*, miluus.

Cfr. Not. ad IV. 575. Quo loco eaedem urſae majoris ſtellae cum reſpectu ad fabulam *Parrhaſides ſtellae*, verſu vero 680, ut III, 108. aſtrum, quod illae ſtellae efficiunt, *Helice* vocatur.

Lycurgus. Edonum in Thracia rex. „*Tu quoque — tacebere — in tuum furiis acte, Lycurge, genus.*“ III, 721 - 722. Inter exempla commemoratur eorum l. l. qui Bacchi contemti ſenſerint vim et potentiam in ulciſcendis injuriis ipſi illatis. v. Not.

Lydus, i. e. *Lydius*, *a*, *um*. Lyda puella, i. e. Omphale II, 356. Eandem adpellaverat Poeta ibd. v. 310: Maeonida. ibi v. not.

Lynceus. Apharei filius, Idae frater, gener fieri pactus Leucippo (V, 702.) h. e. ſponſus nescio utrum Hilariae an Phoebes, filiarum Leucippi, Caſtora trajicit enſe, (V, 709.) qui cum fratre Polluce ſponſas ſibi et fratri rapuerat. Haſta perforatur a Polluce viciſſim. V, 711.

Lyra. I) Inſtrumentum muſicum, cujus chordae ponticulo, inter cornua ita adducto ut ea jungeret, nexae fuerunt. Carebat teſtudinis cavo, itaque a Κιθάρα diverſa fuit. v. Ind. ſ. v. Cithara. Qui fuerit chordarum numerus, quique inſtrumenti inventor, docet locus V, 104-106: *At tu materno donaſti nomine menſem*, [Majum ex nonnullorum opinione a Maja dictum:] *inventor curvae, furibus apte, fidis. Nec pietas haec prima tua eſt: ſeptena putaris, Plejadum* [ſororum Mercurii. IV, 169 - 179. it. V, 81 - 91.] *numeram, fila dèdiſſe lyrae.* Item V, 663 - 667. *Clare nepos Atlantis, ades! — laeto lyrae pulſu* etc. Horat. in loco omnino cum utroque Poetae noſtri conferendo inque Notis hinc ad utrumque locum Noſtri laudato eundem dicit Mercurium *curvae lyrae parentem*. II, 82: *Lesbida cum domino* (Arione) *ſeu tulit ille* (Delphin) *lyram*. Lyra lyrico dedit carminum generi nomen, quo inclaruere Alcaeus, Sappho, Arion, Lesbii. VI, 812: *Annuit Alcides, increpuitque lyram*. II) Sidus huius nominis nitidiſſimum. Stella primi ordinis Arabibus doctis *Wega* dicta eſt, cujus in boreali globi coeleſtis parte poſiti adſcenſio recta d. 1. Januar. Ao. 1802 fuit 18 horar. 30 Minut. 13,97 Secund. A polo vero arcticeo remota erat tam 51°, 23', 35,3", ita ut Lipſiae, urbe ſub 51° 19' 41" altitud. boreal. poſita, fere nunquam circulum finientem ſubeat. Utrum a *lyra Lesbide Arionis* (II, 75 - 119.) an *a lyra Chironis Centauri* (V, 379 - 416.) ſidus dictum putaverit Poeta, ex utroque certe loco non ita clare patet, ut certi quid definiri poſſit. Caeterum mentio fit ortus aut occaſus aſtri his in locis: α) I, 315 - 316: *Inſiliterint Nonae* [*Jani*]; *miſſi tibi nubibus atris ſigna dabunt imbres, exoriente lyra*. H. e. praenuntii inſtantis lyrae ortus [d. 5. Jan.] erunt imbres, coeli nubibus tum obducti. β) I, 653-654: „*Septimus hinc oriens cum ſe demiſerit undis, fulgebit toto iam lyra nulla polo.*“ H. e. D. 23. Januar. ſole ortum iam maturante ſuum ſolis orientis radiis denuo occultatur. γ) II, 75-76: *Illa nocte aliquis, tollens ad ſidera vultum, dicet: ubi eſt hodie, quae lyra fulſit heri? — dumque lyram quaeret* etc. *Hodie* eſt d. 3. Febr. v. Not. δ) V. 415 -416: *Hunc* [Chirona Centaurum, h e. aſtrum Centauri ortum d. 3. Maj.] *lyra curva ſequi cuperet, ſed idonea nondum eſt via; nox aptum tertia tempus erit.*“ H. e. nox diei Maji quinti. III) Lyra pro carmine elegiaco IV, 81 - 84: *Me miſerum, Scythico quam procul illa* [Sulmo in Pelignis v. IV, 685. Cfr. v. 79 - 80. Et I, 540. urbs patria Poetae] *ſolo eſt! — Ergo ego tam longe?* [Scil. inde ſum remotus.] — *Sed ſupprime, Muſa, querelas: non tibi ſunt maeſta ſacra canenda lyra*. [Notas alias quasdam, quibus diſcrevit Poeta *carmen elegiacum* ab heroico, habes II, 125 - 126. It. v. 567 - 568.] Caeterum

lyrae chordas pollice ictas fuiſſe docent verba II, 108. *Pectine* vero etiam patet e Perſ. Sat. VI, 22.

Lyricus, a, um. „*Nomen Arionium Siculas impleverat urbes; captaque erat lyricis Auſonis ora* (Italia; inpr. urbes Graeciae Magnae v. c. Tarentum, Sybaris etc.) *ſonis.* II, 93-94.

M.

Maena. Inter ritus, quibus anus Deae Mutae (II, 583.) ſeu Tacitae (ibd. v. 572.) ſacra facit, vel potius inter artes magicas, quibus *hoſtiles linguas inimicaque ora* (II, 581.) (verläumderiſche Zungen oder den böſen Leumund) vincire ſtudet, *quarto* loco poſita legitur haec: *Obſutum Maenae caput pice adſtrictum acuque trajectum ahena in igne torret.* II, 577 - 578. De Maena v. not. ad l. l. Piſcis fuit parvus isque marinus ſale condiri et ab hominibus tenuioris conditionis comedi ſolitus. Erat vilis pretii. A ditioribus et delicatioribus contemtus. v. loc. Cic. in not. l. l. et ſcriptt. a Caſaub. in not. ad Perſ. III, 76. laudat. Fülleborn in Verſ. Perſ. reddidit nomen nomine *Lamprete* (d. i. la lamproie; das Neunauge; die Bricke.) interpretes Martial. verterunt nunc: *der Stint*, nunc *der Hering*. Interpres Perſii francogallus, Selis, ſimpliciter et recte in re, de qua certi nil conſtat: *des poiſſons ſalés.* In nota addit: *Maena* eſt un poiſſon de mer très petit.

Maenalis, idis. Tutelares deos cum aliae terrae et nationes hos, aliae alios ſibi delegiſſent, quos *praecipuo* proſequerentur *cultu*, inter exempla dicti moris Poeta retulit et Arcades, Panos cultores, his uſus verbis III, 84: *Pinigerum Fauni caput Maenalis ora colit.* De *Fauno*, qui l. l. idem eſt cum Pane Deus v. Ind ſ. v. Faunus. De *ora Maenalidi* vero cfr. vocab. *Maenalos.* De cultu Panos apud Arcades cfr. loc. claſſ. II, 271 - 281. Sic de Xenia Arcade Xenoph. Anab. I, 2, 10: Ἐνταῦθα [in oppido Phrygiae majoris] ἔμεινε [Cyrus minor] ἡμέρας τρεῖς· ἐν αἷς Ξενίας ὁ Ἀρκὰς τὰ Λύκαια ἔθυσε (ſacra fecit Jovi Lycaeo h. e. Pani) καὶ ἀγῶνα ἔθηκε· τὰ δὲ ἆθλα ἦσαν στλεγγίδες χρυσαῖ· ἐθεώρει δὲ τὸν ἀγῶνα καὶ Κῦρος. — Haec igitur erant genuina *Lupercalia.* v. Intpr. ad loc. laud. 2) „*Porrima placantur Poſtvertaque; ſive ſorores, ſive fugae comites, Maenali Nympha, tuae.*“ I, 634. *Maenalis Nympha*, quae eadem v. 618. *Parrhaſia Dea* et v. 627. *Tegaea parens* a locis Arcadiae memorabilibus appellatur, eſt Carmenta, mater Evandri, de cuius ſacris d. 15. Febr. *relatis* l. l. ſermo eſt. Nam, quae verſſ. 631 - 636. inſunt, aperte inter ſolemnia Carmentalium referenda erant.

Maenalius, a, um. „*Silva vetus, nullaque diu violata ſecuri, ſtabat, Maenalio ſacra relicta Deo.*“ IV, 649 - 650. Maenalius Deus eſt Faunus, numen Latii vernaculum, male l. l. *Maenalius* dictus. Nam de luco prope Albuneam, Romae vicinam et Tiburi, ſermo eſt, ubi oraculum erat Fauni indigetis Dei. Maenalii vero cognomen cur gerat Pan v. ſ. v. Maenalos. „*Saeva canam rogat Saturnia Tethyn, Maenaliam tactis ne lavet Arcton aquis.*“ II, 191 - 192. Lepidiſſimum Poetae noſtri, ut videtur, inventum, quo ſimplicia illa Homeri verba Odyſſ. V, 275: οἴη (ἡ Ἄρκτος) δ' ἄμμορος ἐστὶ λοετρῶν Ὠκεανοῖο conſilio aptavit ſuo. Quod quidem conſilium l. l. cernitur in eo, ut Junonis *iras* in Calliſtona conceptas *implacabiles* aut *inexorabiles* fuiſſe declaret. Qua via vero hoc melius adſequi potuiſſet, quam fingendo Junonem, poſtquam impedire non potuerit quo minus Calliſto *Maenalia*, h. e. Arcadia, a ſe in urſam (ἄρκτον) mutata, quod rem cum Jove habuerat, inter ſidera ab hoc una cum filio ex ipſo genito (v. 188.) collocaretur, certe iſtud impetraviſſe a Tethye *ultionis et vindictae* loco, ut *aquis ne lavari unquam poſſet Oceani*, h. e. ut nunquam occideret, ſed

per totum annum conspicua maneret. [Quod vero, ut constat, valet tantum de *borealibus* globi terrestris partibus, quarum incolis super Horizonta semper elata extat. Nam in *Nova Hollandia* v. c. ne oritur quidem unquam.] Caeta altioris spiritus et erectioris mentis cogitatio est illa, qua Poeta ursam maiorem et minorem *testes facit aeternos* omnium quae *nocte* ubique gerantur et fiant in hoc nostro globo terrestri, quia *liquidi immunia sint Ponti signa, nec aequoreus unquam subeant aquas.* IV, 575 - 577.

Maenalos. Arcadiae *mons*, pascendis gregibus aptus, hincque Panos cultu nobilis, *ingens* a Poeta nostro adpellatur V, 89. Quo tamen loco de cultu Mercurii in Arcadia nati agit: *Arcadis hunc* (Mercurium) *Ladonque rapax et Maenalos ingens rite colunt.* Virg. vero Georg. I, 16 - 18: *Ipse — Pan — tua si tibi Maenala curae; — adsis — favens.* Horat. Od. I, 17. Lycaeum alium Arcadiae montem tanquam gratissimum Fauno commemorat.

Maenas, adis. A μαίνομαι insanio ἡ Μαινάς, scil. γυνή, mulier insaniens. Ceres raptam propter filiam dolore correpta acerrimo *„Mentis inops raptae, quales audire solemus Threïcias passis Maenadas ire comis.“* IV, 457 - 458. Caet. perquam inepte Cererem mentis prae dolore justo paene inopem comparari cum Maenadibus, quae vino ebriae in Venerem putrent, observavit iam illustr. Op. edit. ad l. l.

Maeonides. Proprie Lydius. Nam Maeonia Lydiae antiquum fuit nomen. Plini loco in Not. ad II, 119 sqq. laud. addatur Eustath. ad Iliad. II, 864 - 866. it. Herod. I, 3. Lydia vero complectitur Ioniam quoque, cujus ex oppidis *Smyrna* adhuc supereſt, longe celeberrimum hodie impetii Turcici emporium. Smyrnam vero Homeri urbem patriam haberi posse ex rationibus e carminibus Poetae ipsis desumtis satis probabilibus efficere conatus est *Wood* ub. d. Originalgenie Homers p. 32 - 60. Concidisse vero omnia opinionis viri adminicula, ex quo stabilivit sententiam de carminibus Homeri toto coelo a prioribus diversam illustr. Wolf. per Prolegomena sua per se patet. A patria igitur credita sua Homerum denominavit Noster II, 120: *„Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles, vellem, Maeonide, pectus inesse tuum.“* H. e. vellem exaequare posse laudum dignitate meritorum August erga patriam magnitudinem et multitudinem.

Maeonis, idis. De amoribus *Omphales* et *Herculis* et, ut sacra facerent Baccho, antrum Tmoli, montis vitibus consiti, hincque ornate Nostro (II, 313.) *nemus Bacchi* dicti, petentibus: *„ibat odoratis humeros perfusa capillis Maeonis, aurato conspicienda sinu.“* v. Not. Eadem vocatur *Lyda*, i. e. Lydia *puella.* v. 356. Nam qui Μαίονες Homero, [Iliad. B, 864.] οἱ ὕστερον Μάιονες dixerant. v. Strab. loc. ap. Eustath. ad loc. Hom. laud. Herod. vero I, 3: οἱ Μαίονες πρότερον καλέμενοι Λυδοὶ ὕστερον ἐκλήθησαν ἀπὸ Λυδοῦ, υἱοῦ Ἄτυος.

Magnus (*Pompejus*). In catalogo virorum, quibus contigerat inter Romanos *cognominis* honos, quemque struxit Poeta ut desineret in illustrando honorificentissimo *Augusti* cognomine (v. loc. I, 590 - 616.) judicium de Pompejo sic effatur suum v. 602 - 603: *Magne, tuum nomen rerum mensura tuarum:* sed, qui te *vicit*, (Julius Caesar) *nomine major erat.* (Octavianus igitur nomine non major erat? — Non satis caute blandus adulator ponderasse verborum vim hoc loco videtur.)

Maja. Oceani Tethyosque neptis, Pleiones et Atlantis filia Pleïadumque soror. Pleiades sorores cum formae venustate vinceret, placuit ea Iovi ita, ut ex ea suscipieret *Mercurium.* Hinc *mater* Mercurii, qui *materno* donasse *nomine* mensem *Majum*

a quibusdam creditus est V, 81 - 106. Eadem est inter Pliadum stellas nominatim laudatas IV, 169 - 178. E dictis alloquium Poetae, quo Mercurium adit, illustrari potest V, 663 - 664: *„Clare nepos Atlantis, ades! — quem montibus olim edidit Arcadiis* (cfr. v. 87 - 90.) *Pleias una Jovi."* (cfr. IV, 171-174.) A Junone indignationis et contemtus sensu stimulata mordacibus his pungitur verbis VI, 35: „An potuit Majo *pellex* (Jovis) dare nomina mensi?"

Majestas. Quum nostra aetate vindex extiterit Majestatis, qualem nulla vidit antea aetas, rerum nostro hoc aevo gestarum gnari, si iudicio valent latis recto et usu rerum subacto, non sine summa voluptate locum Poetae ingeniosissimum (V, 9 - 53.) pertractabunt, quo continua Allegoria et Prosopopoeia ostendit, qualis sit majestatis natura, qualesque ipsius effectus angustiori [in imperiis] et latiori [in magistratibus et vita privata v. 49 - 52.] vocabuli sensu. *Honos* et *Reverentia* Majestatis finguntur parentes legitimi. Cumque antea saepe *solito regni coelestis ausus esset de media plebe sedere Deus*, (v. 19-20.) Majestas cultu ornata, persona digna sua (*ἡ σεμνότης ἡμῖν δοκεῖ μία τῶν τεχνῶν εἶναι τῶν μεμηχανημένων, τὴν ἀρχὴν μὴ εὐκαταφρόνητον εἶναι.* Xenoph. in Cyrop. VIII, 3. Cfr. VIII, 1, 40.) mox illum occupavit ita ut adessent ipsi *Pudor* et *Metus.* (v. 29) — *„Tum protinus intravit mentes suspectus honorum. Fit pretium dignis; nec sibi quisque placet."* (v. 31-32.) Caet. titulum fecit sibi nomen Majestatis recentioribd. tempp. primus Carolus quintus imperator, cujus exemplum paulatim sequuti sunt omnes Europae totius imperatores (excepto Turcarum imperatore) et reges. E prima notione [Die *Hoheit, Erhabenheit*] sequitur illa, qua legitur I, 224. [Das Ungemeine.] Die Pracht.

Majus, mensis. Unde nomen acceperit, cum non ad liquidum sit perductum, Poeta haud vulgari usus verborum ornatu dubium se haerere ait. L. V, 1 - 8. Musarum implorato hanc in rem auxilio, quo difficultatibus tanto majori se expediret fide (v. 7. 8.) *Polyhymnia*, inter dissentientes et ipsas has de re illa Deas, prima sententiam dicit a v. 9 - 53. i. u. a *Majestate* per Prosopopoeiam et continuatam Allegoriam nomen mensis Maji ingeniose potius quam vere repetere *fingatur*. Excipit Polyhymniam, quacum Clio et Thalia (54.) (Unum par reliquarum Musarum. Non sine caussa v. not. ad v. 108.) consentiunt, *Uranie*, quae nixa, tanquam fundamine sententiae suae, argumento repetito, *a summa*, qua quondam aetas graecaevorum polluerit, et justis quidem de caussis, *auctoritate* et *a summa* hinc enascente *reverentia*, docet Majum *a Majoribus* (scil. *natu* dictum esse (v. inpr. v. 73. 74.) Cfr. I, 41, q. l. haud cunctanter *a Senibus* nomen habere Majum, Poeta sumit. It. V, 427: Mensis erat Majus, *Majorum* nomine dictus.) confirmatque hanc suam sententiam Junii, mensis deinceps succedentia, nomine, a junioribus seu natu minoribus dicti. (v. 77 - 78.) Pertinet oratio *Uranies* a L. V. v. 55. ad v. 79. Tandem, inter Musas sententiam a Poeta rogatas, *Calliopes* verborum ambagibus exornata huc redit: Mercurium materno donasse nomine mensem h. e. a nomine *Majae* Majum esse dictum, v. V, 103 - 104. Loc. omn. continetur versl. 79 ad v. 107. Disputationi de etymologia nominis Maji mensis ita finem imponit ut declaret se non quidquam definire sustinere hac in caussa, ut ne, quod veluti Poeta subjicit, Musarum quam offendat. Nam cui sententiae adstipulatus sit, docent loca supra laudata. 2) Anni Romulei *mensis tertius* fuit Majus. I, 41.

Malva. *Haec* — (parca colona) *aut virides malvas aut fungos colligit albos.* IV, 697. Est hoc in lineamentis suavissi-

mae imaginis negotiorum, quibus exhibetur ſedula et ad rem attenta colona domi ſuae occupata. De malvis v. loc. Horat. in Not. It. Cic. ad Div. VII, 26.

Mamurius vixit regnante Numa Pompilio, III, 385. Morum laude aeque atque artis fabrae peritia floruit v. 383. Ancilis delapſi de coelo (v. 371 - 378.) ad inſtar plura ſimillima illi figura formavit. Mercedi gloriam praeferens impetravit ſibi a Numa hoc, ut ſemper ſub finem carminis ſeu extremo carmine Saliorum nominatim laudaretur. v. 390. Hinc Poetae adhuc aevo Mamurius a Saliis canebatur v. 260.

Manes, ium. Formulis explicatam invenimus ſynonymicis vim et poteſtatem vocabulo huic adjunctam, ſive imaginem rei quae ſuborta quondam ſtatim ſit audito hoc vocabulo in mentibus hominum h. e. nominatim, quae Phantaſiae vi excitata fuerit. Formulae vero ſynonymicae illae ſunt: 1) *animae paternae* II, 633. 2) *Umbrae* ibd. v. 541. 3) *Corpora functa ſepulcris et tenues animae.* Ibd. v. 565. 4) *Animae deformes* (entſtellte) ibd. v. 554. 5) Ratione innumerae multitudinis: *vulgus inane.* Ibd. v. 554. (Claud. R. P. I, 21: vulgus iners innumerum.) 6) Ratione loci *Stygos Dii imi.* Ibd. v. 536. (Rectius Claud. hos a Manibus diſtinguit, et famulari potius Manes Averni Diis dicit. R. P. I, 20.) 7) Pro Manibus avorum *ipſi avi* ponuntur, qui buſtis exiſſe ferebantur etc. v. loc. memorab. II, 551 - 554. Quae quidem Synonyma ſi conferis cum Synonymis vocab. *Lemures* (v. Ind. ſ. h. voc.) patebit, vel nullum vel parum intercedere diſcriminis inter utriusque vocabuli notionem i. u. Lemures noſtro *Geſpenſter*, Manes vero noſtratium vocab. *Geiſter* optime reſpondere videantur. Caeterum memorabiles illas de Manibus et Lemuribus opiniones, quae Phantaſiae effectuum ignaros omnium temporum locorumque tenuere mentes et terruere animos hominum, debuit antiquitas jam Homeri Carminibus, cuius intrepidus Heros Odyſſeus ne exſpectavit quidem dum illi viſum ipſum venirent, ſed qui obviuſſivit potius ipſe animis et invitatos convenit. v. Odyſſ. Rhapſ. XI. Quam Homeri Necromantiam ſive *Νεκυια* docte explicuit Halbkart in Pſychologia Homeri. Züllichav. 1796. Homeri loc. claſſ. de Manibus imitando expreſſit, longe vero doctius ornavit et variavit Virg. Aeneid. Libro ſexto. 2) Caet. Manibus placandis ſacrata fuerunt *Feralia*, de quibus Poeta agit a Libr. II, v. 533 - 570. Cfr. Ind. ſ. h. vocab. Menſis *Februarius* ab his ſacris denominatus putabatur a nonnullis. Hinc de ejus nomine agens Noſter II, 31 - 34: „*Menſis ab his* [Februis h. e. purgaminibus, piaminibus] *dictus*: — *aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulcris, tunc cum ferales praeteriere dies.* 3) Brutus juxta torum Lucretiae moribundae: „*per tibi*, exclamat, *ego hunc jurd fortem caſtumque cruorem, perque tuos Manes, qui mihi numen erunt!* etc. v. II, 841 - 842. 4) *Primus — Jani menſis — qui ſacer eſt imis Manibus* (h. e. Februarius), *imus erat.* II, 51 - 52. *Imus*, h. e. veteris ultimus anni; quae ſunt verba v. 49.

Manipularis contr. *Maniplaris*, miles unde nomen acceperit docet locus III, 113 - 118. Quo quidem in loco ſententiam hanc ſimplicem, „Romanos conditoris tum urbis tum anni ipſorum tempore ut *omnium* (v. 101 - 102.) *ingenuarum rudes artium* ita nominatim *ignaros curſus lunae, ſolis* et *ſiderum* fuiſſe (v. 105 - 113.) nec niſi *rem militarem* tractaſſe, ornate ita effert: *Non illi coelo labentia ſigna movebant. Sed ſua — illaque de foeno. — Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos* (foeni), *unde manipularis nomina miles habet.*“

Manipulus contr. *Maniplus*, vid. proxime praecedens vocabulum.

Marcia. Laudat eam, quo tempore laudes mulieris Poeta ſcripſit, adhuc ſuperſtitem, α) generis nobilitate β) ultimaque ejus origine, item γ) a caſtitate morum δ) formae venuſtate, (quam laudum ſuarum partem docte excuſat Posta VI, 307-808.) tandemque ε) ab ingenii dotibus. Pluribus ſingula illuſtravit ſumme rev. Op. intpr. in Notis ad locum de Marcia iſta, qui extat in libro ſexto a v. 802 - 812.

Marcius (Philippus). Inſtaurator templi Herculis (v. not. ad VI, 797 - 812.) quod Muſarum ſignis ornatum ab eo fuiſſe hac uſus formula exquiſitiori ait Poeta VI, 799 - 802: „*Dicite Pierides, quis vos adjunxerit iſti, cui dedit invitas victa novercа manus.*“ v. Not. Matertera Auguſti nupta fuit viro, de quo nunc agitur. (Ibd. v. 809.) Idem fuit Marciae aut pater aut patruus.

Mars, tis. I) Junonis filius. Juno nimirum male animo adfecta, quod Jupiter, nata e capite ſuo *Minerva* (vid. III, 841-842.), potuerat pater fieri *neglecto conjugis uſu*, cum cupiiſſet et ipſa *intacto* mater fieri *marito* voti fit compos ope floris tacti, a Flora Dea ſibi ſubminiſtrati, atque gravida facta *Martem* peperit. Floram Deam ipſam haec omnia ſibi modo nativi leporis pleno enarrantem finxit Poeta V, 229 - 262. Mars ipſe *matrem ſuam* Junonem appellat III, 249 - 252. II) Romuli et Remi pater. Suaviſſimus eſt locus de Silvia Veſtali III, a v. 11 - 20. In quam ſomno ſic oppreſſam, cum incidiſſet Mars vixque modo vidiſſet, viſam cupit, potiturque cupita. v. 21. Cfr. IV, 14-60. Quo loco *Ilia* vocatur virgo illa Veſtae. Romulus et Remus, duodeviginti annos nati, ut genus audierunt, animos utrique pater editus auget. (Ibd. v. 65. Cfr. v. 59.) Hinc multis magnisque rebus praeclare geſtis urbeque condita III) *Martis menſem* patrio de nomine anni ſui *primum* dixit Romulus. III, 73 - 78. Cfr. I, 39. Add. v. 40. Reliqua vid. ſ. voc. *Martius.* IV) *Martis cultus* longe antiquior Romulo fuit in Italia. *Deus* perhibetur fuiſſe *tutelaris* populorum Latii. III, 79 - 96. „*Bellica turba dederat hoc ſtudiis ſuis.*“ Ibd. v. 80. Nam *arma ferae genti remque decusque dabant.* v. 85-86. V) Martis in honorem *Equiria* inſtituta erant, quorum ſolennium *prior*a d. 27. Febr. (II, 857 - 860.) *poſteriora* d. 14. Mart. celebrari ſolita. (III, 517 - 522.) VI) Mars deus *bellicus* (III, 1.) non potuit non a Romanis, populo bellico, multiplici coli modo. A nemine vero magnificentius grati animi monimentum tulit quam ab Auguſto poſt bellum Philippenſe [V, 569 - 578. De pugna ad Philippos cfr. III, 705-710.] et poſt aquilas a Parthis redditas. (Ibd. a v. 579 - 594.) Exſtruxit enim Auguſtus in foro a ſe dicto (Ibd. v. 552.) *Martibus ultori* (Ibd. v. 595 - 596.) *templum*, quod opus ingens et, ut patre conditoris Urbis, ita gigantеis Romanorum tropaeis dignum vocatur. (Ibd. v. 553 - 555.) De templi admirandis vid. Lib. V. v. 359 - 569. Illuſtravit locum hunc memorabilem in Notis pluribus ſumme venerand. Op. intpr. De alio Martis templo v. N. 13. VII) Ludos Circenſes in honorem hujus quoque Dei (Martis *Ultoris*) inſtituiſſe Auguſtum, celebratos eos d. 12. Maj. cognoſcimus e Libr. ejusd. v. 545 - 550. Cfr. v. 597 - 598. VIII) Mars Annae Perennae dolo deluſus, cum captus eſſet armiferae Armifer Minervae amore, v. III, 675 - 696. [E primis et ultimis loci verſibus patet *argumentum* ſibi feciſſe *carminis* feſto Annae die decantati puellas et jocoſi quidem at obſcoeni illos Martis amores.] β) „Pliades — in amplexum ſex hinc venere Deorum. Nam *Steropen Martі concubuiſſe* ferunt etc. IV, 171-172. IX) *Mars* nunc pro *fortunа belli*, ſ. eventu pugnae ta-

li, qualem ipse dare voluisse judicabatur, nunc pro *fortitudine*, qua pugnatur, ponitur. Sic I, 57 - 60: Dies *proximos* Kalendis, Nonis et Idibus (Dies postriduanos) *atros* judicaverunt Romani. „*Omen ab eventu est, illis nam Roma diebus damna sub adverso tristia Marte tulit.*" v. Not. It. II, 207 - 208: Fabii trecenti sex illi — „*destrictis ensibus — Tyrrhenum* (Vejentium) *valido Marte per agmen eunt.*" X) Caet. Synonyma nominis sunt *Mavors* et *Gradivus*. III, 171. 169. 677. II, 859. etc. XI) *Mars Fori* h. e. bella quasi fori. Sic lites in foro, quibus de jure, non sine jurgiis insanis, (I, 73. Cfr. Virg. Georg. II, 503. Cui quidem Poetae *forum* ipsum hinc *insanum* dicitur.) disceptatur, dicuntur IV, 187 - 188: „Spectate, (ludos Scenae) Quirites: *et fora Marte suo litigiosa vacent.*" XII) Capitolio a Gallis jam diu obsesso fingitur Jupiter superos ad solium vocasse suum coeleste. Ibi, ante reliquos potestate dicendi data Marti a Jove, verba facit ille (VI, 353 - 375.) quae aptissima sunt patri conditoris Urbis Romanique populi tutori et patrono, h. e. ostendit, quam male sit adfectus animo quamque aegre ferat quod neglectos suos, qui jam ad incitas redacti sint. a Diis videat. XIII) De templo Martis ante Portam Capenam Kal. Jun. dedicato v. illustr. Op. intpr. ad VI, 191 - 192.

Marsus, a, um; i. q. *Marsicus, a, um*. VI, 563-564: „*Hanc* (Matutam Deam, quae *Ino* fuerat) *tibi, quo properas? — memorant dixisse, Rutili! — Luce mea* (h. e. Matronalium festo, quod d. 11. Jun. celebrabare solebant Matronae.) *Marso Consul ab hoste cades, etc.* Periit in bello Marsico s. sociali, propter jus civitatis Romanae sociis negatum, a Marsis inprimis moto et gesto, P. Rutilius Lupus Consul a. U. c. 663, die a Poeta commemorata. v. Not. Cfr. Ind. s. voc. Didius. 2) *Sive igitur nascuntur aves;* [Striges, die Nachteulen] *seu carmine fiunt, Neniaque in volucres Marsa figurat anus; in thalamos venere Procae.* VI, 141 - 143. v. Not.

Marsyas. Nomen hoc ipsum non occurrit. *Satyrus* simpl. et utique adpellatur, VI, 703. Quo quidem loco Minerva narrat Poetae a v. 696 - 710, quo modo et quo loco tibiam ab ipsa inventam at abjectam Marsyas invenerit et qua ratione, concertatione artis temeraria, Apollinem provocaverit ad supplicium temeritatis de eo sumendum. Xenoph. Anab. I, 2, 8: Ἔστι δὲ καὶ μεγάλη βασιλέως βασίλεια ἐν Κελαιναῖς ἐρομνὰ, ἐπὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ Μαρσυοῦ ποταμοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει· — ἐνταῦθα λέγεται Ἀπόλλων ἐκδεῖραι Μαρσύαν, νικήσας ἐρίζοντα οἱ περὶ σοφίας (de peritia artis tibia canendi). καὶ τὸ δέρμα κρεμάσαι ἐν τῷ ἄντρῳ, ὅθεν αἱ Πηγαί. Διὰ τοῦτο ὁ πόταμος λέγεται Μαρσύας. Cfr. intpr. ad loc, laud.

Martigena. Sic appellatur Romulus Marte genitus I, 190: „*Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis — dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum.*" Cum vi sibi opponuntur *casa parva* et *Martigena Quirinus* h. e. a Deo fatus et ipse Deus factus Romulus (II, 475 - 512.), qui acquieverit his in terris in casa parva et toro exiguo.

Martius, a, um. Quicunque, quaecunque, quodcunque ulla ratione ad Martem praecipuo modo pertinet, Martem Deum spectat, ipsi sacrum est etc.: Sic Silvia Vestalis e Marte gravida somnii sui referens argumentum (III, 37.) „*Martia*, inquit, *picus, avis gemino pro stipite pugnant et lupa* h. e. picus Marti sacer. *Picus* a Plinio quoque *Martius* vocatur H. N. X, 18. 2) „*Martia ter senos proles adoleverat annos* III, 59. H. e. Romulus et Remus Marte geniti undeviginti an-

nos nati erant. 3) „*An quia — finierant lacrimis Martia bella suis?* III, 232. (Sabinae virgines raptae jamque matres factae instituerunt quondam fortasse Kalendas Martias sacras habere.)

Martius, ii. Sic absolute atque adeo *substantive* positum hoc nomen *adject.* at semel et libro demum sexto v. 695. legitur *de mense a Marte dicto.* Cujus quidem mensis Memorabilia inprimis sacra et astronomica cum canssis suis, *in carmine Fastorum tertio* pertractata invenies. 1) „*Martis erat primus mensis, Veneresque* (Aprilis) *secundus: haec generis princeps, ipsius ille pater.* I, 39 - 48. 2) *Jure venis, Gradive: locum tua tempora poscunt: signatusque tuo nomine mensis adest.*" II, 861 - 862. 3) *Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte Poetes? — A te, qui canitur, nomina mensis habet.* III, 3-4. 4) *Arbiter armorum! — a te principium Romano ducimus anno: primus de patrio nomine mensis eat.* Sunt ipsius, qui loquens fingitur, Romuli verba III, 73 - 76. Caet. mensem, nomine *Martis* dictum, jam ante Romuli tempora habuisse plures Latii populos docet Poeta a v. 87 - 96. *Caussas rei* praemiserat a v. 79 - 86. Romulum vero, ut omnes vinceret *ordine* duntaxat, sanguinis auctori *tempora* dedisse *prima* III, 97 - 98. IV, 25 - 26. Jam quo nexus pateat rerum carmini Fastorum tertio, Martis menli sacro, ita intextarum ut ipse non sentias statim, quo fili nodo cum re proposita cohaereant vel longe suavissimae et jucundissimae narrationes, quibus mirum in modum, quae videbantur vel maxume tenuia et exilia, quasi corpore succi pleno et tereti instruxit Poeta noster, conciso usus stylo, totius carminis contexta et qua arte inter se nexa et qua ratione cum proposito cohaerentia sint, monstrare conabor. *Mensis igitur qui sacer erat Marti*, memorabilia tum *sacra* (v. c. Saliorum) tum *historica* (v. c. Caesaris necem) tum *astronomica* (v. c. ortum coronae borealis et transitum Solis in arietis signum) cantu celebraturus, *a precibus exoritur ad Martem missis*, quibus, ut sibi jam *adsit*, eum propterea rogat, *quia mensis nuncupetur ab ipso.* (1 - 8.) Hinc cogitatione, Martem fuisse *parentem* gemellorum, Romuli et Remi, defertur in narrationem multis modis amplificatam et exornatam de modo quo *concepti, nati et servati* sint, quaque *vitae ratione* praeparati, post auctos per generis nobilitatem compertam spiritus, Urbis condendae et regni ita parandi consilium coeperint. (9 - 72.) Post urbem conditam hanc, *proposito apte suo* Poeta inter curas Romuli primam fecit ut *conderet annum Romanum* et a *Marte* h. e. a patris sui nomine *primo* anni sui mensi propterea quoque, quia *arbiter esset armorum*, nomen faceret. (a v. 73-78.) Jam postquam a v. 79 - 96. ipse docuerat Romulum neutiquam primum fuisse, qui hunc habuerit Marti honorem, ut mensi nomina daret Dei hujus bellici, caussasque adjunxerat cur Latii populi *tutelarem* sibi jam diu ante Romulum delegerint eundem *Deum* Martem, (80. 85-86.) versf. 97 - 98 (Cfr. IV, 25-26.) ostendit Romulum hoc novasse tantum, quo omnes *ordine* vinceret saltem, ut sanguinis auctori *tempora prima daret* h. e. a mense Martis annum auspicaretur suum. Rem autem vere sic se habuisse *ex octo signis* ordine continuo propositis colligit eod. libr. tert. v. 135 - 150. A versu vero, qui vers. 98 deinceps excipit, ad v. 134 *errorem* Romuli in constituendo *numero mensium anni sui* omnino commissum notat, errorisque caussas docte exponit. Quo facto merita Numae ratione *emendati* anni Romulei paucis (151 - 164. Cfr. Not. ad II, 47 - 54. It. I, 43 - 44.), Caesaris vero pluribus illustrat a v. 155 - 166. (Cfr. Erläut. d. Sternk. von Bode. Ab-

schn. XV.) Von der Chronologie. p. 861 - 904.) Tandem Poeta a v. 167 transit ad *notabilia cujusque* mensis Martii *dies*. Quoque vividior existat rerum notabilium narratio, ut primo libro Janum, sic tertio Martem *praesentem* finxit (quo sensu *talem numinum praesentiam* ceperit, egregie explicavit ipse VI, 3 - 8.) sibique ad quaestiones propositas respondentem. (Caet. Mars Poetae jam se conspiciendum praebuerat seu visui ipsius obtulerat II, 861. Hinc alloquium Dei III, 1 - 10. Quaestio prima Poetae fuerat v. 170: *Dic mihi, matronae cur tua festa colant?* — Matronalia nimirum celebrabantur *ipsis Kalendis Martiis*. Inde pendet justa interpretatio exordii Odes Horatianae octavae Libr. III.: „Martiis *coelebs*, quid agam Kalendis, quid velint *Flores* etc. (v. Nostrum III, 255 - 254.) Quanta jam arte exornaverit hunc per se sterilem locum, quisque, *caussis Festi quinque*, quas Martem attuliisse finxit, cognitis a. v. 176 - 258, facile agnoscet. Nec eandem ingenii ubertatem desiderabis immo copiis rerum admirabiliorem in narratione *institui a Numa Saliorum sacerdotii* hujusque instituti *caussis* veris et fictis a v. 259 - 389. Salii vero lecti erant *Marti Gradivo* (v. Not. ad v. 259.) Hinc ancilia coelestia *Martis arma* dicuntur v. 259: et nuptüri monentur a Poeta v. 395 - 396, ut conditis demum illis armis nubant: Nam „*arma* inquit, *movent pugnam: pugna est altera maritis.*" Condebantur vero *secunda Martis mensis die*. v. 399. Tum breviter commemoratis *trium siderum*, Piscis, Bootae et Vindemitoris occasu aut ortu, qui *a die tertio ad sextum Martii* eveniant, (v 399 -414.) Itemque *sacris Vestae* d. 6. Mart. celebrari solitis et *Pontificatu Maximo* ab Augusto eadem die a. U. c. 741 titulis suis reliquis addito, (v. 415 - 428.) transit ad *Nonas Martis* (d. 7. Mart.) sola *Vejovis* templi dedicatione notabiles. Jovem *juvenem* Romulum hoc nomine coli voluisse est quod ostendere allaborat Poeta omni loco a v. 429 - 448. Coelum stellis variatum continuaeque quae fiunt per annum in coelo sic variato commutationes et vicissitudines, signis aliis orientibus aliis occidentibus nec eodem loco, iisdem noctium horis, apparentibus, variandi carminis multiplicique ornatu instruendi opportunitatem praebuisse Poetae docent exempla rei ubivis obvia; docet etiam duplex exemplum libri nostri *de ortu partis Pegasi* nocte, quae sequitur 6. Mart. a v. 449-458. et *de ortu coronae borealis*. a v. 459 - 516. Equiriorum iteratorum *in honorem Martis* d. 14. Mart. *in campo Martio* aut *monte Coelio* sequitur commemoratio a v. 517-522. Largissimam libri tertii ornandi materiam suppeditarunt *Idus Martiae* 1) accommodata consilio suo *ea originis Festi Annae Perennae*, Idib. Mart. celebrati, *caussa*, quae uberrimam largiretur copiam rerum lectu jucundarum inprimisque Romanorum animis gratarum. a. v. 523 - 696. 2) Commemorata caede Julii Caesaris ita ut desineret in laudes Augusti. a v. 697 - 710. *Liberalium* d. 17. Mart. in honorem Liberi seu Bacchi *mellium repertoris* celebratarum pertractatio a v. 711 - 790. adfatim dotum ingenii Poetae fuisse arte pertractationis testatur. Processionem, quam nunc dicunt, Flaminis ad Argeos d. 16. et 17. Mart. ubi verbo tantum attigit v. 791 - 792., occasione ortus *milvi* sideris ad d. 18. Mart. commemorandi ex mytho *originem nominis astri* explicat a v. 792-808. Jucundissimus est locus, quo, expositis breviter a v. 809 - 814. *Quinquatruum* a d. 19. ad d. 23. Mart. in honorem Minervae celebratorum ritibus, omnium artium tum liberalium tum illiberalium aut studiosos aut peritos a v. 815 - 854. exhortatur ad religiosum hujus *mille operum* Deae cultum.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

Nam *invitâ Minerva* vel peritiſſimum arte aliqua nil proficere in ea, quam forte profiteatur. Sequitur inquiſitio in cauſſam cognominis *Captae*, ſub quo Minerva habuerit delubrum ibi dedicatum Romae a v. 836 - 848. *Tubiluſtrium* d. 23. Mart. ſeu ſumma Quinquatruum die a v. 849 - 850. (Cfr. V, 725 - 726.) Tandem definit in commemorationem *duplicis* naturae eventi, quod utrumque longe maxume notabile, ratione vicillitudinis temporum anni, in menſem incidit Martium, in commemorationem nimirum α) *transitus Solis in arietis ſignum* d. 22. Mart. β) *aequinoctii verni* d. 25. Mart. Pertinet hic locus, cujus ornatum petiit a narratione intexta de *cauſſa*, quae *aſtro arietis* et *Helleſponto* ex mytho dederit nomen, a v. 851 - 878. Extremis totius carminis tertii lineis h. e. a v. 879 - 883. monet d. 27. Mart. ſacrum eſſe cultui *Concordiae, Jani, Salutis, Pacis* et *Lunae*.

Maſiniſſa. Jugurthae avus et Romanorum amicus, adjuvit eos in bello contra Syphacem, Numidarum regem, quem cum Laelio cepit d. 24. Jun. a. U. c. 550. v. not. ad VI, 774. Incidunt haec in extrema belli punici ſecundi tempora. Cfr. Liv. XXX, 12. Add. c. 20.

Mater Deorum. H. e. Cybele. IV, 263. Quae eadem abſolute *Mater* vocatur v. 250. Nam in libris Sybillinis a. U. c. 549. inſpici juſſis verba fatalia haec legerat ſacerdos: „*Mater abeſt, Matrem jubeo, Romane, requiras.*“ v. 259. Eadem *Rheae* nomen habet. v. 201. Item *Deae Magnae* v. 194. *Phrygiae Matris*. II, 55. Cfr. de templo ejus Not. Pertinet ad eam ejusque cultum loc. Libr. IV, a v. 179 - 372. Muſae *neptes* ejusdem dicuntur v. 191. Eadem *Ops* vocatur VI, 285. Ex quo quidem loco diſci poteſt, cur Mater Deorum dicatur. Nam leguntur l. l. haec: „Ex Ope *Junonem* (natu maxumam. v. VI, 29, 30.) memorant *Cereremque* creatas ſemide Saturni: tertia *Veſta* fuit.“ Praeterea vero fuit mater etiam *Jovis*, (IV, 202.) cujus fratres *Neptunus* (V, 405.) et *Pluto* (IV, 584. Add. v. 600.) fuerunt. Cfr. Ind. ſ. v. *Cybele* et ſ. v. *Megaleſia*.

Matralis, e. Prima et propria vocis notio eſſe videtur: quidquid ad matres ſeu matronas ulla ratione pertinet. Hinc *Matralia* dicturus Poeta VI, 475: *veſtrum*, inquit, *bonae matres, feſtum!*“ Quae quidem feſta Matralia (v. 533.) in honorem Matutae Deae pelagi (v. 543.) d. 11. Jun. celebrabantur. (v. 473 - 474.) Templum habuit in Foro boario (v. 477 - 478.) a Servio Tullio exſtructum (v. 478-480.) a Furio Camillo autem inſtauratum (v. loc. Plutarch. in Not. laud.). Reliqua v. in Ind. ſ. v. *Ino*.

Matrimonium. Quas menſium dies et cur *infauſtas* matrimoniis contrahendis habuerit nimia Romanorum religio, docent loca, quae ſequuntur. 1) II, 557-562: „*Dum tamen haec fiunt* [h. e. dum Feralia, quae et Parentalia, menſe Februario celebrantur] *viduae ceſſate puellae: exſpectet puros pinea taeda dies. — Conde tuas, Hymenaee, faces — habent alias maeſta ſepulcra faces.*“ 2) III, 393 - 396: *Nubere ſi qua voles, quamvis properabitis ambo, differ! — Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis.* [De Saliorum, ſacerdotum Martis Gradivi, Feſto d. 2. Mart. celebrato haec intelligenda ſunt.] 3) V, 487 - 490: *Nec viduae taedis eadem nec virginis apta tempora.* [Lemurium dies, a d. 9. Maj. celebrati.] *Quae nupſit, non diuturna fuit. Hac quoque de cauſſa, ſi te proverbia tangunt, menſe malas Majo nubere vulgus ait.*“ 4) VI, 219 - 234. Poeta de filia ſua: „*Hanc ego cum vellem genero dare, tempora taedis apta requirebam, quaeque cavenda forent. Tum mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus utilis et nuptis, utilis eſſe viris. Primaque pars hu-*

jus, thalámis aliena reperta est." Etc.

Matronalis, e. Ad matronam, h. e. feminam honestioris conditionis eamque nuptam et ut plurimum matrem ulla ratione pertinens. (I, 621.) Matris vero nomen semper adnexam habebat notionem, apud Romanos honorificam. At, vel sine matris notione adjuncta, fuit nomen honorificum. Sic de Lucretia II, 827-828. *Restabant ultima; flevit; Et matronales erubuere genae.* Hinc:

Matronalia scil. solennia seu sacra. Pertractavit locum de hac solis festa Matronis Romanorum die Poeta Libro III, inde a v. 176 - 259; et hac quidem arte ut Martem variandae et vividius reddendae orationis caussa induxerit enarrantem, quae ad hujus festi diei caussas et ritus pertinerent. Caussarum instituti a Marte expositarum si quaeras numerum, *quinque* redditas leges, quae largam loco exornando Poetae suppeditarunt materiem. Prima versibus quinquaginta tribus comprehensa legitur inde a v. 179 - 232. Altera obiter memorata duobus continetur versibus v. 233 - 234. Tertia, quae Veris redeuntis perquam gratas admixtas exhibet notas, quippe quae *fecundi* temporis sint indicia, inest versl. 235 - 245. Quarta caussa reddita est a v. 245-248. Quinta relata absolvitur versibus decem h. e. a v. 249 - 258. Caeterum celebrata leguntur haec sacra *ipsis Kalendis Martiis* vid. v. 229 - 230. Hinc propter Mensis nomen et caussae primae itemque quintae (v. 249 - 252.) rationem apte Marti datae partes enarrantis memorabilia huius Festi et propter *diem* Junoni tum *Martis matri* (v. 151 - 152.) tum eidem *Lucinae* (v. 255 - 258. sacrum, ut omnes omnino Kalendae (I, 55.), matronae Martis Festa (III, 170,) apte coluerunt; quod per se res videretur, necesse erat, paulo insolentior, cum officiis Mars esset aptior *virilibus* (v. 169.).

Matuta. Pertractavit Noster uberius et ita ut benignam ingenii Poetae venam facile agnoscas locum *de hac Dea Pelagi ejusque sacris* a Libr. VI, 475-562. Continet mythus de Matutae numine satis mira, cujus maxume memorabilia breviter et summatim ex Poetae nostri et Apollodori loco repetita et sic quasi adumbrando delineata proposituri sumus. Cadmi nimirum Thebarum conditoris (a. C. n. 1594.) filia, *Ino* (v. Ind. s. h. v.) sub nomine Matutae culta Dea fuisse perhibetur. Quae quidem cum curam in se suscepisset, Semeles fororis filium, Bacchum, Jove genitum (Apollod. Bibl. III, 4: κατὰ δὲ τὸν χρόνον τὸν καθήκοντα Διόνυσον γεννᾷ Ζεὺς λύσας τὰ ῥάμματα καὶ δίδωσιν Ἑρμῇ· Ὁ δὲ κομίζει πρὸς Ἰνὼ καὶ Ἀθάμαντα, καὶ πείθει τρέφειν ὡς κόρην.) educandi, miserrima extitit *mater*. Nam (Apollod. l. l.) „Ἥρα ἀγανακτήσασα μανίαν αὐτοῖς ἐνέβαλλε. Καὶ Ἀθάμας μὲν τὸν πρεσβύτερον παῖδα Λέαρχον ὡς ἔλαφον θηεύσας ἀπέκτεινε· Ἰνὼ δὲ, τὸν Μελικέρτην εἰς πεπυρωμένον λέβητα ῥίψασα, εἶτα βάσασα, μετὰ νεκροῦ τοῦ παιδὸς ἤλατο κατὰ βυθῶν· (cfr. Nost. VI, 487 - 498.) καὶ Λευκοθέα μὲν αὐτὴ καλεῖται Παλαίμων δὲ ὁ παῖς ὕστερον ὀνομασθέντες ὑπὸ τῶν πλεόντων· τοῖς γὰρ βοηθοῦσι. (Odyss. V, 333-462.) Jam quo modo factum sit ut haec Leucothee cum Romanorum *Matuta* unum idemque numen haberetur, docet fabula copiose exornata a Libr. VI, 498-550. Caeterum haec dea Matuta, quatenus *Ino* fuerat, *impia* exhibetur *noverca*, (II, 628. III, 851-876.) *mater infelix* (VI, 559-562.) *matertera* vero *benigna*. (Bacchr. v. l. l.) Jam ut pateat cur *Nysiades Nymphae* alio loco (III, 769. Cfr. Virg. Aen. VI, 806.) educasse quoque dicantur Bacchum, addenda erunt haec ex Apollodori l. l. Post exitiosos nimirum irae Junonis effectus, quos experti fuerant Athamas et Ino propter Bacchum nutritum hunc: „Ζεὺς

εἰς ἔριφον ἀλλάξας τὸν Ἥρας θυμὸν ἔκλεψε, καὶ λαβὼν αὐτὸν Ἑρμῆς πρὸς Νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νυσῃ τῆς Ἀσίας κατοικούσας, ἃς ὕστερον Ζεὺς καταστερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας. Reliqua vide in Ind. s. v. *Ino* et s. v. *Matronalis*.

Maurus. „*Poene, rebellaras! — et leto Consulis omnes attoniti Mauras pertimuere manus.*" VI, 243 - 244. Sermo est de terrore mentibus omnium Romae incusso post acceptum de clade ad Trasimenum lacum [Hodie: *Lago di Perugia.*] nuncium. Quae clades anno belli Punici secundo [H. e. a. U. c. 536. a. C. n. 188.] ab Annibale Romanis inflicta est. Jam cum animum despopondisse et omnino abjecisse viderentur Romani propter hanc calamitatem publicam, Senatus ea re motus *Menti* delubra vovit d. 7. s. 8. Jun. a. U. c. 536. Atque de his *Menti* votis delubris agit Poeta l. l. Caet. e nomine Maurorum, Afrorum, effictum est vocab. ling. patr. *die Mohren*.

Maxima ara. Antiquissimum et religiosissimum Romae veteris, ut videtur, monimentum in monte Palatino ab Evandro *praesenti Herculi* (Tacit. Annal. XV, 41. Liv. I, 7.) propter Cacum, pastorem viribus ferocem hincque latronem crudelissimum, accolam Palatini montis, h. e. incolam silvarum Aventini, victum et necatum in eo loco exstructum, ubi postea fuit *forum boarium*. Nam ita Noster I, 581 - 582: „*Constituitque sibi* (Hercules. Aliter Liv. et Tacit. l. l.) *quae Maxima dicitur, aram, hic ubi pars urbis de bove nomen habet.*" De situ hujus urbis partis cfr. Not. ad VI, 477 - 478. Virg. cum Ovidio post enarratum et ab utroque hyperbolice effictum ingens inter Herculem et Cacum certamen in simillima desinit verba Aen. VIII, 268 - 272: „*Ex illo* (tempore) — *domus Herculei custos Pinaria sacri hanc aram luco statuit, Maxima semper dicetur nobis et erit quae maxima semper.*" Tacit. XII, 24: Regum in eo (pomoerio Urbis augendo) ambitio vel gloria varie vulgata. Sed initium condendi et quod pomoerium Romulus posuerit noscere, haud absurdum reor. (Cfr. Nost. IV, 819 - 836.) Igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum adspicimus — sulcus designandi oppidi coeptus, *ut magnam Herculis aram amplecteretur*. Jam quae ara memorabilis circiter sexaginta annos ante bellum Trojanum, h. e. a. C. n. 1251, exstructa fuerat, interiit p. C. n. 64, a. U. c. 817, incendio Urbis vesaniae Neronis imputato. Nam sic Tacit. XV, 41: Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promtum fuerit. *Sed vetustissima religione — Magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat.*

Maxima Virgo (Vestalis). Mira pars officiorum muneris hujus sacerdotis, quam pudicitia et castitas itemque ab omni crudelitate abhorrens sensus commendare debebat, commemoratur IV, 637 - 640; vitulos nimirum triginta immaturos Fordicidiorum die, h. e. d. 15. Apr. ex utero matrum exsectos concremandi, quo d. 21. Apr. h. e. Palilibus, cinere illo lustraretur populus. Hinc Poeta, agens de Palilibus, de se, v. 725: *Certe ego de vitulo cinerem — saepe tuli plena, februa casta, manu.* Cfr. v. 731 - 734. Quo quidem loco denuo *vituli favilla* inter reliqua piamina commemoratur. Caeterum *Maxima* virgo Vestalium ea dicta est, quae tum maxima natu tum princeps dignitate fuit, v. Not. ad v. 639.

Maximus Curio. Praeerat triginta Curiis (Respicit *ter denas* has curias locus IV, 635.) totidemque Curionibus, et creabatur in comitiis Curiatis. Liv. XXVII, 8. Ex quo ipso loco cognoscitur primum, Maximi Curionis munus *sacerdotium* ipsumque adeo *sa-*

cerdotem per munaeris rationem fuisse: deinde, neminem, nisi *ex patriciis* id sacerdotium habuisse usque ad a. c. U. 544. Commemoratur a Poeta II, 527 - 528: „*Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit; nec stata sacra facit* etc. vid. not. impr. ad v. 529. Quid sit *indicere sacra* quidve *non stata* sacra discas e Libr. I, v. 657 - 662. Caeterum e Fastorum duobus locis (II, 513 - 532. IV, 629 - 672.) discimus *Fornacalium* et *Fordicidiorum* sacra celebrasse *omnes cives Romanos*, illa pro beneficio inventae fornacis, haec vero pro frugum proventu largo et fecunditate pecudum. Praefuisse vero sacris his celebrandis *triginta Curiones* cum *Curione Maximo*.

Maximus Fabius. (Qui idem *Cunctatoris* cognomen tulit. De viri moribus et meritis Liv. XXX, 26.) Poeta noster post longam cognominum seriem, quibus recensendis viam ad summum omnium, *Augusti*, explicandum, occasione diei 13. Januar., quo e Nostri certe persuasione (v. Not. ad I, 587 - 590) oblatum illud erat Octaviano, munire sibi voluit, aptissime desinit, post illud Pompeji *Magni* dicti, in illo Fabii et gentis ipsius *Maximae* dictae his verbis I, 605 - 606: „*Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus. Illa domus meritis Maxima dicta suis.*“ 2) Quum d. 13. Febr. secundum Poetae certe sententiam (v. Not. ad II, 195. Cfr. v. 193.) Fabia gens quondam, funesta clade ad internecionem caesa a Vejentibus, interiisset fere omnis, ornatissime per diei istius opportunitatem exposita re a Libr. II, 195 - 236, in haec desinit verba v. 236 - 242: „*Ut tamen Herculeae* [i. e. fortissimae] *superessent semina gentis — unus de Fabia gente relictus erat. Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci, cui res cunctando restituenda foret.*“ Verba ultima ex Ennii Annal. Libr. XII. reperita sunt, quae ita se probasse Romanis videntur, ut certatim iis uterentur, quoties Fabii Maximi mentionem facerent. Nam leguntur excitata a Cic. Offic. I, 24. It. a Liv. XXX, 26. 9. Tandem a Virgilio Aen. VI, 846 - 847.

Medusa. V. not. de ea ad III, 451. E gravida caesae Medusae cervice l. l. *Pegasus*, jubis sanguine respersis, prosiluisse narratur, qui *Gorgoneus* propterea equus etiam adpellatur ibidem. Caet. l. l. sermo est de ortu heliaco Pegasi *astri* nocte, quae Nonas excipiebat Martis (III, 429. Cfr. not. ad vers. 549.)

Megalesia sive *Megalensia* scil. solennia sive sacra in honorem *Cybeles*, Jovis, Neptuni, Plutonis, item Junonis, Cereris et Vestae *matris*, celebrata. Nomen accepere a Graecis, qui dorica aut aeolica usi dialecto, Cybelem dixerunt, τὴν μεγάλην θεάν, h. e. θεόν, Deam magnam. Caussa cognominis haud dubie in eo quaerenda, quod haberetur Deorum *majorum gentium* ceteroquin non omnium *mater*. IV, 359-360. (Cfr. Ind. s. v. *Cybele* et s. v. *Mater*.) Pertractavit Poeta uberius, locum de Megalesiis a Libr. IV, vers. 179 - 372. Aliorum loca de iisdem vide collecta in Not. ad v. 179. Add. Cic. Haruspic. Resp. 11. Id. ad Div. II, 11. Caeterum *ludos scenicos* in honorem Cybeles institutos fuisse, Megalensium die tertia h. e. d. 6. Apr. exhibitos, (IV, 377.) quorum cura esset penes Aediles Curules, vel ex indicibus quatuor Fabularum Terentii constat. Jam index ordinis rerum l. l. a Nostro pertractarum dicta excipiat. *De tempore* igitur, quo celebrari coepta sacra ista, agit IV, 179 - 180. Add. notata ad v. 377. et ad v. 389 - 390. De *ritibus*, quibus celebrabantur, vid. 181 - 190. Cfr. 341 - 342. *De caussa*, cur tanto tamque adsiduo sonorum strepitu *magna* gaudeat *Dea*, v. 191 - 215: *Cur leones ipsius currui juncti* sint v. 215 - 218. Cur *turrita* corona caput ornatum gerat v. 219 - 221. *Unde veniat impetus* aut furor potius

Gallis, (de mollitie et omnino moribus hujus homuncionum generis judicia vide Juv. Sat. VI, 510 - 520. 530. - 533; ipsiusque Nasonis de Art. Am. I, 505 - 8. Cfr. Ind. f. v. *Gallus.*) sacerdotibus ipsius, *membra secandi* v. 221 - 246. *Unde petita Romam venerit Dea ipsa?* — v. 247 - 349. (Nunc *Idaea parens* a Nostro dicta v. 182; nunc *Dea Cybeleia* v. 191. Item *Deûm magna* v. 194. *Rhea* v. 194. *Berecynthia* v. 355. Ab oraculo vero, ut obscuritati sensus et ambiguitati consuleretur, *Mater* simpliciter et κατ' ἐξοχὴν nominata v. 259 - 264. Mox *Divûm* mater v. 263. it. *Coelestium* mater v. 276. Tandem *genitrix fecunda Deorum* et *alma* v. 319.) *Phrygia* vero *mater* II, 55. Ubi vid. Not. *de templo* hujus Deae. Amplificatus et exornatus est omnis locus *de Megalensibus* inprimis: α) narratione de structura (v. 273 - 276.) et via navis (a v. 277 - 293.) qua *sacro lapide*, Deae h. e. *Terrae ipsius* (v. not. ad v. 219.) imagine, onusta ex Ponto Euxino ad usque ostia Tybridis pervenit; β) narratione miraculi, qua Claudia Quinta *virgo* navim *sola* in testimonium Deae *de ejus castitate*, exiguo conamine funis adminiculo traxerit i. e. sedentem in vado limoso (v. 300.) de loco moverit v. 293 - 328. Nam semel motam nautae in alveo Tiberis ad *Almonem rivum* provexere. v. 329 - 340. Inde acceptum a sacerdotibus Deae signum extulit navi in terram P. Corn. Scipio Nasica. Unde iterum plaustro vectum urbi per portam Capenam (De hac porta cfr. Ind.) illatum narratur v. 345.) A Juv. Sat. III, 137. Cybele *numen Idaeum* vocatur, cujus *hospes* (Wirth) fuerit Scipio, quia ex auctoritate Senatus simulacrum hospitis (Gast) Deae e Phrygia advectae *domi suae* habuerit, dum ei templum fieret. v. Scholiast. ad l. l.) De ritu *stipis a Dea per sacerdotes erogatae* ejusque causa vid. 349 - 352. *De conviviis vicibus factis institutis* s. quibus alternatim se exceperint Romani *per festos* hos dies eorumque causis v. 353 - 356. Megalesia *cur ludi primi Urbis* fuerint, docet Musa Poetam a v. 357 - 360.

Megarcus, a, um. Est inter Siciliae oppida *Megara* quoque (noli cogitare de Megarâ, urbe Isthmi Corinthiaci, viginti millia passuum ab Athenis dista.) sive *Megaris*, quod Ceres adisse narratur filiam raptam requirens IV, 471. Vide de loco notata. Caet. post „*Megareaque*" subintelligendum erit aut *arva* aut *loca* (scil. urbis Megaridis s. Megararum. Nam omnino novum l. l. et insolens est nomen adjectivum quatuor syllabarum, quarum penultima longa, cujusque adjectivi casus est accus. plural. neutr. gener. Novum vero et insolens propter contexta duntaxat versus reliqua verba. Nam per se Analogiae leges formam vocis ut probam confirmant.

Melas. In Catalogo locorum Siciliae notabilium, quae Ceres obierat, ut filiam amissam requireret, est etiam *Melas* amnis IV, 475: *Liquerat* (Ceres) Ortygien — *sacrorumque Melan pascua laeta boum*. v. de loco Not. In mappis geographicis hodienum excurrens in sinum peninsulae, cui *Milazzo* nunc dicta urbs imposita est, fluvius conspicitur, qui haud dubie est ille veteribus *Melas* dictus.

Melicerta. Inus et Athamantis filius alter, (alter Learchus erat) quocum, odio et ira Junonis misera reddita mater, e celso Isthmi Corinthiaci se praecipitavit scopulo in Pontum. VI, 493 - 498. Idem cum matre a Nereidibus servatus in Graecia sub nomine *Palaemonis* (v. 501.) in Italia vero *Portuni* sub nomine cultus est Deus. (v. Heyne ad Virg. Aen. V, 241.) Fuit vero numen Pelagi nomenque in aquis sumtum accepit, quia in *portus* ipsi jus omne esset. v. VI, 543 - 548.

Melilotos, i. Est inter *flores*, in quibus carpendis Proserpina cum comitibus paulo ante, quam a Plutone patruo auferretur, occupata fuisse legitur IV, 440.

Vid. Not. A μέλι, mel, et λωτός, lotus, compoſita vox. (Vielleicht: Honigfarbiger Steinklee. Nam χροκίζουτα colorem floris eſſe, obſervavit Dioſc. in loco in Notis laudato.)

Melite. Anna, Didus ſoror, poſt germanae dilectae fata pulſa Carthagine, nacta ratem petit Battı regis terras, h. e. *Melitem*. Nam III, 567 - 568: *Fertilis eſt Melite — inſula, quam Libyci verberat unda freti.* — Notiſſimam reddiderunt omnibus Europae incolis noſtris temporibus hanc inſulam, quae *Malta* nunc eſt, tum equeſtris ordinis ab ea inde a Carolo quinto Imperatore adpellati facta et fata, tum occupatio ejusdem et praeſidium a Napoleone Magno in Aegyptum cum exercitu trajecturo, relictum in caſtello (*La Valette*) munitiſſimo a. C. 1798. Ab Anglo-Britannis vero occupata nec adhuc (1812) relicta, eſt, ut iam fuit, inter ſumma impedimenta reſtituendae inter Anglo-Britannos et Franco-Gallos pacis.

Memnon, onis. Tithoni et Aurorae filius, *niger* Virg. Aen. I, 489. appellatur et Eoas acies, quippe Aethiopum rex, adduxiſſe Trojanis auxilio narratur. Verum ſubeſt fabulae et latet in ea absconditum haud dubie hoc: fuiſſe regem regionis Aſiae proprie ſic dictae, fortaſſe inter mare Caſpium et ſinum Perſicum vel ulterius adeo ſitae. Hinc a Noſtro (IV, 714.) Aurora, *lutea ejus mater*, in roſeis ejusdem equis conſcendere coelum dicitur terras viſura patentes.

Mens (Dea). Vota huic numini delubra fuiſſe leguntur a Senatu bello Punico ſecundo propter terrorem, quem Hannibal incuſſerat Romanis poſt clades acceptas ad Ticinum, ad Trebiam, amnes, et ad lacum Traſimenum. [1) Am Fluſs *Taſſino*, 2) bey *Piacenza*, in deren Nähe der Fluſs *Trebia* ſich in den *Po* ergieſst (Liv. XXI, 56.), und am See *Perugia*.] v. Loc. de hac re omni L. VI, 241-248. De die, qua ſint vota ſoluta Deae v. interpret. v. 247-248.

Menſis, is. Menſes *quinque bis* in anno Romuli. I, 28. At Numa menſibus appoſuit antiquis duos. I, 43, 44. Menſium lex priorum notabilis totidem *libellorum* (I, 724.) ſeu *librorum* (II, 2. III, 86.), quibus Faſtorum opus conſtat, extiterunt cauſſae. De menſium nominibus, numero et ordine cfr. I, 39 - 44. II, 47 - 54. III, 75 - 155. Caeterum cauſſa anni per menſes diviſi extitit *Lunae curſus*, quo rectam lineam inter ſolem et terram ductam denuo attingit poſt 29 dies et 12 horas cum 44 minutis tribusque ſecunda vice minutis horae partibus.

Mercator. Occaſione commemorati templi, quod Mercurio Idib. Maj. poſitum itemque diei huius, quae feſta eidem erat, non oblitus eſt Noſter mercatorum. Sed quibus ritibus (V, 67 1- 680.) qualibusque precibus (V, 681 - 690.) hunc Deum ſunm tutelarem coluerint et adierint, docuit a L. V. v. 670 - 690.) E precum formula ſi ſententiam ferre de moribus hominum illorum liceret, cauſſae eorum non facile quemquam faveorem reperturi eſſent. Cfr. de iisdem Cic. judicium de Off. I, 42. Hor. Od. I, 15-18. III, 24, 35-40.

Mercurius. Oceani Thetyosque pronepos, Atlantis et Pleiones nepos, (V, 81 - 84. Cfr. v. 663-664.) Jovis et Majae, *Pleiadum* ſororis, filius. (IV, 174. V, 85-86.) Filium hunc ſuum enixa ferebatur Maja in jugo Cyllenes, cupreſſifero Arcadiae monte. (V, 87 - 88.) Jam cum Arcadia Mercurio eſſet locus natalis, Arcades eum, ut Pana, inter Deos *tutelares* coluere. *Hinc Evander Arcas cultum et ſacra huius Dei Latio intuliſſe* exiſtimatus eſt. V, 89 - 100. 2) *Curvae inventor lyrae* laudatur, cui in matris materterarumque honorem *ſeptem dediſſe fila* fingitur. (V, 104 - 106.) 3) In honorem item matris Majum menſem hoc nomine dictum putarunt multi. (Ibd. 103.) 3) Deus *alipes* (V, 100.) Hinc: Deus, „aetherium *volucri*

qui *pede* carpit iter." (Ibd. 88.) seu „*alato* qui *pede* carpit iter." (Eod. libr. v. 666.) 4) *Furibus* et *mercatoribus*, h. e. *callide* furripientibus et *vafre* fallentibus, *aptus*. (V, 104. 690-692. Cfr. notabiles mercatoris romani preces ad eum ritusque, quibus *merces aquis Mercurii*, ante portam Capenam promanantibus, irroraverit, a v. 671-690. Add. loc. Horat. in Not. ad v. 680 laud: It. Cic. judicium de mercatura Offic. I, 42. Nec poenitebit contulisse colloquium Mercurii et Carionis in Aristoph. Plut. a v. 1098-1171., petulantissimae Deorum irrisionis exemplum in Urbe εὐδαιμονίᾳ sua nobili.) 5) Eloquentiae parens et magister. Quod ornate ita extulit Poeta V, 688.: „*Quo favente lingua didicit culte loqui.*" Hinc *facundus* Horat. vocatur et „*qui feros cultus hominum recentum voce formaverit catus.*" v. loc. in Not. ad V, 668. 6) Artis luctandi auctor. Hinc „*nitida laetari palaestra* eundem ait Poeta eod. libr. v. 667. Idem Horat. retulerat inter merita Dei quibus excoluere studuerit feros homines. v. loc. laud. in Not. 7) Pacis inter Deos armorumque arbiter. Quatenus hoc titulo laudetur discas e Not. ad v. 665-666. 8) Ψυχοπόμπος. Propter hoc munus Mercurio „*Jaepe Stygii regia videnda erat Jovis.*" V, 447-449. Quo quidem loco apte, *propter muneris rationem*, a Poeta rogatus sententiam de caussa nominis *Lemurium* responsum fert quo caussa cognita redditur ipsi. β) A Jove jussus Laram ducit ad Manes II, 608-616. 9) *Pater Larium gemellorum* e *Lara* vi compressa natorum. v. loc. laud. 10) Insignia Dei *Virga* s. *Caduceus*. Do cujus vi ut de Mercurio, omnino decretorum Jovis nuntio voluntatisque ejus interprete, loc. classf. extat in Virg. Aen. IV, 238-278. Imitatus vero est Virg. Homerum in loco Odyss. V, 28-150. Hinc virga *potens* et Deus *caducifer* appellatur a Nostro V, 447. 449. 11) Templum Mercurio spectans Circum, Senatus Romanus Idib. Maj. a. U. c. 258 extruxit. V, 669-670. Hinc Idus Maji dies festa eidem Deo. v. Not. ad loc. laud. 12) Aqua a Mercurii nomine dicta et vi divina quadam praedita commemoratur eod. libr. v. 673-680.

Meroë. Poeta significaturus Cererem, desperantem de filia in terra natali h. e. Sicilia (IV, 461-498.) aut in Attica terra (Eod. libr. v. 502-564.) aut in Asia minori (v. 567.) invenienda, tandem *in remotissimas* easque *austro obversas* se contulisse *terras* (IV, 569-570.), *Meroën* quoque late patentem Nili insulam notam illius sententiae fecit. Caet. de Meroe insula consule illustr. Op. intpr. ad v. 570.

Merope. Est inter Pliades Atlanteas (III, 105.) h. e. Atlantis et Pleiones septem filias. (V, 83-84.) De qua Noster IV, 175-176: „*Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit. Poenitet! — et facti fola pudore latet.*" Caet. occasus Pleiadum *circa solis ortum* ad d. 2. Apr. l. l. (v. 165-169.) commemoratus qui intelligi possit, equidem me nescire ingenue fateor, cum heliacus occasus tum potius, per immersum vespertino tempore solis radiis astrum, in illud fere tempus incidat. Per cosmicum Pliadum occasum, h. e. matutinum, instans *brumae* tempus designat Livius XXI, 35. Quo loco *Vergiliae* dicuntur. Cfr. verba cap. 54: „*Erat forte brumae tempus et nivalis dies.*" It. Virg. Georg. IV, 234-235.

Messana. Illum — facit Messana superbum. I, 595. v. not. Messana, olim *Zancle*, jam *Messina* Siciliae civitas nobilis, ingenti terrae motu anno 1783 fere tota subversa et devastata. v. Bartels Reisen durch Calabrien und Sicilien. Qui quidem vir, nunc Senator Magistratus Hamburgensis, iter fecit per illas regiones haud ita multo post gravissimum, quibus eae afflictae fuere, casum.

Metantra, mater *Triptolemi*. IV, 539. cfr. v. 550. *Celei* uxor

508. cfr. 543. Impedit materni amoris sensu abrepta, quo minus Triptolemum *Ceres* immortalem redderet. 550 - 560.

Metellus. L. Caecilius Metellus, Pontifex Maximus, e mediis Vestae ardentis flammis sacra rapit et servat. VI, 444 - 455. Reliqua vide in Notis explicata.

Miles, itis. Caussis expositis verisimilibus, cur Romulus *denarium numerum* in institutis suis praetulerit reliquis omnibus, (III, 123 - 126. Cfr. I, 31 - 36.) praeter annum in decem menses dispertitum, *exercitum* quoque juxta hanc rationem divisum ostendere Poeta ait, *praedilexisse* eum illum numerum. Legionem etenim quamque *in centum denos orbes* secrevisse, h. e. mille militum fecisse. (*Milites* a numero millenario igitur haud dubie dicti sunt.) Quarum legio una *Hastatorum*, altera *Principum*, tertia *Pilanorum* acceperit nomen i. u. quaeque iterum in *decem* centurias divisa fuerit. Equitatum praeterea eodem modo in *decem* turmas descriptum fuisse addit. v. Not. ad III, 127 - 130.

Milium, ii. De milio *litha*, itemque *fiscellas milio repletas* in sacrificium a pastoribus Pali Deae oblata esse Poeta ita docet IV, 743. ut, variandae et vividius reddendae orationis caussa, tum hic tum a v. 731 - 734. populo, et a v. 735 - 782. *pastoribus* nominatim, persona monitoris suscepta, sustorem se sistat rituum observandorum omnium, quamvis solemnes atque adeo noti essent omnibus.

Milvus sive *Milus.* Astrum coeli boreale, quod *vultur cadens*, item *vultur gestans lyram* (der Geyer mit der Leyer) hodie dici solet. vid. b. Rüdigeri Anleit. z. Kenntniss d. Himmels etc. p. 82. Nam verba Poetae ipsa confirmant hanc interpretationem. Ortum nimirum sideris referens ad d. 17. Mart. (III, 794. Cfr. v. 809. Plin. ad d. 18. Mart. eum retulit. v. Not. ad v. 793.) his utitur verbis III, 793 - 794: „*Stella Lycaoniam vergit proclinis ad Arcton, miluus. Haec illa nocte videnda venit.*" H. e. polt solis occasum, orientem versus conspicitur *miluus* altior coelo, quam eandem ad regionem tum versa ursa major. Hoc vero quadrat in vulturem cadentem cum lyra, cujus nitidissimam stellam, quae *Wega* hodie vocatur, fortasse inprimis respexit, cum miluum *stellam* simpliciter diceret. Fabula, quae *caussam* continet *milui inter sidera relati*, legitur III, 795 - 808.

Minerva. E Jove nata. III, 841 - 842: „*An* captae cognomen tulit Minerva, *quia de capitis fertur, sine matre, paterni vertice cum clypeo prosiluisse suo?*" It. V, 231 - 232: „*Sancta Jovem Juno, nata sine matre Minerva, officio doluit non eguisse suo.*" It. v. 239 - 240: „*Pater est factus* (sunt verba Junonis de facto indignantis) *neglecto conjugis usu Jupiter, et nomen solus utrumque tenet!*" Quo sensu ab Ovidio dies Quinquatruum primus h. e. d. 18. Mart. *dies* Minervae *natalis* dicatur, vid. explic. in Not. ad III, 812. 2) Artium pacis aeque atque belli magistra. III, 5 - 6: „*Ipse* [Martem alloquitur Poeta] *vides manibus peragi fera bella Minervae. Num minus ingenuis artibus illa vacat?* Eod. libr. v. 173 - 176: „*Nunc primum* [sunt verba Martis respondentis] *studiis pacis — advocor. Nec piget incepti. — Hoc solam ne se posse Minerva putet.*" Artibus vero praerat Minerva aeque *illiberalibus* ac *liberalibus.* Hinc Quinquatruum majorum diebus festis in honorem Minervae celebratis d. 18. Mart. lanificas, textrices, fullones, infectores vestium, sutores, fabros tignarios, medicos, praeceptores, sculptores, pictores et marmorarios (III, 815 - 834) exhortatur Poeta, ut pie colant *mille operum Deam*, (833.) cujus favorem ipse quoque sibi expetit, ut Poeta, cum eadem *carminum Dea* sit h. e. arti Poetarum praesit. (833 - 834.) Caeterum *publice*

Quinquatrubus Romae propterea culta fuisse videtur a populo *belli studiis dedito*, quia *ensibus exsertis bellica lastari Dea* putabatur, (814.) h. e. quia *belli quoque Dea* erat. Hinc causam quoque repetit Poeta l. l., cur colatur *publice* ludis gladiatoriis in Amphitheatro per quatuor dies. *Quinquatrus* vero dies (VI, 694.) alia erat, quae eadem *Quinquatruum minorum* vocabatur (VI, 651 sqq.), qua d. 13. Jun. Minervam colebant *tibicines* propter inventam *ab ipsa* tibiam. *(Ars ista nostros colit dies.* VI, 710.) Vid. loc. e Libr. VI, 651 - 710. 3) *Captae* cognomine cur Minerva delubra, dedicata ea *die Deae natali*, (839.) h. e. d. 18. Mart. (812.) tuleris, vid. III, 837 - 848. 3) *Tubae lustratae* ultima Quinquatruum majorum die et Minervae eadem die sacrificatum. Vide tamen Not. ad III, 849 - 850. 4) Historiam *Palladii*, quod *armiferae signum coelestis Minervae* Poeta nominat, (VI, 421.) pluribus pertractatam legas a Libr. VI, 419 - 457. Cum esset inter pignora imperii romani fatalia longe sanctissima, (De *Ancili* vide III, 285 - 392.) in Vestae templo illa *Palladis parva effigies* servata est, quia, quae sunt nimis arguti Poetae verba l. l. v. 435 - 436, *Vesta* optime tueatur, *quod adsiduo lumine* (ignium) *cuncta videat.*

Minister (Opferschlächter). Erat is, quo feriente coelitibus hostia cadebat, quique, strictos tincturus sanguine cultros, succinctus erat. I, 319-321. v. not. 2) A bove *succincti* cultros removete *ministri!* Bos aret: ignavam *sacrificate* (Cereri) suem. IV, 413 - 416. (E versu 415. apparet: boves feriri solitos *securi*. Itaque in caesis demum adhibuerunt haud dubie *cultros*.) 3) Ast ubi visceribus vitulos rapuere *ministri*, sectaque fumeslis exta dedere focis etc. IV, 637-638. Caet. aliae vocab. notiones occurrunt aliis in locis. Sic *Pacis ministros* vocat Caesares I, 287 etc.

Mitra. Levi mitra canos redimita capillos. III, 669. Mitra capillos presserat. IV, 517. (Uterque locus de ornamento capitis *mitra* agit.)

Moenia. 1) *Moenia* (Urbis a Romulo) *condunter — quae quamvis parva — non expedit transiluisse Remo.* III, 69 - 70. 2) *Stabant jam moenia* (Romae urbis) *populis angusta futuris, sed turbae tunc nimis ampla suae.* III, 181 - 182. 3) *Romule, concedas. Facit hic* (Augustus) *tua magna tuendo moenia: tu dederas transiliendo, Remo.* II, 133 - 134. 4) Inter Aricinos — tempora constant, *factaque Telegoni, moenia celsa manu*, h. e. et inter Tusculanos. III, 91 - 92. 5) *Et jam Telegoni, jam moenia Tiburis udi stabant* etc. IV, 71-72. (Pertinent haec verba ad locum de vocabulis linguae Graecae per colonias a Graecis in Italiam deductas sermoni latino immixtis.)

Moneta. Prima haud dubie significatio repetenda est a *monere*, quia Junoni cognomen *Monetae* (die Warnende) a monendo datum erat; alteram vero, qua *nummos* seu pecuniam denotat, accepit haud dubie inde, quod in templo Junoni Monetae posito *officina* fuit cudendorum nummorum, v. Liv. IV, 20. 1) De templo *Junonis Monetae* haec habet Ovidius VI, 183 - 190: *Arce quoque in summa Junoni templa Monetae ex voto memorant facta, Camillo, tuo* etc. De voto Camilli nihil habet Plutarch. et, nisi locus Liv. in Notis laudatus obstaret, verba *ex voto* interpretarer: ex animo Camilli, qui praefuerat judicibus, quorum sententia M. Manlius, crimine regni damnatus est, cum ipse adfectatae tyrannidis insimulasset antea apud plebem Camillum, jam judicum suorum principem. v. Plutarch. Camill. §. 193 - 197. Verba vero Plutarchi, quae huc pertinent, sunt §. 197: (Cap. 36.) Ὁ μὲν οὖν Μάλλιος (Manlius) ἀλὼς εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀνήχθη καὶ, κατὰ τῆς πέτρας ὤθεις, τὸν

αὐτὸν τόπον ἔσχε καὶ τῶν εὐτυχεστάτων ἔργων καὶ τῶν μεγίστων ἀτυχημάτων μνημεῖον. (Cfr. verba his simillima Liv. VI, 20.) Οἱ δὲ Ρωμαῖοι, τὴν οἰκίαν αὐτῆ κατασκάψαντες, ἱερὸν ἱδρύσαντο θεᾶς, ἣν Μονήταν καλοῦσιν etc. Verba haec relata si sequi uniee liceret, non dissimile veri viderentur Romanos voluisse, ut *monendo per locum* templi sui Dea omnes deterreret a conamine regni adfectandi. β) I, 637: Candida te (o Concordia!) niveo posuit lux proxima templo, *qua fert sublimes alta Moneta gradus.* Centum gradibus ad templum Junonis Monetae adscendendum fuisse patet e Tacit. Hist. III, 71, ubi: *Tum diversos Capitolii aditus invadunt,* (Vitellii milites.) *juxta locum asyli* (v. de loco Fast. III, 430.) *et qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.*" II) Moneta i. q. pecunia seu nummi, I, 122: „*Victaque concedit prisca moneta* (aerea) *novae.*" (aureae.) Prisca, si qua, certe ista fuit, quae ad Jani, Janiculi regis, qui primus aes *signatum* cudi jusserit, tempora relata describitur et illustratur a v. 229 - 240.

Moretum. Herbosum vocatur quodque in Cybeles mensas die ipsi sacra positum fuerit. Quale fuerit et cur Deae sit apponi solitum, locus docet IV, 367 - 372. Cfr. ibi notata.

Morum, i. Inter *notas* victus tenuitatis pauperis at probi coloni posuit et hanc de Celeo, Triptolemi patre, IV, 509 - 510: *Ille domum glandes excussaque mora rubetis portat* etc. Patet e l. l. mora non modo esse baccas mori sed etiam rubi. (Maulbeeren und auch Brombeeren.)

Mulciber, ĕris. Cacum genuisse narratur I, 554: *pater monstri Mulciber* (h. e. Vulcanus ita dictus haud dubie, quia *mulcet* quasi *ferrum*) *hujus erat.* 2) Idem pater habitus est Servii Tullii regis Romanorum. VI, 625 - 628: „Arserat hoc templum [Fortunae, in quo *statua* regis Servii, qui templum exstruxerat. v. Not. ad v. 569.]: *signo tamen ille pepercit ignis* (h. e. statuae): *opem nato Mulciber ipse tulit. Namque pater Tulli Volcanus — fuit.*" Cfr. seqq. Mulciber seu *Ignipotens* (Virg. Aen. VIII, 724.) auctor idem celebratur a Nostro, v. 635 - 636, ignium, quibus puer Servius arserat, ut sic signa daret genitor *coelestis* pueri h. e. a se acceptae originis. Caet. Mulciberem seu *Volcanum tellus Hypsipylea coluit* h. e. Deum *tutelarem* eum coluere Lemni insulae incolae, III, 82. Tandem quam Volcanus Veneri ex auro et gemmis factam, Venus Ariadnae dederat coronam, eam Bacchus *novem* transformavit in stellas. III, 514 - 516.

Mulcira. Vas excipiendo et servando lacti ex ubere expresso aptum. Γαυλὸς seu Σκαφὶς. Nam haec ἄγγεα vocantur, οἷς ἐνήμελγε Cyclops ap. Hom. Odyss. IX, 222 - 223. Cfr. v. 248. Noster IV, 745 - 746: „*Adde — mulctramque — et silvicolam tepida lacte precare Palen.*"

Muta Dea. Pertinet ad hanc deam, cujus cultus sapientissimum hunc habuit finem, ut de refrenanda lingua atque adeo noxio pruritu loquacitatis aut calumniandi pernicios stoliditate admonerentur inprimis puellae, locus libr. II, a v. 571 - 616. Eadem Dea nomen habuit *Tacitae* v. 572. Quae ea fuerit, antequam *infernae Nympha paludis* fieret (v. 609 - 610.) post ereptam *non silenti* a Jove irato linguam docet Poeta a v. 513 - 606. Vi compressa a Mercurio, mater extitit *Larum gemellorum.* Cfr. Ind. s. vocabb. *Lar* et *Lara.*

Mutinensis, e. H. e. ad Mutinam (quae civitas Italiae nunc *Modenae* nomine venit.) ulla ratione pertinens. „*Arma constudit Mutinensia Caesar.*" IV, 627 - 628. H. e. reddidit ea hebetia, obtusa, sive aciem eo-

rum hebetavit h. e. vicit, qui gererent arma, Octavius, qui nunc Caesar Augustus. v. not. Cael. de memorabilibus anni quo ista evenerunt, (quique annus fuit U. c. 711. a. c. 43.) egit illustr. Heyne in Vita Virgilii per annos digesta.

Mycene. Notissima Argolidis in Peloponneso urbs *bis*, et quatenus quidem in *tutela* Junonis erat, utroque in loco laudando commemoratur. α) III, 83: „*Junonem Sparte* colit *Pelopeïadesque Mycenae.* β) VI. 47 - 48: *Poeniteat Sparten — measque Mycenas* — Latio supposuisse! —. [Junonis ipsius sunt verba, vindicantis menses *Junii* honorem, sibi non quovis alio leviorem. v. 58.]

Myrrha. I, 339 - 340: „*Nondum pertulerat lacrimatas* (e) *cortice myrrhas acta per aequoreas hospita navis aquas.*“ Myrrhae inter *pretiosissimos* Diis Poetae tempore accensos *odores* ponuntur et opponuntur *farris granis micisque salis*, quibus pauper, at vitiis sui saecli vacua, antiquitas litaverit Diis. Cael. *de myrrha* vid. Not. Veriloquium vocabuli ex Orientis linguis petendum erit. Est enim Hebraeorum מֹר.

Mystа, ae. Mystae *cur tempus cibi habuerint sidera visa*, h. e. cur coenaverint prima nocte? IV, 535 - 536. Cfr. Fischeri Ind. ad Aesch. Dial. s. v. μυεῖσθαι.

N.

Naïs, idos, sive *Naïas, adis.* Sic proprie numina foeminea fontium et fluminum vocabantur, a νάω, scaturio, mano, ita dictae. Inter cultrices Bacchi commemorantur I, 395 - 436. Nam quas notaverat verbis v. 398: *Quaecunque colunt amnes - Deae*, easdem v. 405 proprio nomine *Naïdes*; nomine vero generis Lotida, unam ex illis (v. 416.) *Nympham* vocat v. 427 et v 435. Quoad *mores*, *joci non alienae* (v. 396) cum essent, Poeta iis tribuit omnium illecebrarum peritiam, quibus artes meretriciae continentur a v. 405-414, quarumque propter usum *nequitiae* eas festive accusat. 2) Inter numina, quae Carmenta, navi acta Tibridis in alveo eam ad ripam, juxta quam Roma olim condenda erat, salutat II, 509 - 573, sunt *fluminaque et fontes — Naiadumque Chori* h. e. Naïdes quae fontes et flumina colunt. Agnosci enim debet figura τοῦ ἐν διὰ δυοῖν l. l. 3) Inter Naïadas illas solo Romano vernaculas sunt: α) *Lara garrula* Almonis filia et Juturnae soror II, 599 - 604. H. e., ut videtur, rivulus garrulus ex Almone rivo (IV, 340) profluens in Juturnae lacum.) *Dea Muta* (II, 583) seu *Tacita* facta. v. Ind. s. v. *Lara* et *Muta Dea.* β) *Juturna* quae differe *Naïs* vocatur II, 606. Caeterum Poetae *numerosum* statuerunt talium Nympharum in Latio chorum (II, 589.) inprimis *Tiberinides* plures, (Ibd. 597.) quibus praesse fingebatur *Ilia diva* Romuli et Remi quondam genitrix, jam aut Anienis aut Tiberis ipse loquens inducitur hic Deus V, 635 - 664.) conjux. v. Not. ad II, 598. Scilicet fontium rivorumque irriguorum praedives fuit Latium et est adhuc. γ) Inter Naïdas proprie sic dictas referri etiam debet *Egeria* propter verba loci III, 273-276. Cfr. Not. 4) Inter Nymphas *Hamadryadas* Nana fuit Sangarii amnis filia et hinc in *Naïdum* numero habita quoque. Quam cum Attis adamasset et ita fidem Cybeli datam fregisset „*Naïda vulneribus succidit in arbore factis* Cybele irata. *Illa perit. Fatum Naïdos arbor erat.*“ IV, 229-232. 5) Inter Nymphas Naïdas *Arethusa* haud dubie referenda quoque erit, quae ad sacras dapes *coelestum matres* nominatimque *Cererem* vocasse narratur IV, 423 - 424. 6) *Amalthea*, quae caprae lacte et pomis Jovem infantem nutriverat, etiam *Naïs* vocatur V, 115.

Naſo. Poſtquam Flora Dea, omnibus expoſitis quae ipſam ſpectarent, remota in auras ſe conſpectui Poetae iterum ſubduxerat, precibus, quod unum reliquum erat, ſe convertit ad eam his: *Floreat ut toto carmen Naſonis in aevo, ſparge, precor, donis pectora noſtra tuis.*" V, 377 - 378. Pepigiſſe vero Faſtorum carmina Poetam *in exilio* patet e loco IV, 82 - 84. Nam poſtquam de originibus *Sulmonis* patriae urbis quaedam ibi praemiſerat, (Cfr. Not. ad v. 79-80.) ſubjecit verba dolentis: *Me miſerum, Scythico quam procul illa ſolo eſt! — Ergo ego tam longe? — ſed ſupprime, Muſa querelas; non ſunt maeſta ſacra canenda lyra!* — Cfr. I, 540. *Immeritum* vero ſe exilii poena adfectum fuiſſe verbis innuit, quibus haud dubie *ſuam cauſſam* defenſam voluit I, 479-496. Caet. *ad perſonam Poetae* pertinent loca II, 128, cujus verba notabilia ſunt: *hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*" It. IV, 377 - 385. Cfr. Not. Perro IV, 725 - 728. Quo quidem loco narrat ſe, puerum haud dubie, *ritibus paſtoriorum Palis Deae ſacrorum*, d. 21. Apr. celebratorum *religioſe obſervandis* Deam pia coluiſſe mente. Item loca IV, 683 - 712. IV, 905 - 942. VI, 395 - 418. Add. Ind. ſ. v. *Filia Poetae.*

Naupactous, a, um. Poſtquam Poeta argumentis uſus idoneis docuerat, *Februarium* menſem nomen accepiſſe ab obſoleto et ſuo jam tempore caſco inque ſacris tantummodo obvio vocabulo *februa, ornm*, quo ſignificarentur *piamina* ſ. *purgamina* h. e. res, quibus *omne nefas omnemque malt cauſſam* tolli poſſe crediderint Romanorum majores [II, 19 - 36], oſtendit deinceps *praejudicatae opinionis peſtiferae* (45 - 46.) originem a Graecis repetendam eſſe. (47 - 48.) Jam inter *exempla*, quibus, quod poſuerat, demonſtrat, legitur hoc quoque II, 43 - 44: *Amphiaraides Naupacto Acheloo, ſolve nefas, dixit, Solvit et ille nefas.* [ſcil. *aquis* eum luſtrando Acheloi. Caet. vide illuſtr. loci intpr.] Naupactus vero, hodie *Lepanto*, majorem nominis celebritatem nacta eſt pugna navali, qua p. C. n. 1571 Turcae victi Johannes Auſtriacus. Cui quidem pugnae miles gregarius interfuit omnium Hiſpanorum ut acutiſſimae ita ingenioſiſſimae mentis Poeta *Cervantes de Saavedra.*

Nectar. 1) II, 145: „*Jam puer Idaeus media tenus eminet alvo, et liquidas mixto nectare fundit aquas.*" Sententia ſimplex eſt: Aquarii ſidus, quod a d. 16. Januar. omnino latuerat, quoniam una fere cum ſole ortum erat et occiderat, (I, 651 - 652.) jam inde a d. 5. Febr. ad d. 9. ejusd. emerſum e ſolis radiis matutinis magna ex parte conſpicitur. Occaſum (at neſcio quem, niſi ſit, quo jubar ſolis exorti prius tempore exortorum ſiderum nitorem extinguit), commemorat aquarii II, 457-II) De primaria hominum recens in globo terreſtri ortorum conditione loquens ait Poeta II, 293-294: *Prodomibus frondes norant — Nectar erat palmis hauſta duabus aquae.*

Nefaſtus, a, um. Jura officiumque h. e. diſcrimina variorum anni apud Romanos dierum recenſens Poeta ait I, 47: *Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.* H. e. quo *non* licet omnia *fari*, nec praetor honoratus verba libera habet. ſcil. formulae jurisdictionis ſuae: *do, dico, addico*, v. 51-52. 2) Nefaſtum ſeu *feſtum* non *totum* diem ſed ſaepe *matutinam* tantum ejus partem fuiſſe docet Poeta a v. 49 - 52. Cfr. not.

(Rex) *Nemorenſis.* Cauſſas expoſiturus Poeta, quibus motus, Numa *Marti Gradivo* legerit ſacerdotes *Salios* dictos, Egeriam invocat *cujus facta* ſint (III, 262) quae Numa inſtituerit, quippe quae *hujus conſilium* fuerit. (III, 276.) Egeria vero,

Dea grata Camenis, (v. l. l. 275.) cum *in nemore Dianae* lateret, Poetam, antequam ad id ipsum, cujus caussa eam invocasset, accederet, deduxit eum ad notabilia loci, ubi erat *fons Egeriae*, (III, 263 - 276) inserta ea, ut illustr. Op. intpr. monet ad v. 263, non rei ipsius sed varietatis et copiae caussa. Inter illa jam est commemoratio *sacerdotis templi Dianae* in nemore ejusdem Deae, qui a nemore Rex *nemorensis* dictus est. Commemoratus vero legitur his verbis: *Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces: et perit exemplo postmodo quisque suo.*" (Vid. l. l. v. 271 - 272.) Quomodo intelligenda sint verba excitata docuit intpr. loci illustr. Caeterum Suetonio facultatem debemus recte statuendi *de dignitate et auctoritate* regis Nemorensis. Nam in vita Caligulae de monstro hoc immani refert: „*Nullus denique tam abjectae conditionis, tamque extremae sortis fuit, cujus non commodis obtrectaret.*" Quibus positis statim *exemplum rei probandae* subjungit Suet. „*Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium suborna-vit.* v. Cap. 35.

Neptunius, a, um. Carmentalium, d. 11. Januar. celebratorum et ad hanc diem ex instituto commemorandorum, opportunitate usus Poeta Carmentem, vatem, quae cum filio Evandro solum vertere coacta in Italiam venerat, conspectu finxit regionis *omnium maxume*, post Romam ibi conditam, *memorabilem futuram ἐνθουσιαμένην* canere iratam Graecis popularibus: (I, 523 - 528.) *excidium Trojae ipsum instans* olim caussam fore parti in populares a Trojanorum posteris imperii jussitque irridentem quasi impotentes flammarum iras incendere eas majis verbis v. 525-526: *Urite victrices Neptunia Pergama flammae: num minus hic toso est altior orbe cinis?* Cfr. Not.

Nestor. Vitae senis *anni* festive pro *numerosis* vini cyathis, quos ebibebat genio indulgens suo potor bibulus. III, 533.

Nisaeus, a, um. Pererratis jam omnibus Siciliae locis raptam quaerens Proserpinam f. Persephonem filiam Ceres — „*effugit — et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes.*" IV, 499 - 500. *Nisaei canes* h. e. Scyllam, de qua vid. loc. class. in Hom. Odyss. XII, 73 - 100. Explicationem fabulae dedit Palaephat. XXI. Caet. Scylla in freto Siculo ad Rhegium oppidum [hodie *Reggio* dictum] fuit. Cfr. Ind. s. v. Canis.

Nomentum, i. Est inter oppida, quibus a Tarquinio prisco captis (a. U. c. 136 - 173.) *nomen omne Latinum* domitum fuisse ait Liv. I, 38. Ad Nomentum vires saepius Etruscas bello fregerant Romani. Id. IV, 22 - 32. Multis annis *ante* Romam conditum fuisse hoc oppidum docet e Dion. Halic. (II, 36.) illustr. Heyne ad Virg. Aen. VI. 673. Ovidius modos canendi sacra mira varians arte, *Robigalium* ritus rituumque caussas dicturus ad d. 25. Apr. finxit, dum hoc suam vertit in rem, quod *via Nomentana* in lucum ducebat Robiginis, se Nomento Romam *illa die* redeuntem casu incidisse in pompam candidam *sacris* praesentem futuram, quae in luco facturus erat Robigini Flamen Quirinalis. Sic vero dum refert quae testis sacrorum factus partim ipse viderit partim praesens audiverit, callide et scite exponit omnem rationem sacrorum institutorum ad malum robiginis avertendum a segetibus, Caniculares diebus inprimis ingruens. Vid. loc. IV, 905 - 942. Cfr. de Nomento curque mentio ejus fiat Not. ad v. 905 - 6.

Nonacrinus, i. Inter Arcadiae loca, cultu Panos nobilia, laudantur etiam II, 265: „*Cincta pinetis nemoris juga Nonacri-*

ni; h. e. Nonacris mons (Plin. H. N. IV, 6.) nemorosus pinatis.

Nonacrius, i. Ut in proxime ante posito loco Panos seu Fauni cultum Arcadibus proprium fuisse ostenderat Poeta, sic monstrat II, 97 - 104: *Nonacrium heroem* h. e. Evandrum Arcada tum illa *Fauni bicornis* tum vero quoque *Dei alipedis* h. e. Mercurii sacra prima Latii docuisse gentes.

Nonae, arum. Mensium Martii, Maji, Julii et Octobris *septimus*, reliquorum *quintus* dies. Causa nominis vero proxima habetur, quod a Nonis semper dies *novem* (nonae) ad Idus putentur seu numerentur vid. Macrob. Sat. I, 15. Varro de Ling. lat. V, 4. Fest. s. voc. *Nonae*. Poeta postquam in genere notaverat omnes *Kalendas* Junoni, omnes vero *Idus* Jovi esse sacras *proprium* Nonarum addit hoc I, 57: *Nonarum tutela Deo cáret.* v. Not. Caet. frequentissime Nonarum nomen occurrit in Fastis v. c. I, 311, 315, 317 sqq. Causa facile patet, cum memorabilia commemoranda essent multa, quae tum *in Nonas ipsas* tum in dies *ante Nonas* incidissent.

Notus, i. Ventus hoc nomine insignitus fere semper ut *imbrifer* et *procellosus* notatur. 1) De prima primorum hominum conditione h. e. victu et cultu agens (II, 290 - 300) Poeta „*Sub Jove*, canit, *durabant et corpora nuda gerebant, docta graves imbres et tolerare Notos.*“ Vid. l. l. 299 - 300. 2) In precibus mercatoris, perfidis usi verbis perjuriisque, est V, 686: „*Abtulerint celeres improba dicta Noti.* 3) Cum *Notus* et *Auster* eundem notent ventum loc. class. *de natura Noti tempore hiberni* cfr. II, 71. Add. Ind. s. v. Auster. *Inconstantiâ* visque *ventorum* omnino *media mensis Februarii parte* etiam huc pertinet commemorata II, 453 - 456.

Novitas anni. Quae et cur, congruentius naturae institutis jure ita vocari mereatur vid. I, 149 - 160. [Cum laudibus *veris* gratisque, quas commemorat, vicissitudinibus in natura tum conspicuis cfr. simillima loca III, 235 - 244. Item IV, 87 - 134.] Caeterum sunt jam qui, non veris quidem, at *aestatis* sub initiis *annum novum* incipiant Europaeorum multi, in terras delati globi terrestris australes, quae propius aut adjacent aut subjacent adeo *brumae* h. e. *solstitii*, nobis hiberni, illis aestivi, *puncto*. Innumeri vero intra circulos tropicos seu in Zona, quam antiquitas opinione erronea ducta, *torridam* dixit, posita, incommoda et ingrata esse tempora anni novi *brumam*, ne sentiunt quidem. Item omnem igitur aptissime dicamit Janus I, 161 - 164.

Nox, Dea. Expolita sacrificiorum *cruentorum* origine et ratione reddita causae, cur hoc aut illud animal huic vel illi numini mactari soleat, (I, 347 - 440.) commemorat ultimo loco *aves*, (Vid. l. l. 441 - 456.) interque aves quae sacrificari soleant, iterum extremo loco posuit *gallum gallinaceum*. Pertinent ad hanc verba I, 455 - 456: *Nocte Deae Nocti crístatus caeditur ales.* Caussam statim subjicit hanc: *quod tepidum vigili provocat ore diem.*“ A Virg. Nox atra *bigis subvehere polum*, subvectumque tenere fingitur Aen. V, 721. 2) Poetam de Nocte Dea cogitasse crediderim in loco quoque, ubi Cereri Helice respondet IV, 581: *Crimine Nox vacua est.* Nam partim jubet hoc vocab. *crimen*, partim *Sol* oppositus Nocti et, consultus de rapta filia, Cereri respondens.

Numa Pompilius. 1) Rex placidus, quo non metuentius ullum numinis ingenium terra Sabina tulit. VI, 259 - 261. Quale fuerit sapientissimum ejus consilium, quo *Deorum metum* incutere studuerit feris et ad bella nimium promptis Romanis, docet Poeta sagax III, 277 - 283.

2) Oliviferis Romam deductus est ab arvis (h. e. e Sabinorum terra, v. not. (Add. Virg. Aen. VI, 809 - 813. III, 151. 3) Mensibus antiquis appositi duos (Jani et Februorum menses.) I, 43 - 44. Cfr. III, 151 - 154. 2) *Forticidiorum origo* ad eum sollicitum de proventuum annuorum difficultate refertur, cum a Fauno consulto responsum accepisset, cujus ambages caecaque jussa Egeria ita expediverat: *gravidae* (fordae) *exta posci bovis.* IV, 629 - 640. Ad Numam vero pertinet loc. a v. 641 - 672. 3) *Vestae cultum recepit*, (qui e Troja per Aeneam in Italiam venerat et ita quidem ut Aeneas *Lavinii oppido* eum inferret, Ascanius vero *Albam Longam* transferret unde *Romae* illatus est.) *f.* VI, 257 - 259. 4) Atria Vestae, locus exiguus, intonsi *regia magna* Numae ibd. 263 - 264. 5) Occasione narrationis de origine et caussa *originis Saliorum sacerdotii* (h. e. L. III, a v. 259 - 398.) multiplex fit Numae commemoratio: 1) Truces immitesque animos ut molliret facilius feritatemque, vi viriumque mensurae omnia tribuentem, ut exueret iis, (v. 277 - 284.), more reliquorum religionis auctorum et legislatorum, a Numine h. e. Egeria aliisque singula accepta se referre simulavit ad populos, quo *auctoritatem sibi suisque legibus et institutis* conciliaret inter rudes et efferos III, 261 - 276. Quae ad loci naturam et memorabilia, quo quondam secedere, consueverat Numa, pleraque pertinent. 6) *Robigaliorum* seu *Rubigaliorum* sacra instituit anno regni sui undecimo. v. Not. ad IV, 905. De sacris his ipsis agit Poeta l. l. a v. 905 - 942. 7) Majestatem coluerunt Romulus et Numa: H. e. curarunt, ut ne, praesens ea ipsis, per alios contemtu dignitatis regiae laederetur. V, 47 - 48.

Numantinus, a, um. Post Numantiam, Hispaniae Tarraconensis ad Durium amnem positam urbem [wo jetzt *Soria*, nicht fern vom Ursprung *des Duero* liegt.], a P. Cornelio Scipione Aemiliano, Africani per adoptionem nepote, (Flor. II. 15.) captam et *quarto decimo* anno post Carthaginem [Liv. Epit. 59.] deletam, ab eodem dirutam h. e. a. U. c. 622; a. C. n. 154. Scipio ille Aemilianus, Carthaginis everſor, cognomen *Numantini* tulit. Hinc Poeta noster ut, *comparando* plura cognomina cum illo *Augusti*, ostenderet e notionis hujus cognominis *vi et potestate*, contigisse nulli tanta cognomina viro, exemplo etiam utitur ad rem probandam cognominis *Aemiliani* I: 596: *Ille Numantina traxit ab urbe nptam.* Cfr. de bello Numantino Flor. II, 18. De Aemiliano, h. e. L. Aemilii Pauli Macedonici filio, Quintil. VIII, 6.

Numicius. Corniger hanc [Annam, Didus sororem ab Aenea hospitio benigne exceptam, at, metu insidiarum vitae ipsius a Lavinia, uxore Aeneae, structarum, noctu e domo per arva profugam] *cupidis rapuisse Numicius undis creditur et stagnis occuluisse suis.* III, 647 - 648. Paulo post v. 653: *Ipsa loqui visa est: placidi sum Nympha Numici; amne perenne latens Anna Perenna vocor.*" Aeneas ipse a Liv. (I, 2, extr.) *situs* h. e. sepultus fuisse narratur *super Numicium flumen.* Exaruisse hodie *fontis stagna Numici* (Virg. Aen. VII. 150.) seu *fontis vada sacra Numici* (Ibd. v. 242) haud procul a Tibride dissita suspicatur ad priorem locum illustr. Heyne. Cfr. ejusdem Excurs. III. ad libr. Aen. laud.

Numida. In narratione de Annae, sororis Didus, fatis [III, 545 - 656.], quam intertexuit Poeta, ut *caussam originis*, incertam tamen illam, redderet *festi genialis*, d. 15. Mart. in honorem *Annae Perennae* celebrati et jucundissime lectu de-

scripti in 17 l. (a v. 523 - 542.) occurrunt haec de Carthaginiensium et regni et urbis calamitatibus mortem Didonis subsequutis: *Protinus invadunt Numidae sine vindice* (h. e. sua regina ejusdemque tutela orbatum et privatum.) *regnum et potitur capta Maurus laeta domo* III, 551 - 552. Caeterum *Numidae* et *Maurus* promiscue ponuntur l. l. Accuratius definienti *Numidia* est inter Carthaginem et Mauritaniam. *Mauritania* vero fuit Africae regio occidentem versus remotissima. 2) Numidae I, 595. v. *Numidicus*. 3) Numidarum rex *Syphax* a. U. c. 546 a Romanis victus. Quae victoria d. 24. Jun. parta ad hunc diem a Nostro notata legitur VI, 769.

Numidicus, *a*, *um*. *Comparando* illustrare Octavianum *bis* studuit Poeta; et semel quidem, occasione commemorandi ad d. 5. Febr. nominis *Patris Patriae* ad eum delati, *cum* α) *Jove*, (II, 131 - 132.) inprimis vero *cum* β) *Romulo*. (v. l. l. a v. 133 - 144.) Iterum vero jam ante, occasione commemorandi ad d. 13. Januar. cognominis *Augusti*. Inter plura contendenda hunc in finem cognomina, ut tanto majis constaret omnibus de dignitate, immo majestate cognominis *Augusti*, excitavit etiam illud Q. Caecilii Metelli, *cujus virtuti* post bellum Jugurthinum a se profligatum (Vellej. II, 11: „*paene patratum.*") a Cajo Mario vero confectum [a. U. c. 648, a. C. n. 108.] *cognomen Numidici inditum est*. [Sunt verba Velleji l. l.] Paucissimis caeteroquin rem attingit Poeta I, 595: „*Hunc Numidae factunt — superbum.*" v. Not.

Numitor. Procae, regis Albanorum, filius natu major, quem in regno excepit. (Verba Poetae sunt IV, 53: „*quem sequitur duri Numitor germanus Amuli.*") A fratre Amulio de solio regio deturbatus (Poeta III, 50: *Nam raptas fratri victor habebat opes.*") per nepotem demum Romulum cadit trajectus ense Amulius „*regnaque longaevo restituuntur avo.*" (III, 67 - 68.) Illa nimirum *de Numitore fata Marti* placuerat (IV, 54 - 54. Cfr. III, 9 - 24.), Romumque et Romulum pepererat. (II, 385 sqq.) Per quos adultos *jam luerat poenas frater Numitoris*, (IV, 809.) antequam moenia urbis signaret aratro Romulus. (v. l. l. 809 - 820. Inter causas cur Romulus *majoribus natu* fortasse hunc habuerit honorem, ut *Majum* mensem ab eorum aetate diceret, refert et hanc Poeta V, 75 - 76: *Et Numitor dixisse potest; da, Romule, mensem hunc Senibus; nec avum sustinuisse nepos*. Caet. praeter natam Numitoris *Iliam*, Vestalem fieri ab Amulio patruo haud dubie, quo proles decederet, coactam, commemoratur etiam a Nostro filius Numitoris, *Lausus*, quem *ense cocidisse patruo* h. e. Amulii, sit IV, 55.

Nupta, II, 425. Syn. *Maritata*. Ibd. 429. Cfr. v. 448: „*Virque* pater subito, *nuptaque* mater erat." Sabinarum maritarum *sterilitatem* cum impatienter ferret Romulus, ex oraculi Junoni responso institutus est mos, quo Lupercalibus, d. 15. Febr. celebratis, victimarum *Lupercî currentes* obvias pellibus sectis caederent *nuptas*. II, 425 - 452. Inprimis huc pertinent verba v. 426 - 428: „*Nupta quid exspectas? — excipe fecundae patienter verbera dextrae* — jam *mater eris*." [Bald wirst du Mutter seyn.] 2) De anni diebus, a quibus, *nubere si qua vellet* (III, 393. Cfr. II, 557 - 562.), ut *infaustis* matrimonio ineundo, cavere sibi propter causas ubique subjunctas moneatur a Poeta vid. Ind. s. v. *Matrimonium*.

Nympha. Comprehenduntur hoc vocabulo generis (Vid. Odyss. VI, 122 - 124. Cfr. v. 105 - 108.) numina foeminea aquarum [Naïdes, v. Ind. s. h.

voc.] montium [Oreades,], arborum [Dryades sive Hamadryades.], nemorum; et plerumque mortales inter immortales inferioris ordinis relatae foeminae quoque ita dictae sunt. Commemorantur fere hae a Poeta nostro: 1) *Coronis*, mater Aesculapii. I, 291. Qui propterea *Coronides* vocatur VI, 746. 2) *Lotis*. I, 427. 435. [Quae eadem *Naïdibus* accensa erat v. 416. Coll. v. 405.] 3) *Juturna*, Turni quae fuerat soror. v. Not. ad I, 463 - 464. Cfr. II, 585 - 606. Quo quidem ex loco patet Nymphas *innumeras multitudine* creditas fuisse. Vid. vers. 589 - 590. 597 - 598. *Naïdes* vero nominatim intelligendae sunt l. l. vid. v. 599. 606. 4) *Maenalis* h. e. Carmenta. I, 634. Quae eadem *Dea* dicta erat v. 462 et 586. 5) *Callisto*, Lycaonis, Arcadum regis, filia, inter *Hamadryadas* lacri pare fuit una chori h. e. ex comitibus Dianae una. II, 155 - 156. *Nymphae* eaedem vocab. generis dicuntur v. 169. 6) *Montana numina* Fauni *Oreades* esse videntur II, 307. 7) Dione cum Cupidine Typhona fugiens in eo, ut in Euphratis aquas cum nato prosiliret. „*Succurrite*, exclamat, *Nymphae, et Dis auxilium ferte duobus!* II, 469 - 470. Per Nymphas igitur *Naïades* nunc sunt intelligendae. 8) *Laram*, Naïda garrulam, erepta lingua, Jupiter fecit *Nympham*, sed *infernae Nympham paludis*. II, 609. Cfr. v. 599. (Haec sub Deae *Mutae* seu *Tacitae* nomine culta a Romanis habita est Almonis filia Lariumque gemellorum mater. v. Loc. omn. a Libr. II, v. 569 - 616.) 9) *Egeria*. Hanc ita invocat Poeta III, 261 - 262: *Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianae!— Nympha, Numae conjux, ad tua facta veni*. Cfr. v. 275 - 276. Eadem *Dea* vocatur v. 289. 10) Ampelos. (Vindemitor. *Vindemiatrix* cur stella ejus male nunc dicatur ab Astronomis, nescio.) Satyris *Nymphaque* creatus. III, 409. 11) *Nymphae Cretides*. Captam pavisse feruntur, *quae lac Jovi dedit infanti*. III, 444 - 445. 12) *Amalthea Nympha* (V, 123. *Nais* ibd. v. 115.), Cretaea nobilis Ida, dicitur in silvis occuluisse Jovem. (vid. omn. loc. V, 111 - 128.) 13) „*Invenies* (o Anna Perenna! — vid. omn. loc. de hoc numine Latio proprio III, 625 - 696.), *qui te Nymphen Atlantida dicant; teque Jovi primos, Anna, dedisse cibos*. III, 659 - 660. 14) *Nysaïdes Nymphae* Bacchi, post tristia Athamantis et *Inus*, vindictae studio Junonis debita, fata (Fast. VI, 473 - 562.), educatrices a Jove grato inter alia postea *Hyadum* nomine relatae. Apollod. III, 4. Noster III, 769. V, 167 - 172. Virg. Aen. VI, 806. 15) *Anna Perenna*, quae Didus soror fuerat, *placidi facta est Nympha Numici* III, 653. Cfr. 647 - 648. [De ea omnino multis egit Poeta III, 525 - 696.] 16) *Sagaris* Nympha. De ea Cybele irata, quod Attis puer formosus, amore captus puellae, fidem castitatis datam fregerat, poenas exegit easque tales, quae proprie in *Hamadryadas* cadunt. Nam IV, 231 - 232: „*Naïda vulneribus succidit in arbore factis. Illa perit. Fatum Naïdos arbor erat*, [Pendet ex his et sqq. *caussa*, quam l. l. reddere studet Poeta, unde Gallis, Cybeles sacerdotibus, impetus membra secandi (v. 221.) aut onus inguinis auferendi. (v. 241.) 17) In precum formula, qua pastores seu pecorum magistros docet vates, quae Palilium die, h. e. d. 21. Apr., bona precibus sint expetenda, quae mala precibus averruncanda ipsis, ne *Nympharum, tum fontium et lacuum, tum arborum et nemorum*, iras vel ab insciis motas deprecari oblivisantur, sed ut vel casu laesas orent, ut ignoscant iis, suavissima usus verborum arte monet Poeta IV, 751 - 761. 18) *Hyades* Nymphae. V,

172. Cfr. N. 14. Sententiarum igitur diversitas fuit ratione mythi Hyadum fidus spectantis. 19) *Flora* Dea, *Nymphe* quondam Chloris dicta, campi felicis, ubi res fortunatis fuerit viris. V, 195 - 198. 246. 20) *Grane* Nympha, fata in luco juxta Tiberim prope a Roma sito. Vid. Fab. de ea Jani dono *Dea cardinum* facta, VI, 101 - 183. Cfr. Ind. s. v. *Crane.* 21) Cybele convocat ad sua festa — *et rustica numina* (ἀγροονόμους. Vid. Odyss. l. l.), Nymphas. VI, 321 - 322. Nec inter augusta nec inter casta numina Nymphas creditas fuisse in genere patet e v. 533 - 535. Cfr. I, 398. Quo loco *quaeque colunt amnes solaque rura Deae* h. e. Naides et Dryades sunt inter cultrices Bacchi. De moribus earundem cfr. v. 405 - 414. 22) Nympharum in numero sunt quoque Nerei et Doridis, numinum maris, filiae, *Nereides* a patre dictae, quarum, quae aut natu maxima aut dignitate princeps habita fuisse videtur cum sororibus ita laudatur ut *suo proprio* nomine nuncupetur VI, 499 - 500: „*Excipit illaesos* [Inonem cum Melicerta filio] *Panope centumque sorores, et placido lapsis per sua regna* [maris] *ferunt.*“

Nysiis, adis. De *Liberalibus* agens Poeta (III, 713-790.), h. e. sacris in honorem *Liberi* i. e. Bacchi *mellium reperioris* (Vid. l. l. 736. 761 - 762.) d. 17. Mart. celebratis, respondet ad quaestionem propositam: cur anus, quae *libra* die illa divendat, hedera cincta sit? — sic: *hedera est gratissima Baccho.* Nam „*Nysiades Nymphae, puerum* (Bacchum) *quaerenti noverca* (Junone), *hanc frondem cunis apposuere novis.* H. e. hederaceis frondibus cooperiendo cunas tutas praestitere ab insidiis Junonis Bacchum. III, 769 - 770. (Aliam causam hederae Baccho adamatae redditam vide in Eurip. Phoeniss. 664 - 670. Cfr. Ind. s. v. *Bacchus.*) Nysiades Nymphae dictae sunt a *Nysa*, quam τῆς Ἀσίας scil. πόλιν simpl. vocat Apollod. III, 4. Cfr. Not. et Ind. s. v. *Nympha.* Cum vero plures Asiae urbes hoc nomine laudatae inveniantur (Vide loca in Schelleri Lex. Ling. Lat. s. v. *Nysa.*) nunc erit intelligenda *trans Indum* posita, de qua loc. class., ad explicandum nostrum aptissimus, extat in Curtii libris de vit. et reb. Alexandri VIII, 10: „*Inde — ad Nysam urbem pervenit. — A Libero patre conditos se esse* (oppidani) *dicebant; et vera haec origo erat. Sita sub radicibus montis, quem Meron incolae adpellant:* (A Virgilio hic ipse mons *Nysa* dicitur. Aen. VI, 805 - 806: „Nec tantum telluris obivit, quantum Caesar Augustus, *Liber, agens celso Nysae de vertice tigres.*“, vid. Heyn. ad h. l.] Inde Graeci mentiendi traxere licentiam, *Jovis femine Liberum patrem* ibi *esse celatum.* — Sequitur loci descriptio, qualisque militum Alexandri, praesidem loci deum adorantium, debacchata fuerit lascivia, narratio. Tandem addit: *Et rex fortuitam licentiam non aversatus, large ad epulas omnibus praebitis, per decem dies Libero patri operatum habuit exercitum.* De ingenio montis Nysae seu Meri verba, quae huc pertinent, sunt: „*Multa hedera vitisque toto gignitur monte.*“

O.

Oceanus. De statu rerum inter Deos antiquissimi temporis, h. e. ante Jovem ipsum, agens Poeta, quo, *nullo ordinis et dignitatis discrimine* agnito eandem *aequalitatis* notionem erroneam, quam nostra aetate, ante ortum *Majestatis* vindicem, innumeri, conceptam habuisse fingunter, hoc quoque illustrat rem exemplo V, 21 - 22. *Et latus Oceano quisquam Deus adnexa junxit* etc. Vid. de dif-

ficultate non ſenſus ſed verborum loci illuſtr. Op. intpr. ad v. 17-22. II) De Pliadum nominatimque Mercurii matre *Maja*, Pliadum una, ortu agens ut oſtendat Majum *menſem* in honorem matris a filio (V, 103.) ita dici potuiſſe, redit ad ſtemma Majae, oſtenditque Oceanum *avum* illius, Mercurii vero *proavum* fuiſſe his uſus verbis V, 81-82: *Devexerat Oceanus quondam Titanida Tethyn, qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.*" (De hac antiquiſſima imagine, quam *de terrarum orbe* circumfluo Oceani aquis, aut Oceano amne, menti informatam habebat antiquiſſima hominum aetas, vid. celeb. Voſſius ad Virg. Georg. IV, 357. Poetae noſtri ipſius emendatiſſimas fuiſſe *de figura Telluris* noſtrisque ſimilimas notiones docet locus nobilis VI, 269 - 280.) III) De Hyadum originibus varias recenſens opiniones, quae nimirum, ſtellarum in numerum *nunc* receptae, *olim* fuerint, Poeta hanc quoque refert opinionem V, 167: „*Pars credidit eſſe Tethyos has neptes, Oceaniqae ſenis.*" Ab *Hyante* fratre *neptes* has Tethyos et Oceani nomina accepiſſe jam oſtenſurus a libr. laud. v. 169 - 182. „*Hunc* [Hyanta] *ſtirps Oceani maturis niſibus Aethra edidit et ſorores.*" Cfr. 181 - 182. IV) *Aethra* igitur Oceani filia et Atlantis uxor. V) Homerica ſolis orientis et ortu ſuo nominatim d. 6. Mart. efficientis ſeu adducentis deſcriptio legitur III, 415 - 416: *Sextus ubi Oceano clivoſum ſcandit Olympum Phoebus* etc. VI) Juno dolens a Jove natam, ſine officio ſuo maritali, Minervam „*ibat, ut Oceano quereretur facta mariti.*" V, 233. v. Not. (Occidentem verſus iter faciens ſubſtitiſſe ad Florae Deae fores fingitur l. l.)

Oebalidae. Sic Caſtor et Pollux ab *Oebalo* avo, Spartae rege, dicti; ut a patre *Tyndaro*, Oebali filio, *Tyndaridae*. V, 705. Cfr. v. 700. Omnis locus v. 693 - 720. agit *de cauſſa foederis Geminorum*, quam Mercurius reddere Poetae petenti fingitur, poſtquam eundem rogantem „*ex quo tempore Sol tranſeat in Gemino*s" edocuerat v. 695 - 696. hoc evenire d. 19. Maj.

Oebalis, idis. Expoſitis a Marte ipſo caullis inſtituti, ſuaſu ſuimet ipſius, a Romulo *raptis virginum Sabitarum* (III, 179-196.) enarratoque inexſpectato belli inde orti et graphica deſcripti *eventu*, quo intervenientibus virginibus, jam maritis et matribus, tum *avis* facti Sabini, tum *generi* Sabinorum h. e. Romani, cogitatione hac utrique parti ſuggeſta diremerint omne bellum ita, ut *in unam* coalescerent *gentem*, (vid. libr. laud. a v. 201 - 228.) in haec deſinit tandem verba verſ. 230 - 231: „*Inde diem, quae prima, meae celebrare Kalendas Oebalides matres non leve munus habent.*" *Oebalides* jam ſunt matronae Romanae omnino, quamquam in Sabinas *proprie* modo quadrabat hoc cognomen. v. Not. De *Oebalo* ejusque poſteris cfr. Not. ad V, 705, et ad v. 693.

Oebalius, a, um. In colloquio, quod Poeta cum Jano, conſpicuo ſibi facto, habuiſſe ſe finxit Faſtor. Libr. I, Deus iſte ad quaeſtionem: cur ſtatuam habeat ſibi ſacram in uno tantum ſacello, ubi in adjuncta ara ſacra ipſi fiant? (I, 257 - 258. Cfr. 275 - 276.) „*Protinus Oebalii retulit arma Tiſi*" (v. 280.) h. e. expoſuit *cauſſam* rei, repetitam a ratione qua *bene meruerit de Romanis* tempore belli a Sabinis, Tito Tatio duce, contra Romanos geſti. v. Notata ad omnem locum a Libr. I, 255 - 276.

Oenides. H. e. Oenei ſive Oeneos, (Videatur de viri poſterorumque ejus vita et fatis loc. claſſ. in Apollod. Bibl. I, 8.) regis quondam Aetolorum nominatimque Calydonis, urbis, nepos h. e. *Diomedes*; cujus pater *Tydeus*, patruos inter plu-

reo vero *Meleager* etiam, funesto per aprum Calydonium interitu notus, fuerat. Tempore vero exorti belli Trojani οὔτε ἔτ' Οἰνῆος μεγαλήτορος υἷες ἦσαν, οὐδ' ἄρ' ἔτ' αὐτὸς ἦεν, δάνε δὲ ξανθὸς Μελέαγρος. „Hom. Iliad. II, 641 - 642. Poeta noster in eo allaborans ut *argumentis historicis* evinceret verum esse quod sumserat: non potuisse non quondam multa graeca vocabula immisceri sermoni latino, coloniam quoque commemorat a Diomede post Trojam eversam in Italiam, et in inferiorem quidem ejus partem, quam alluunt maris Adriatici aquae, deductam, his usus verbis IV, 75 - 76: „*Adjice — et generum Oeniden, Appule Daune, tuam.*" v. Notata ad l. l.

Oetaeus. Cognomen Herculis insolentius. A monte Thessaliae *Oeta*, prope a sinu Maliaco Thermopylarumque faucibus sito, repetitum; cujus in jugis se combussit heros ille. Noster VI, 519: *Appulerat ripae* (Tiberini amnis) *vaccas Oetaeus Iberas.* v. Not. Caeterum ingenio Poetae deberi videtur omnis narratio de auxilio, quod Inoni miserae Hercules tulerit.

Olea mas. In purgationibus in usu IV, 741. v. not.

Olenius, a, um. Ortum *Capellae*, primi ordinis stellae, fulgenti in humero Aurigae (Ἡνιόχου) sinistro, ad Kalendas Maji ipsas his refert noster verbis V, 113: „*Nascitur Oleniae signum pluviale capellae.*" Quum Lipsiae urbis incolarum verticem coeli [Dem Zenith - Punct] omnium primi ordinis stellarum proxima accedat *Capella*, nunquam eorundem subeat finientem, sub initium vero mensis Jani nocte media altillime austrum versus elata, primis contra Junii diebus eodem tempore maxume ad partem horizontis borealem proclinata *meridianum circulum* urbis laudatae transeat [Vid. Rüdigeri Anleit. z. Kenntniß des Himmels. P. 72. 73.], inde jam conjectura facilis erit, *qui* Capellae ortus intelligi loco Fastorum laudato debeat. Restat ut doceatur cur *Olenia* dicatur, cum tamen secundum causam reddictam nominis (V, 115-127) *Cretaea* potius aut *Dictaea* dicenda fuisset. Nullam autem reperio aliam idoneam causam, quam quod Achelous, amnis *Aetoliae* Deus, ab Hercule, quocum sub forma Tauri pugnaverat, victus victori huic suo *cornu Amaltheae* tradidisse ferebatur. (Apollod. Bibl. II, 7.) *Aetoliae* vero urbs nobilis fuit *Olenos.* [Vid. Hom. Iliad. II, 639.] Ab hac, non a reliquis ejusdem nominis oppidis, igitur *cognomen* ex *errore*, confundente fabulas per se diversas, tulisse videtur. II) Postquam Jupiter, neglecto conjugis usu, pater Minervae factus erat, Juno, stimulata dolore injuriae sic sibi illatae, mater fieri sine conjuge cupida obtinet, quod cupierat, *floris* ope a Flora Dea his ei oblata verbis V, 251: „*Quod petis, Olenius, inquam, mihi missus ab arvis flos dabit. Est hortis unicus ille meis.*" Quae fuerint *arva* illa *Olenia*, aut qui *horti* illi Florae *Olenti*, me doctioribus dijudicandum relinquo. Num fortasse simpl. pro *Orientem* versus sitis ponantur, cum Flora l. l. hortos *extremum ad Occidentem* positos inhabitasse fingatur?

Olor, oris. Dura trajectus penna, quoad tempora caenentia, flebilibus cantat olor numeris. II, 109 - 110. Arion Lesbius propter opes, arte musica in Sicilia et Italia quaesitas et paratas, in summum, cum rediret in patriam, vitae discrimen adductus per nautas opibus suis inhiantes l. l. comparatur cum olore morti proximo ejusque cantu, quatenus, et ipse periturus, Lyra canebat.

Olympus. Sublimitatem ingenii celebrans eorum, qui occupentur in cognoscenda rerum universitatis natura et admiranda mundi structura, quique ita addidicerint contemnere quae avi-

dissime cupiant homines, quibusque maximum statuant pretium, res externas, potentias libidinum suarum iidem facti sectores, praeclara tandem desinis in verba I, 307 - 308: „*Sic petitur coelum: non ut ferat Ossan Olympus, summaque Pelion Ossa sidera tangat apex.*“ H. e. non ferocitate, freta virium corporis aliarumque rerum externarum vi. Confirmatur nostro loco sententia Herderi, quam Hemsterhusii etiam fuisse ait in Libr. I. cap. I. Op. Ideen zu einer Philosophie d. Geschichte d. Menschheit. 2) Post ausos coelum adfectare Gigantas Jovem demum sumsisse *fulmina* docens Poeta, quali effectu jaculatus, *interemit* antehac Jupiter, ea sit his expressit verbis III, 441 - 442: *Ignibus Ossa novis et Pelion, altior Ossa, arsit; et in solida fissus Olympus humo.*“ Cfr. V, 35 - 42. 3) Imperium coeli postquam din nunc hi nunc alii vel *de media plebe* Dii potiti erant, tandem fata *Honore* et *Reverentia* Majestas — *consedit medio sublimis Olympo* aurea etc. V, 27. Cfr. Ind. s. v. *Majestas*. 4) „*Nondum stabat Atlas, humeros onerātus Olympo*“ V, 169. Olympus pro *coelo* omnino, ut saepe positus est l. l. perque verba laudata ornate *tempora longe remotissima* notare voluit Poeta. Caet. Poeta hoc diligenter observasse videtur, ut Olympi, Jovisque Olympii h. e. *Graeci* nunquam utatur nominibus, quoties de religione *Romana* rebusque *Romanis* sermo fuerit.

Omphale. Nomen hoc ipsum reginae Lydorum non legitur in Fastis. In *caussis* vero reddendis occupatus, cur *Luperci*, sacerdotes Fauni (seu Panes) die 15 Februarii, qui sacer erat Deo, *posita veste, nuda ferant corpora*, (II. 283 - 380.) non a se impetrare potuit quin interponeret caussam *fictam*, quae, ut ipse ait, (v. 304.) contineatur *fabula antiqui plena joci*. Agit vero *de amoribus Omphales et Herculis Faunoque, caeco suo, quo in Omphalen exarserat, amore miserе decepto et ab amantibus irriso*. Caet. narratio omnis adumbratam exhibet imaginem vitae delicatae luxuque diffluentis, quam clementia seu potius mollities coeli Ionici parere solebat, quamque in plena tabula proposuit Wieland in ea Agathonis parte, quae agit de Hippia et Danaë.

Ophiuchus. Aesculapius qui fuerat in terris, inter astra relatus nomen accepit Ophiuchi, quod circumlocutione usus ita reddidit Noster VI, 735 - 736: *Surgit humo juvenis* (h. e. exoritur.) — *et gemino nexas porrigit (ἔχει) angue (ὄφεις) manus.* Nam Ὀφιοῦχος est *anguifer* aut *anguitenens*. Nunc *Serpentarium* vocant, nec nisi unum serpentem (stellarum 21.) tribuunt: [Videatur effigies astri in tabulis aeri incisis, quas b. Rüdiger, nuper Prof. et Obs. specul. astron. Lipsi. adjungendas curavit operi a se edito et inscripto: Anleit. z. Kenntn. d. Himmels. Lipsi. 1805. Tab. XXVI, Fig. 28. In opere ipso de astro agit p. 85 - 88.] Notabilem vero fecit *ortus Ophiuchi* noctem subsecutam d. 20. Jun. (v. Libr. laud. v. 733 - 736. Rüdiger in pp. laud. p. 86: „Im Anfange des Junius erscheint der westliche Theil des Ophiuchus um Mitternacht im Mittagskreise, (Romae vero et Lipsiae est fere eadem linea meridiana) in der Mitte des Junius aber culminirt der *Ras Alhague* (stella capitis Ophiuchi omnium sideris hujus nitidissima) um 12 Uhr Nachts bei 51° mittägiger Höhe.“ (d. i. Leipsiger Pol - Höhe od. nördl. Br.) Idem p. 88: „Der Kopf und das Herz *der Schlange* culminiren um Mitternacht in der Mitte des May; [ut Lipsiae ita, ex caussa dicta, etiam Romae] der Schwanz derselben aber um eben diese Zeit der Nacht zum Anfange des Julius.“ Patet igitur tempus orti Ophiuchi *post solis occasum* s. heliacum a

Poeta recte definitum dici posse, cum sit astrum longe lateque in coelo porrectum atque capite quidem *ad boreale*, pedibus vero *ad australe* pertineat *hemisphaerium*. Quod reliquum est ut moneam; praetermisit nec hic, ubi ortus Ophiuchi mentio erat facienda, variandi et ornandi carminis occasionem Poeta. Nam ita ea usus est, ut, cum *caussa* relati inter lidera Aesculapii afferenda esset, intexeret ex parte veram fortasse, ex parte autem mentitam fabulam de Hippolyto Aesculapii arte et ope redivivo facto, et de Aesculapio propterea fulmine a Jove icto, at ab eodem, ut dolenti Phoebo, illius patri, (cfr. I, 291 - 292.) gratificaretur, inter astra *Ophiuchi* (ab insigni *duorum anguium* ita dicto) nomine recepto. VI, 733 - 767.

Ops, *Dea*. Quae Cybele, Rhea etc. dicta est, eadem *Opis* nomen habuit. Nam quae Deae in numero sunt *majorum gentium* Deorum, propter quos a Saturno genitos et Cybele partu editos haec Dea *Magna mater Deorum* (v. Ind. I. v. *Mater.*) adpellata est, easdem Deas *Opem* habuisse *matrem*, Saturnum vero *patrem* his docet verbis Poeta VI, 285 - 286: *Ex ope Junonem memorant Cereremque creatas semine Saturni: tertia Vesta fuit.* Occupatur vero l. l. vates in *caussis* explicandis cur *virgineis* colatur Vesta ministris.

Orion. 1) Astrum coeli constans stellis (Hodie 504.) ex parte longe splendidissimis, quae, cum remotissimis jam temporibus non possent non adspectu suo hominum ferire sensus, mature, in unum quasi corpus collectae et *signo* communi nominis communis conjunctae, distinguebantur ab aliis reliquis omnibus. Nam Ulysses jam, relicta Calypsus insula, ut noctu recte regeret gubernaculo cursum navis in mari mediterraneo quo perveniret, in patriam, narratur intentos habuisse oculos in Ἄρκτον, — ἡ — Ὠρίωνα δοκεύει, h. e. in Ursam majorem, quae *caput semper conversum* in Oriona habet quo usque eum observet. Vid. Odyss. V, 273 - 274. Item Vulcanus, Thetidos exoratus precibus, Achilli clypeum fabricatur, cujus in area arte effinxerat inter alia Τείρεα [H. e. Τέρατα scil. τοῦ οὐρανοῦ, *signa* coeli] πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάωται, Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε, τό τε σθένος Ὠρίωνος, Ἄρκτον θ' — ἡ — Ὠρίωνα δοκεύει. Vid. Iliad. XVIII, 485 — 488. Hesiod. vero (Ἔργ. κ. Ἡμερ. v. 619.): Πληϊάδος σθένος Ὠρίωνος φεύγουσι h. e. Occidentem versus praecedunt Oriona ab Oriente sequentem. Contra vero „ὁ Σκορπίων — ἐπερχόμενος φοβέει μέγαν Ὠρίωνα. Vid. Arat. Phaenom. 636. Quo quidem loco idem auctor, repetita e caussa *mythologica* (Add. Noller V, 540 - 544.) ratione, cur vicissim *fugiat* Orion Scorpiona h. e. prior oriatur in coelo et occidat quam Scorpio, addit v. 645 - 646.: Τοὔνεκα δὴ καὶ φασὶ, περιδδὲν ἐρχομένοιο Σκορπίου, Ὠρίωνα πρὶν χθονὸς ἔσχατα φεύγειν. Jam loca Poetae nostri de Orionis ortu et occasu subjiciamus. α) IV, 387 - 388.: „*Ante tamen, quam summa dies* [Megalesiorum. H. e. d. 6. Apr. Vid. illustr. Op. intpr. in extr. Not. ad v. 389. It. ad v. 179.] *spectacula sistat, ensiger Orion aequore mersus erit.*“ (Occasus hic est *heliacus*. Nam cum Orionis astrum Lipsiae, atque adeo Romae fere ipsius quoque, circulum meridianum transeat (cum *culminet*) *nunc* primis Aprilis diebus dimidia horae quintae postmeridianae parte, initio vero Maji dimidia tertiae pomeridianae parte, initio porro Junii *una cum sole* culmina coeli summa ibidem attingat, sequitur, propter leges etiam progressus aequinoctiorum, *tum*, h. e. Poetae tempore, Oriona immergi coepisse radiis solis occidentis die, quo hoc factum monat.] β) V, 493 - 494: „*Quo-*

rum ſi (dierum) *medii* (h. e. d. 11. Maj.) *Boeotum Oriona quaeres, falſus eris.* (E modo dictis patet propter ſolem, ulterius ab occaſu ad ortum motu ſpecioſo jam provectum, penitus et omnino tum delituiſſe poſt terga, ut hoc utar, ſolis, ita ut incommode, ut intpr. Op. illuſtr. etiam monuit ad v. 545, repetat hoc vates illo ipſo verſu: „*Sed quid et Orion — mundo cedere feſtinat* etc.) γ) VI, 717 - 719: „*At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis, et cinget geminos ſtella ſerena polos* (h. e. Nocte, quae excipit d. 16. Jun.): *tollet humo validos proles Hyriea* (Cauſſam, cur ita circumloquatur vates Oriona vid. II.) *lacertos* h. e. ante ſolis ortum, emerſus ex Aurorae luce lutea, mane conſpici poterit dum prodeat Sol, cujus jubare efficitur, ut denuo delitescat. δ) VI, 785 - 788: „Ecce — ad ſtellas aliquis (nocte diei 26 Junii rediens in urbem ab aede et feſto Fortunae Fortis.) *talia verba jacit: Zona latet tua nunc, et cras fortaſſe latebit; dehinc erit, Orion, adſpiciendа mihi.* [Hoc mire eloquutus eſt Ovidius. Nam *ante mediam noctem* nec per dies, *craſtinum* illum quem commemorat, excipientes conſpici poterat. At *poſt mediam noctem*, horis vero demum *matutinis* apparuit. Nam Julii menſis initio, apud nos hodie etiam in Orientis plaga denuo mane coelo fulget ſereno, paulo ante ſolis ortum. Meridianum enim tum tranſit poſt h. 10. matut. Caet. *Zonam* Orionis (quam nuncupare etiam ſolent *den Jacobiſtab* it. *die heiligen drei Könige.*) ſecat *mediam* Aequatoris circulus, ita ut dimidia corporis Orionis pars in *boreali*, dimidia vero altera pars in *auſtrali* globi coeleſtis parte ſita ſit. II) Jam quod attinet ad fabulam, quae ſideri nomen fecit, eam retulit Poeta Libr. V, a v. 494 - 544. Dolendum eſt jucundiſſimam hanc narrationem inquinatam eſſe ejusmodi *de cauſſa nominis* redditа ratione, quae Poetam ipſum coegerit in verba erumpere haec: *pudor eſt ulteriora loqui.* (Vid. v. 532.) Contra ea *cauſſam* recepti inter ſidera Orionis ut *laudabilem* faceret, non integrae *tentatorem* Dianae, ſed occumbentem glorioſe morti *defenſorem* ejusdem fecit. Vid. loc. laud. v. 541 - 544. Cfr. loca in Nota laudata. Miram alias dici poſſes intercedere ſimilitudinem inter narrationem *de tribus angelis* ab Abrahamo *ſene* et *improli* benigne et liberaliter hoſpitio exceptis et *de tribus Diis* ab Hyrieo *ſene* et *improli* eodem modo exceptis. Vid. Geneſ. Cap. XVIII. Atque ad huj. cap. v. 21, ut ad Cap. XIX. v. 25 (p. m. 209.) Scholia ſumme rev. Roſenmülleri. *Pſychologice* ut recte ſtatuas de talibus Deorum inter homines inſtitutis itineribus, quo videant quid agant, quidve moliantur aut quomodo ſe gerant, utque commentis Poetarum vanis ne ea tribuas, ſed ex opinionibus credulae et inexcultae humanitatis talia explices, attenta perlegas velim mente loc. memorab. Act. Apoſt. Cap. XIV, 6 - 21. Caet. qualem conſpexerit Oriona Ulyſſes *apud inferos* diſces ex Odyſſ. XI, 571 - 574. *Formoſitate corporis* Otum et Ephialten ſuperaſſe paulo ante (v. 309) adfirmaverat Ulyſſes.

Ortygie, *es.* Eſt in catalogo locorum a Cerere perluſtratorum, filiae, quam neſciae Pluto ripuerat, inveniendae cauſſa; (IV, 471.) locusque, cui Syracuſarum pars ſuperſtructa erat, pro *urbe Syracuſarum ipſa* poſitus eſt. v. Not. Virgilii verba in loco ad v. 467 laudato ſunt haec: Sicanio praetenta ſinu jacet *inſula*, contra Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores *Ortygiam.*“

Ortygius, *a*, *um.* Idus Junii, notabiles aede Mercurio dedicata a. U. c. 258, cum ex illo tempore feſta *inprimis mercatoribus* eſſent dies, deduxerant Poetam ad concipiendam pre-

cum formulam, qua mercatores *perjura et perfida verba quae vis*, quibus fallere soleant emtores, condonata sibi cupiunt. (V. 663 - 690.) Jam precibus factis haec subjungit v. 691 - 692: „*Talia Mercurius poscentem ridet ab alto, se memor Ortygias furripuisse boves.*" Ortygiae boves sunt *Apollinis*, cujus locus natalis ex errore, si auctorem hymni in Apollinem sequare, Ortygia, h. e. aut *Ephesus* ipsa (Plin. H. N. 5, 29.) aut locus haud multum ab Epheso dissitus (Strabo, XIV, 948.) vocatur. Nam in hymno illo diserte verbis loca natalia Apollinis et Dianae distinguuntur v. 14 - 16: Χαῖρε — Δῆλε, ἐπεὶ τίνες — Ἀπόλλωνα τέκοντο καὶ Ἄρτεμιν — τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ προπαρ Δήλῳ etc. Caet. v. Not.

Ossa. Vim consilii expertem mole ruere sua, Diisque odio esse vires omne nefas animo moventes exemplo usus Oti et Ephialtis omninoque Gigantum docuerat Horat. Od. III, 4, 49 - 52. Cfr. v. 65 - 68. Immortalitatem nominis bene meritam non *insano* virium corporis immensarum *usu*, immo viribus nominatim *ingenii* bene in usum collocatis parari docet eodem exemplo Noster I, 307 - 308. *Inverso* montium ordine docet Virg. qua ratione Gigantes abusi sint frustra virium corporis vi: *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum* etc. Affectantes nimirum per stultitiam regna coeli hisque potituri. Fontem, ex quo omnes hausere sua de Gigantum ausu hoc temerario, adire ipse si volueris, leges loc. Odyss. XI, 304 - 316. 2) III, 441 - 442: *Ignibus Ossa novis et Pelion altior Ossa arsit* etc.

Othryades. Quo tempore Cyrus bellum a Croeso sibi illatum ita profligavérat, ut Sardibus obsessum, his paulo post expugnatis, captum teneret et regno exueret, (Quod quidem accidit circa annum a. C. n. 544.) eodem armis decertarunt *de finibus agrorum* Argivi et Lacedaemonii, inclarnitque nomen *Othryadis* Lacedaemonii, causam patriae fortiter aeque ac callide agentis et defendentis. Reliqua vide in Notis ad verba Poetae (agentis de Terminalibus d. 23. Febr. celebratis a Libr. II, v. 639-684.): *Si tu* (o Termine!) *signasses olim Thyreatida terram: corpora non leto missa trecenta forent, nec foret Othryades lectus in armis. O quantum patriae sanguinis ille dedit!* (Vid. v. 663 - 666.) Herodotus vero nihil habet de *gloriosa* morte Othryadis pro patria, quam, quam *causa*, propter quam *ipse sibi* eam conscíverit, satis declarat, eum *talem* adpetiisse haud dubie potius quam refugisse. Ait enim Herodotus in extrema capitis, quo rem omnem retulit, (I, 82.) parte: τὸν δὲ ἕνα λέγουσι τὸν περιλειφθέντα τῶν τριηκοσίων, Ὀθρυάδην, αἰσχυνόμενον ἀπονοστέειν ἐς Σπάρτην, τῶν οἱ συλλογιτέων διεφθαρμένων, αὐτοῦ μιν ἐν τῇσι Θυρέῃσι καταχρήσασθαι ἑωυτόν. Nec diremta est lis *de finibus* per ejus praeclare factum, sed post aliam demum pugnam, qua de Argivis Lacedaemonii victoriam reportarunt. Caeterum dignior fide narratio Herodoti quam reliquorum scriptorum de omni hac re gesta videtur, cum vix centum annis post eam geliam vixerit Herodotus.

Ovile. Palilium die, h. e. d. 21. Apr., Palis, Deae pastoritiae, in honorem a pastoribus, ab omnibus vero Romanis, ad recolendam memoriam Romae urbis conditae, celebrata, quippe, cujus dies eadem huic erat natalis, praecipientem pastoribus haec legimus IV, 737 - 738: „*Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis; et tegat ornatas longa corona fores*" etc. Praecepti formam induisse videtur mentioni rei, quae, quippe more et usu haud dubie recepta, historico potest referri.

P.

Pachynos, *i*. Est inter tria Siciliae promontoria, quae *terrae cornua prima suae vocantur* IV, 479 - 480. Item: *Tras, quibus terra vastum procurrit in aequor, scopuli.* v. 419-420. Procurrit Austrum inter et Eurum in mare, atque Graecis Europae et Asiae, australem insulae partem navibus petituris, obtendit primum cornu suum. Hodie a Siculis distinguitur a reliquis duobus promontoriis nomine: *Capo Passaro*. Virgilius Aeneam suum, narrationis partem, qua praetervectum se classe hoc promontorium ait, ornare verbis a *loci natura* petitis ita voluit III, 699: *Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni radimus.*

Padus. Omnibus Siciliae et Graeciae, Asiae item et Africae terris locisque, *quorum Poeta liberam habuit potestatem catalogum struendi*, pererratis, Demeter, Persephones, filiae raptae vestigia si reperire posset, *Europam* iterum, at *occiduum* Graecis *ad solem* sitas ejus partes et incolas (Ἑσπερίους) adiisse fingitur IV, 571: *Nunc adit Hesperios, Rhenum* (Germanos) *Rhodanumque* (Gallos) *Padumque, teque futare parens, Tibri, potentis aquae.* (H. e. Italiam omnem, aut certe Galliam Cisalpinam et Latium antiquum.) Padus hodie *il Po*.

Paganalis, *e*. Hinc *Paganalia* scil. solennia (Varro de L. L. V, 3.) seu *Paganicae* scil. feriae. - (Id. ibd.) Nomen ipsum nec hoc nec illud occurrit ap. Nostr. At de re agitur I, 669 - 674. Vid. Not. ad v. 669. Celebrabantur *seminibus jactis ubi foetus erat ager.* (Eod. loc. v. 662.. Apte igitur rejecit ea inter extremorum *Januarii* dierum memorabilia. Itaque non disjuncta erant a die sacra eaque *indicta*, non stata, quae *Sementinae* seu *Sementivae* nomen habebat. (Eod. libr. 657 - 668.) Cfr. Not. ad v. 657. Exceperunt nimirum *sacra facta* die sementiva, ut ubique et semper fieri consuevit, omnia quibus genio indulgetur quibusque adeo animus exhilaratur, i. e. hoc loco *Paganalia*. — Artem *precum formulas concipiendi pro aliis eorum* personae et causae aptissimas (v. c. pro *pastoribus*, IV, 747 - 776. pro *mercatoribus*, V, 681 - 690; et nostro loco pro *agricolis*) probavit Poeta a v. 675 - 696. Quas quidem preces pro colonis *ad Cererem et Terram* missas optat ut *utraque Dea* ratas esse jubeat v. 695 - 696. Inter perfectissima ingenio felici Poetae potius quam operosae ejusdem diligentiae debita loca nostrum referri posse quemque equidem agnoscere facile mecum putaverim. Caet. de *liberni* sementis initiis vid. Plin. H. N. XVIII, 25.

Pagasaeus, *a*, *um*. Pagasa seu Pagasis, oppido Thessaliae maritimo, oriundus. Jam cum ibi Argo navis exstructa fuisset, propterea Iason eodem *cognomine* adpellatur, I, 491. *Consolationem* egregiam (a v. 479-496.) loci laudati Poeta *sibi exsuli* (I, 540. Cfr. IV, 81, 84.) quoque scripsisse videtur et ut alios commonefaceret: *offenso pulsum se esse urbe Deo, nec meriti se poenam pati, sed numinis iram.*" Caet. *locus ipse* exsilii sui, Iasonis fatorum memoriam recolere jubere poterat.

Palaestinus, *a*, *um*. I) Dionem h. e. Venerem cum Cupidine persequutus Typhon s. Typhoeus fuga compulit *ad Euphratem*. Ad quem cum perveniisset Dea, *in Palaestinae* hujus *margine sedit aquae*. II, 464. II) Attis propter fidem datam *se semper puerum esse velle*" ab irata, cum fidem fregisset, Cybele in furorem conjectus — „*saepe Palaestinas jurat adesse Deas.*" IV, 236. Vid. de loci difficultatibus illustr. Op. intpr. ad hunc locum.

Palaestra laetus nitida Mercurius, h. e. artis luctandi [παλαίειν] inventor. V, 667.

Palatinus, a, um. 1) V, 151 - 152: „*Huic* (monti scil. Aventino) *Remus institerat frustra, quo tempore fratri prima Palatinae signa dedistis aves.* 2) IV, 953: *State Palatinae laurus, praetextaque quercu stet domus!* Vid. ind. s. voc. *Palatium.* [Simillimum votum pro *incolumitate aeterna domus regiae* habet Shakspeare in Comoedia, cui titulum fecit: *The merry Wives of Windsor.* In Actu V. Scena V. mulieres nimirum cum maritis in hortis *ante regiam* media nocte congregatae et personas geniorum femineorum (Fairies. Feen.) indutae ab una aliqua ut peragant, quae sequuntur, monentur: About, about! search *Windsor Castle*, elves, within and out: strew good luck, ouphes, on every *sacred room*, that it may stand till the perpetual doom, in state as wholesome, as in state 'tis fit; *worthy the owner* and the owner it. Possessorem *regiae* tum Elisabetham fuisse docent verba quae paulo ante leguntur: *Our radiante queen hats flats and flattery.* Vim vero loci in eo quaeras, quod regina mire delectata ingenio et moribus Falstafii ab auctore *in Henrico quarto* suo exhibitis eundem *intra quatuordecim* dies fabulam conscribere *jusserat*, qua Falstafium suum amorum laqueis irretitum exhiberet. Aptissimam igitur nactus erat occasionem reginam optime meritam blandis ita deliniendi verbis. [Caet.: ab hoc nomine adjectivo nomina accepere recentt. tempp. *Palatinus Hungariae* et *Palatinatus* Germaniae superior et inferior. Die *obere* und *untere Pfalz.*] Caussas nominum *primas a domo in qua Caesares* Romae habitavere, quaeque *Palatium* κατ' ἐξοχήν sensim sensimque dici coepit, repetendas esse Historia docet. 3) VI, 793 - 794: *Ante Palatini condidit ora jugi aedem Jovis Statoris Romulus.*

Palātium. Romae urbis originem d. 21. Apr. h. e. diem natalem exortus canere (IV, 807-862.) Poeta, cum ambigeretur, inquit, utrum Romulus an Remus poneret moenia, placuit, *ut expectarentur aves.* Tum „*alter* (Romulus) *init nemorosi saxa Palati* h. e. Palatinum montem nemorosum. A quo aves illae ipsae *Palatinae* dicuntur V, 152. Nomen mons acceperat ab Evandro, qui eo delatus sexaginta fere annis ante bellum Trojanum h. e. a. C. n. 1251 *nova tecta* ibi a se condita (I, 541.) ab urbe Arcadica *Pallantium* dixerat. (v. Not. ad v. 540. et illustr. Heyn. Excurs. I. ad Virg. Aen. VIII.) „A *Pallantio* vero sive *Palanteo* oppido *Palatium* (deinde Palatinum) *montem* adpellatum ferunt." Quae quidem verba Livii (I, 5.) docent, cur Poeta montem ipsum quoque *Palatium* dixerit. 2) Cum, ut Ciceronis quondam, (Vid. Orat. pro Domo sua, Cap. 24.) ita Augusti deinde *domus* esset inter *Palatinas* h. e. Palatio monti impositas, (Trist. I, 1, 69 - 72.) factum est paulatim, ut haec *Caesarea* domus, sedes facta imperatorum etiam aliorum, qui Augustum secuti sunt in imperio, κατ' ἐξοχήν *Palatium* nuncuparetur. (Hinc orta sunt vocabula Lingg. recentt. *Il Palazzo; le palais; Der Palast* und *die Pfalz.*) Pertinent ad illam domum verba loci IV, 949 - 954: *Cognato Vestae recepta est limine. Phoebus habet partem. Vestae pars altera cessit. Quod superest illis, tertius ipse* (Augustus) *tenet. — State Palatinae laurus, praetextaque quercu stet domus.* (I, 614: *Protegat et vestras* [h. e. (Caesarum] *querna corona fores.* v. Not) *Aeternos tres habet una Deos.* Patet e verss. excitat. locum esse classicum de domo Caesarea illa. Cfr. quae addidit ad eum illustrandum Venerab. Op. intpr. Nobilem reddidit domum etiam Bibliotheca *Palatina* inde dicta, cui praefecerat Augustus C. Jul.

victrici et orbis terrarum dominae, perpetuum apprecetur imperium in orbis domiti gentes et populos, imperatorem vero per omnem vitam suam *Augustum*, ducesque perpetuos, qualis sit Augustus, e familia Augusti.

Palla. Arion Lesbius rediturus, navi conscensa, ex Italia in Graeciam, cum a nautis auro suo inhiantibus cruentam sibi necem denunciatam vidisset, ut *eam se non reformidare* ostenderet, *induerat Tyrio bis tinctam murice pallam* h. e. paratu splendidissimo et pretiosissimo ornaverat corpus, ut significaret se morti obvium ire tanquam Festo, h. e. *inconcussa mortis formidine mente.* Vid. II, 107. Caet. cfr. Not. ad h. l.

Palladius, a, um. Hinc Palladium scil. simulacrum. Loc. classf. de hoc *armiferae signo coelesti Minervae*, (VI, 421) *ra* tandem *Romana* facta (Eod. lib. v. 435. Cfr. v. 424.) et in Vestae templo *inter pignora imperii fatalia* (v. 446.) religiose servato extat in Libr. Fastor. VI, 417 - 436. Cfr. loc. Virg. Aen. I, 160 - 195. Nomine ipso hoc non usus est Poeta noster in l. l. De forma *Palladis* seu Minervae huius *parvae* [Παλλαδίου] Apollod. haec habet III, 12, 3: Ἦν δὲ τῷ μεγέθει τρίπηχυ, τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκὸς, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ δόρυ διηρμένον ἔχον, τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον. Caet. Poeta ait *se juga conscendisse ipsum*, in quae quondam e coelo delapsum sit. (Apollod. l. l.: Ἴλος ἐπὶ τὸν — τῆς Φρυγίας Ἄτης λόφον — πόλιν κτίσας - ταύτην μὲν Ἴλιον ἐκάλεσε. Τῷ δὲ Διὶ σημεῖον ἐξαιτήσαντος αὐτῷ τι φανῆναι, μεθ' ἡμέραν τὸ διοπετὲς Παλλάδιον πρὸ τῆς σκηνῆς κτίσαντα ἵδρυσατο.) Tum" *vidi templumque*, ait, *locumque. Hoc superest illi. Pallada Roma tenet.* Vid. VI, 423 - 424.

Pallantias, ădis. Inter numerosas formulas, quibus in Fastis hoc simpliciter et nude verbis enunciatum, *postero die*, variavit et ornavit, est; quae legitur IV, 373 - 374: *Postera cum coelo motis Pallantias astris fulserit et niveos Luna levarit equos.*" Pallantias vero (scil. foemina.) est *Aurora* a Pallante Crei, patrui, filio ita dicta, cum ipsa Hyperionis Solis, (vid. Ind. s. v. *Hyperionis.*) Crei fratris esset filia. Causam *cognominis* explicuit pluribus illustr. Op. intpr. ad Metam. IX, 420. Caet. pater et patruus inter Titanas fuere a Coelo e Terra genitos. Nam Apollod. I, 1: Τεκνοῖ δὲ αὐτὸς [ὁ Οὐρανὸς] ἐκ Γῆς παῖδας — τοὺς Τιτᾶνας — Τπερίονα.

Pallantis, idis, H. e. Aurora. Aurora vero quoque pro *die* omnino VI, 567 - 568: *Proximus annus erat: Pallantide caesus eadem Didius hostiles geminavit opes.* Dies l. l. est d. 11. Jun. (vid. Not. ad v. 473.) Annus vero p. U. c. 663. De loci difficultatt. hist. v. Not. ad v. 567. De causa cognominis Aurorae v. vocab. *Pallantias.*

Pallantius, a, um. Cognomen Evandri ita dicti aut a *Pallante* avo, aut a *Pallantio* s. Pallanteo, Arcadiae oppido, ab avo conditore ita dicto, aut a *Pallanteo*, ab Evandro ipso monti imposito regionis, ubi postea Roma, cuique inde nomen Palatino fuerit. [Justin. XLIII, 1. Liv. I, 5.] Adsignant annum 1251 a. C. n. et annum fere 60 ante Trojae excidium adventui Evandri ex Arcadia in Italiam. Barthelemy vero in tabula chronologica Operis: Voyage du jeune Anacharsis en Grèce, (Tom. VII.) Herculi annum dedit natalem a. C. n. 1383. Qui cum aequalis Evandri laudetur tum in loco excitando tum I, 543 sqq. patet non accurate respondere sibi annos allatos. Loc. laudand. extat V, 647: „*Exclpit hospitio juvenem* (Herculem ex Hispania reducem factum) *Pallantius heros; et tandem Caco debita poena venit.*" Tertius locus de Hercule Evandri aequali

extat VI, 519 - 526. Cfr. praecedd. et ſubſeqq. l. l.

Pallas, dis. Quae Faſtorum in carminibus hanc pertinent ad Deam loca, ea pleraque omnia collecta et, quantum fieri potuit, in ordinem redacta videſis ſ. v. *Minerva.* De nomine Plato Socratem cum Hermogene haec diſputaſſe finxit: ΕΡ. Ἀλλὰ μὴν σύ' Ἀθηνᾶς, Ἀθηναῖός γ' ὤν, ὦ Σώκρατες, ἐπιλήσῃ —. ΣΩ. Οὐδὲ εἰκός γε. ΕΡ. Οὐ γάρ. ΣΩ. Οὐκοῦν τὸ μὲν ἕτερον ὄνομα αὐτῆς οὐ καλὸν εἰπεῖν διὰ κεῖται. ΕΡ. Τὸ ποῖον; ΣΩ. Παλλάδαπον αὐτὴν κάλοῦμεν. ΕΡ. Πῶς γὰρ οὔ; ΣΩ. Τοῦτο μὲν τοίνυν ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὅπλοις ὀρχήσεως ἡγούμενοί τε— θῆναι, ὀρθῶς ἄν, ὡς ἐγῷμαι, ἡγοίμεθα. Τὸ γάρ που ἢ αὐτὸν ἤ τι ἄλλο μετεωρίζειν, ἢ ἀπὸ τῆς γῆς, ἢ ἐν ταῖς χερσὶ, πάλλειν τε καὶ πάλλεσθαι, καὶ ὀρχεῖν καὶ ὀρχεῖσθαι καλοῦμεν. ΕΡ πάνυ μὲν οὖν. ΣΩ. Παλλάδα (Die Speer- oder Waffen - *Schwingerinn.*) μὲν τοίνυν ταύτῃ. ΕΡ. Καὶ ὠρθῶς γε." Vid. Cratyl. Cap. 23. Reſpexit fortaſſe Virgilius hanc Platonis etymologiam verbis (v. Aen. II, 175-176.): *Terque ipſa* (Pallas) *ſolo, mirabile dictu, emicuit* etc. Noſter de Quinquatrubus, Minervae ſacris, agens, his exhortatur inter alia verbis pueros et puellas, ut religioſe hanc colant Deam: *Pallada nunc pueri, teneraeque ornate puellae. Qui bene placarit Pallada, doctus erit. Pallade placata* etc. Vid. III, 815 - 818. It. v. 823-826: „*Nec quiſquam invita faciat bene vincula plantae Pallade — Et licet — Epeo ſit prior: irata Pallade mancus erit.*" 2) Inter imagines quibus α) partim *effectus Muſices artis incredibiles* omnino illuſtrare, β) partim vero ejusdem artis *ſummum ſui temporis artificem* Ariona fuiſſe ſignificare voluit Poeta, eſt haec etiam: *Et ſine lite loquax cum Palladis alite cornix ſedit.* II, 89. H. e. Muſices capta ſuaviſſima ſonorum dulcedine, altera avis *naturalem animi hoſtilis ſenſum* depoſuerat, altera *metum*, e periculi conſcientia oriundum, *cum hac ipſa conſcientia* amiſerat et abjecerat. Sententia igitur ſimplex ὑπερβολικῶς expreſſa erit: *Vis, quam Muſice perfecta exſerit exſeruitque ſaepiſſime*, eſt et fuit ſemper maxima. 3) *Pallas* pro ſimulacro Palladis h. e. Palladio VI, 424.

Palma. Inter ſtrenas Kal. Jan. dono mitti aut dari ſolitas commemoratur etiam palma I, 185: *Quid vult palma ſibi* etc. h. e. Cujus rei *ſymbolum* eſſe eam volunt? — Quam habuerit vim ſymbolicam ſubjecit v. 187 - 189. Ex qua quidem explicata patet *ſaporis dulcedine* eam ſe inprimis commendare. Caet. *palma* pro palmae *arboris* fructu poſita eſt h. e. pro dactylo (Unde patrii ſermonis vocabulum effictum eſt, *Dattel.*) aut caryotide it. palmula. Sic *palmam* pro *palmula* h. e. τῇ βαλάνῳ τοῦ φοίνικος (Vid. Xenoph. Anab. I, 5, 10 De uſu cfr. loc. claſſ. II, 3, 15 - 17.) Perſius etiam poſuit in Sat. VI, 39: *Ita ſit, poſtquam ſapere urbi cum pipere et palmis venit veſtrum hoc maris axpers* etc. [Sunt verba Beſtii luxuriam victus Philoſophiae graecae, ut rei quoque *extraneae*, ſtudio tribuentis.] E locis igitur transmarinis navibus Romam vectae palmulae. Nam Varro diſerte ait palmas in Syria quidem et Judaea caryotas gignere, non vero in Italia. De R. R. II, 1, extr. Non igitur dubitaverim verba difficilia Perſii: *veſtrum* (al. noſtrum. At inculpantis perſonae lect. *veſtrum* aptior videtur.) *hoc maris expers* cum Calaub. ita interpretari ut *maris* ſit a *mas* non a *mari* repetendum. Nam hoc vero eſt quod crimini facit: *ſapientiam illam* ut piper et palmas eſſe *transmaritimarum* regionum fructum, eum autem ſine nervis et elumbem. Sic etiam intpr. Franco-Gallus, Selia.

Palus, *i*. Satione ſub finem menſis Jani, aut, quod veriſimilius videtur, ſub initia ejusdem menſis peracta „*Ruſticus emeritum palo ſuſpendat aratrum.*“ I, 665. De hoc palo cfr. Colum. XI, 2. 11-12. De tempore arationis pro diverſitate naturae humi ſeu ſoli diverſo vid Virg. Georg. I, 43-51. 63-70.

Pan, *anos*. Arcadum numen idque antiquiſſimum et iisdem proprium, quodque adeo religioſiſſime colerent. Cauſſa cultus praecipui *a natura terrae Arcadicae* repetenda eſt, quae *paſcendo pecori* inprimis apta erat propter montium ſilvis conſitorum itemque fluminum, quae paſcua irrigua itaque laeta h. e. herboſa et florida redderent, multitudinem. Pan vero erat α) *Deus pecoris* ſive *armenti cuſtos* (II, 271. Cfr. not. ad hunc verſ. It. v. 277.) inprimis *ovium* et (ſi lectio certa.) *equarum*. Vid. l. l. v. 277-278. Idem erat *numen ſilveſtre*. v. 279. Poſtquam ab Evandro cultus ejus Latii illatus erat agris (II, 279-281. V, 91-92. Inpr. 99-101), coaluit cultus hujus Dei propter *cauſſarum* cultus ſimilitudinem cum illo numinis Aboriginum, *Fauni*; et ita quidem ut a Poeta noſtro ubique *nomina* etiam nullo diſcrimine facto, promiſcue poſita legantur. Hinc reliqua videas in Ind. ſ. v. *Faunus*, *Lupercus*, *Lupercal* et *Lupercalia*. Caet. *Panes* plures iique inter cultores et comites Bacchi commemorantur I, 597. Vid. Not. *Panos*, *medio cum premit arva die*, conſpectum, irae Dei metu, fugere cupiunt paſtores. IV, 762.

Pantagies, *ei*; et *Pantagia*, *ae*. Flumen parvum terrae Siculae diſſitum haud procul a Leontinis h. e. urbe *in ora* maris Siculi *orientali* Syracuſas inter et Catanam. Hodiernum fluvii nomen eſt: *Il Fiume di Porcari*. Vid. illuſtr. Heyne ad Virg. Aen. III, 688. Quo quidem loco Aeneas narrat ſe claſſe praetervectum *vivo oſtia ſaxo Pantagiae*. Nam oſtium praeruptis undique rupibus incluſum eſt. Claudianus vero Proſerpinam canit cum comitibus concelebraſſe — *ſaxa rotantem* Pantagiam. Vid. d. Rapt. Proſ. II, 55-59. Noſter ſimpliciter IV, 471: Ceres fruſtra ibi quaeſita filia *liquerat — Pantagien*.

Papaver. Summa *papaverum* capita, quae Livius (I, 54.) decuſſa baculo fuiſſe narrat a Tarquinio hortis tacite inambulante, ut ſic ſignificaret, quid Gabiis a Sexto filio fieri vellet, ea Ovidius, in aliis, ut videtur Livium ſecutus, *lilia* fecit, his uſus verbis II, 706: „*Mandata latentia nati accipit, et virga lilia ſumma metit.*“ It. v. 707: „*Nuntius ut redit, decuſſaque lilia dixit* etc. 2) Ceres, parvos Celei ſenis initura penates, *ſoporiferum* — colligit agreſti *lene papaver* humo. — Quo quia *principio noctis* longam exſolverat famem, propterea tempus myſtae (Eleuſiniorum) habuerunt *ſidera viſa* cibi. IV, 531-536. 3) Triptolemo puero, Celei et Metanirae filio, Ceres „*ſomni* papavera *cauſſas* dat cum tepido lacte bibenda. Eod. libr. v. 547-548. [Cum e ſuccis papaverum arte fiant medicamina, quae *Opium* et *Laudanum* dicuntur, patet, quae ſit vis eorum maxima.] 4) Effectus papaveris cum lacte ſumti alius laudatur IV, 151-154.

Parrhaſia, *ae*. Inter Arcades (*προσελήνους* a ſumma antiquitate dictos. V. Euſtath. ad Hom. Iliad. II, 603. Cfr. Ind. ſ. v. *Luna*.) qui, acceptis ab Agamemnone navibus, (quippe quibus *μεσηπέιροις*, per ſe θαλάσσια ἔργα οὐ *μεμήλει*. Vid. Hom. l. l. v. 614; atque Euſtath. ad h. l.) interfuerunt expeditioni contra Trojanos ſuſceptae, commemorantur etiam“ οἱ Παῤῥασίην ἐνέμοντο h. e. aut cives Parrhaſiae urbis (vid. Euſtath. ad h. l.) aut incolae regionis Arcadiae (v. Pauſan. loc. laud. in Not. ad I, 428. It. ad II, 276.) Jam *a parte* mo-

re Poetarum designatur *totum*. Hinc:

Parrhasis, *idis* pro *Arcadica*. IV, 577: „*Parrhasides stellae — Persophonem miserae natam monstrate parenti*. „(h.e. mihi i.e. Cereri.) Quae quidem stella cum" *aequoreas nunquam subire aquas* (vid. l. l. v. 578.) dicantur, seu, quod idem est, *liquidi* cum laudentur *immunes Ponti* (v. 575.), et *gelido proximae polo*, patet, si vel *Helice* eaedem non disertis verbis vocarentur, v. 580. Cfr. III, 108, esse stellas *Ursae majoris* a Callistone, *Arcadica* puella, ita dictas. Vid. Fab. II, 155 - 192. Quo quidem loco, v. 192, a Maenalo, *Arcadiae monte*, *Maenalia* etiam *arctos* adpellantur.

Parrhasius, *a*, *um*. Evander *deserit Arcadiam*, *Parrhasiumque Larem* h. e patriam terram domumque patriam. I, 478. [De Evandri fuga et in Italiam adventu cum sacris patriis Latio illatis cfr. II, 267 - 282. V, 89-100.] 2) Postquam Evandri mater, Carmens seu Carmenta, *inter Deas* indigetes relata erat, (I, 585 - 586.) *bina* Senatus pro pueris pariter atque virginibus (vid. I, 627 - 628.) *sacra* Deae fieri jussit, *Carmentalia* dicta. Quorum iterata his ad d. 15. Febr. annunciat verbis: *Respiciet Titan actas ubi tertius Idus: fient Parrhahsiae sacra relata Deae*. I, 617 - 618. Caussam, cur Senatus repeti ea jusserit, subjunxit a v. 619 - 630. Prima fieri solita d. 11. Januar. dixerat: *Arcadiae sacrum pontificale Deae*. I, 462. De cujus origine originisque caussis egit a v. 467 - 586. Cfr. de Carmenta, hospitio *Inonem* benigne excipiente, loc. VI, 529 - 550. Quae quidem Ino, ut Carmenta, numen Romanorum *vernaculum* facta et *Matutae* nomine culta est. Vid. l. l. a v. 473 - 562. 3) Pana, Deum pecoris, numen fuisse Arcadiae quodammodo *proprium* et religiosissime ab Arcadibus cultum, postquam *in genere* monuerat Poeta, *sex* Arcadiae *perennia naturae monumenta* per συναθροισμὸν sive ἀπαρίθμησιν testes rei fecit II, 271 - 276. Quae quidem inter monumenta *sexto loco* posuit (v. 276.) *Parrhasias nives* h. e. aut Parrhasiorum montes praealtos aut montem Parrhasium nivibus propter altitudinem semper coopertum.

Parthus. Pleraque, quae nomen laudatum Romanis quondam horribile reddiderant, ita ut propterea vel a Poetis aevi Augustei frequentissima ejus fieret mentio, vide dicendo occupata in Ind. s. v. *Crassus*. Sedem habuere Parthi in Asia ultra Taurum montem et Euphratem amnem, inter Caucasios montes, mare Caspium sinumque Persicum, limitibus nunc arctioribus nunc latioribus. Tacitus in Germania sua Cap. 37: „Non Samnis, non Hispaniae Galliaeve, *ne Parthi quidem saepius admonuere*. [Romanos se vinci posse, quam Germani, intra ducentos ferme et decem annos non omnino victi.] Quippe *regno Arsacis* acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam *caedem Crassi*, (a. U. c. 699.) amisso ipso Pacoro et ipse infra Ventidium dejectus Oriens (a. U. c. 713.) objecerit? — At Germania etc. Illustrant locum Taciti quae Florus habet Libr. IV. Capp. 9. 10. 12. It. Justin. Libris XLI - XLII. Ventidius, Antonii legatus, in ignominiam Parthorum summam *victor* a Tacito dictus, quia *infimae conditionis* homo fuerat, (v. Aul. Gell. Noct. Attic. XV, 4.) intra Orontem et Euphratem Pacoro, regis Parthorum Orodis filio et exercitus ejusdem duce, [Just. 42, 4.], caeso, Parthicum equitatum, viginti amplius millium, late ceciderat atque sic cladem Crassianam Pacori caede pensaverat. Vid. Flor. IV, 9. Mox vero Antonius, temerario ausu in ipsa regni Parthici penetralia expeditione suscepta, a. U. c. 717 - 719.) interitu tertiae amplius de sedecim legionibus par-

tis, hostili partim manu partim naturae regionum intemperie amissae, fructus victoriae Ventidii Romanis eripuit. Exinde jam intelligi potest, cur Florus *de signis Augusto redditis* ita recte judicet: Parthi quoque, *quasi victoriae poenituerit*, rapta clade Crassiana, *ultro* signa retulere. Vid. Libr. IV, 12, sub finem cap. laud. Suetonius tamen ait Parthos signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, *reposcenti* reddidisse. Aug. 21. Quod quidem factum est a. U. c. 752. Jam cum Augustus de signis relatis perinde ac de re, quae prosperrima contingere sibi potuisset, gavisus esset, Poetae quoque rem certatim in laudem Augusti extulere. Vide loca Horat. laudata ad Fastor. V, 581. Cfr. Virg. Aen. VII, 606. Locus Nostri pertinet in Libr. laud. v. 579-594. Propter aquilas vero a Parthis redditas et, tempore priorem, victoriam ad Philippos (III, 705 - 710.) Augustus Marti *bis ultori* templum (V, 545 - 596.) et Circenses (549 - 551. 597 - 598.) d. 12. Maj. celebrandos dedicaverat. Caes. *caussae*, propter quas, Historia teste, Romani bella cum Parthis reformidabant, comprehensae leguntur verss. his: *Gens fuit et campis et equis et tuta sagittis, et circumfusis invia fluminibus.*" (V, 581 - 582.) It. „*Quid tibi* (Parthe!) *nunc solitae mitti post tergus sagittae, quid loca, quid rapidi profuit usus equi.*" (V, 591 - 592.)

Pastor. Palilium diem h. e. d. 21. April. custodibus et pastoribus ovium *inprimis* festum fuisse, Palemque Deam *silvicolam* (IV, 746.), *proprium* quodammodo ipsis *numen*, patet ex omni loco de Palilibus IV, 721 - 863. Hinc etiam dispertis verbis a Poeta *pastoria sacra* dicuntur v. 723. Nec nisi *ovium* fit mentio in sqq. jam qualibus *lustrarint* oves et ovilia ritibus ista die docet a v. 735 - 742. Quae sacra fecerint Deae ostendit a v. 743-744. Quas preces, *lacte Deae ante libato*, a v. 746 - 778. *Quoties* repetendae preces, *quoque cum ritu* v. 777-778. Quomodo dapibus potuque ipsi pastores ingenio indulserint ad exhilarandum festa illa die animum vid. inpr. in not. ad locum difficilem v. 745. Add. v. 779 - 780. Tandem ut ne obliviscantur moris observari ab omnibus Romanis soliti eos admonet v. 781 - 782. Cfr. 727. De cujus *antiquissimi* origine, originisque caussis disputat a v. 783 - 806.

Pater Patriae. Postquam ad Nonas seu d. 5. Febr. pertexuerat opus suum Poeta, nihil antiquius habuit quam memoriam recolere cognominis *Patris Patriae*, quod Caesari Augusto illa die (a. U. c. 752. a. C. n. 4.) dederant *Plebs*, *Eques*, *Curia*. Vid. loc. II, 119-144. Pluribus immoratus est huic titulo oductus α) studio tum justum statuendi ei pretium, tum β) ostendendi *optime merito* contigisse ejus honorem. Artis Rhetorices magistris commendandum hic inprimis est notabile *novem antithetorum* exemplum, quibus ut extolleret Augustum, depressit Romulum. Vid. a v. 133 - 144.

Patulcius. Cognomen Jano Deo a sacerdotibus inter sacrificandum datum a *patendo* h. e. a patentibus valvis templi ejus *belli* tempore. Cognomen oppositum *Clusii* vero accepit a *claudendo*, h. e. a clausis *pace* foribus templi ejusdem. Vid. I, 127-130. Cfr. Not. *Risurum esse* ista sua *nomina* Ovidium cum addat Janus l. l. loquens inductus, incognita ea plerisque Romanis fuisse et cognita reddita insolentioris formae visa esse intelligitur. *Tempus* et *caussam* inventorum et in usum receptorum cognominum his refert verbis v. 131-134: „Scilicet alterno voluit *rudis illa vetustas* nomine *diversas* significare *vices*." Inter casca igitur et obsoleta Poetae tempore sermonis latini nomina utraque vox referenda erit.

Pax. Persona sistitur I, 121 s. „*Cum libuit* (mihi i. e. Jano) *Pacem placidis emittere tectis; Liberâ perpetuas ambulat illa vias.*“ Item I, 711: *Frondibus Actiacis comtos redimita capillos Pax adest; et toto mitis in orbe manet.* 2) *Ara Pacis.* v. de ea not. ad I, 709. Caeterum agnoscas artem, qua Poeta aptissimum sibi quaesivit et invenit libri primi epilogum a v. 711 - 722, commemorando aram Pacis ultimo loco, quo desineret in preces pro pace perenni et pro domo, quae eam praestiterit, ut cum pace perennet. 3) *Pax Cererem nutrit: Pacis alumna Ceres.* I, 704. 4) *Pace latet Janus* I, 277; aut: *Pace fores obdit* ibd. v. 281. Causam rei reddit ipse v. eod. A valvis templi sui *pacis tempore clausis* cognomen *Clusii* antiquissimis jam temporibus invenerat. Vid. I, 150. 5) Mars invitatus a Poeta, ut sibi adsit *memorabilia* mensis ab eo dicti canere exorsuro „*Nunc primum*, respondet, *studiis pacis — advocor.* Nec piget incepti. — Hoc solam ne se posse Minerva putet.“ III, 173 - 176. Minervae vero exemplum ita laudaverat Marti Poeta III, 5: Ipse vides manibus peragi *fera bella* Minervae; num minus *ingenuis artibus* illa vacat? — *Signa* vero studiorum pacis Poetae sunt α) *cassis depositа* (Libr. laud. v. 171. Cfr. v. 2.) β) *Hasta seu cuspis posita.* Ibd. v. 1. Cfr. v. 7. Quam tamen ut e manu mitteret, Mars impetrare a se non potuisse facete fingitur v. 172. γ) *Clypeus positus*, v. 1. Talibus aliisque notis poeta ipse semet *pacis* non belli *studiis* deditum esse significaverat II, 9-16.

Pecten, inis. I) Inter instrumenta erat mundi muliebris. I, 405 - 406: Naides *effusis* aliae, *fine pectinis usu*, pars (vero) aderant *positis arte manuque comis.* “ *Pectinis usus igitur erat,* α) inter signa decori et modesti corporis cultus. Item β) inter signa *negligendi* cultus aut more aut lege praescripti. Nam *conjux sancta Dialis* h. e. Flaminica Poetae; tempora nuptiis fausta rescisse cupienti, *ad sacra Vestalia* ea esse infausta respondet. Nec ipsi enim ante *licere detonsos crines depectere buxo.* H. e. pectine buxeo. VI, 229. Vid. Not. Item Saliorum die festo *impexos debebat habere comas.* III, 397 - 398. Causa reddita legitur v. 395 - 396. Nam Salii erant sacerdotes *Martis Gradivi*, Dei bellici. — Utrum *hasta recurva* multum diversa a *pectine* fuerit, nec ne, doctoribus dijudicandum relinquo. Feralium diebus nimirum praecipit puellis *nubilibus* Poeta noster haec: „*Nec tibi, quae capidae matura videbere matri, comat virgineas hasta recurva comas.*“ II, 559 - 560. Cfr. Not. II) Instrumentum, quo nunc gravius nunc levius ad carmen *lyricum* non vero elegiacum increpuere lyram (VI, 812.) seu pullavere ictu pectinis chordas lyrae. Vid. not. illustr. Op. intpr. ad II, 121. Cfr. Pers. Sat. VI, 2. Quod etiam *pollice* fieri solebat. Vid. II, 108. III) Instrumentum rei textoriae. III, 819 - 820: *Illa* (Minerva) *etiam stantes radio* (Κερκίδι. Vid. Plat. Cratyl. 8 - 11.) *percurrere telas erudit; et rarum pectine* (σπάθῃ) *denset opus.*“ Vid. Not. Cfr. de hac tertia vocis *pecten* significatione illustr. Heyne ad Virg. Aen. VII, 14. De secundo loco posita vero ad Aen. VI, 646 - 647.

Pecunia. Unde ea dicta sit refert Flora Poetae his verbis V, 279 - 281: Caetera luxuriae instrumenta [H. e. Supellex auro, argento, ebore etc. unde Poetae tempore censebantur divites] nondum vigebant: aut *pecus* aut latam *dives habebat* humum. Hinc etiam locuples, hinc *ipsa pecunia* dicta est. Cfr. Not.

Pegasus. Astrum coeli borei inclusum quasi angulo recto, quem Aequator atque Κόλουρος aequinoctii verni a puncto circuli, aequantis dies noctesque, es-

ficiunt. Agnoſcitur hodie facile e ſtellis α. β. γ. δ. quae *menſa* a figura quadrata dicuntur. Obverſus eſt capite et collo Auſtris, pedibus Aquilonibus. Numerantur nunc 458 ſtellae fere in hoc ſidere ope inſtrumentorum opticorum inventae. Agit de eo Poeta III, 449 - 458. Ortum heliacum retulit ad noctem d. 7. Mart. (v. 449. Cfr. v. 429.) Hodie neceſſe eſt oriatur et occidat Pegaſus cum ſole paulo ante *aequinoctium verum*. Initio vero menſis Septembris media nocte, ubi terra media eſt inter Pegaſum et Solem, Meridianum tranſit Lipſiae. Numerum ſtellarum *quinque decemque* fuiſſe ait Noſter v. 458. *Cauſſam ſideris* e mytho repetitam eod. loc. propoſuit Faſtorum auctor. Cfr. Ind. ſ. v. *Gorgoneus*. 2) Muſas his adit verbis Poeta V, 7 - 8. „Dicite, quae fontes Agamippidos Hippocrenes, *gratа Meduſaei ſigna equi*, tenetis." Caet. nomen Pegaſi ipſum non occurrit in Faſtis.

Pelens. Februarium *ultimum* anni menſem fecerat Numa eumque a *Februis* (II, 19 - 34) h. e. piaminibus ita dixerat, quia *piandis* ſeu *placandis animis paternis* h. e. Manibus Majorum, ſacrum inprimis volverat i. e. *Feralia* (II, 533 - 570.) in eum apte, quippe quibus finiretur *pie* annus, retulerat. Praebuit vero hoc opportunitatem Poetae inquirendi in *originem opinionis* hominum, *omne nefas* (II, 35) et vel *triſtia crimina caedis* II, 45) ritibus quibusdam expiatoriis, *flumineaque* nominatim *aqua*, (βαπτισμῷ. II, 46.) luſtrari aut veniam impetrare poſſe. Jam originem moris Graeciam facit, unde ad priſci aevi Romanos (II, 35 - 38) opinio vana iſta propagata fuerit. *Pelens* vero excitatur *auctor et exemplum primum* luſtrantis et luſtrati *ſic* poſt caedem commiſſam. II, 39-40.

Pelopeis, idis. A Pelope (Elidis rege circa annum a. C. n. 1423.) nomen acceperat *Peloponneſus* (ἡ νῆσος τοῦ Πέλοπος.), hodie *Morea* dicta et Turcis ſubjecta inſula; ab eodem aquae maris, inſulam hanc et Cytheren (Nunc *Cerigo* dictam inſulam.) interfluentes, vocantur: *Pelopeïdas undas* IV, 285. Qui quidem locus nexu cohaeret cum *catalogo locorum geographico*, quo via navis, qua Cybele navi impoſita a Peſſinunte Romam deducta eſt, enarratur.

Peliacus, a, um. „Sic petitur coelum: [indaganda rerum natura et frangendo vim propenſionum naturalium]: non, ut ferat Oſſan Olympus, ſummaque *Peliacus* ſidera tangat apex. I, 307 - 308. Vid. Ind. ſ. v. *Olympus, Oſſa* et *Pelion*.

Peligni, orum. „Pelignos, *natalia rura*, petebam. IV, 685. Cfr. 686. *Sulmo* nimirum, Pelignorum civitas, erat Poetae Patria v. 80, 81. Add. Triſt. IV, 10, 3. De Pelignis cfr. Caeſ. B. C. I, 18. Liv. XXVI, 11.

Pelion. Loc. claſſ. de hoc monte *minimo altitudine*, ſi comparetur cum Olympo et Oſſa, ut fecit Poeta I, 307 - 308. III, 441 - 442.), extat V, 381 - 382: „*Pelion, Haemoniae mons eſt obverſus in auſtros: ſumma virent pinu: caetera quercus habet.*" Haemonia vero eſt Theſſalia, hodie *Janina* Turcis dicta provincia. Cujus pars cum eſſet *Phthiotis* Achillis patria, videmus cur Achillis praeceptor Chiron *Centaurus* (de cujus aſtro l. l. ſermo eſt) eſſe potuerit, cum antrum montis Pelionis, ſaxo vetuſto, juſtus incoluiſſe ſenex memoretur. 2) Ab Homero *εἰνοσίφυλλος* vocatur h. e. ſi ſenſum epitheti ſpectaveris, nemoroſus. Vid. Odyſſ. XI, 315. A poetis propter loc. laud. fere ſemper poſtea cum *Olympo* et *Oſſa* conjungitur. Vid. Ind. ſ. v. *Olympus, Oſſa* et *Peliacus*.

Pelorias, adis, ſcil. ora v. terra i. q. Peloros ſ. Pelorus, i. e. Promontoriorum Siciliae trium illud, quod vergit ad ſeptentriones ſive in Italiam. v. not. ad IV, 479. Hinc *Boreas* anguſta ab ſede Pelori miſſus adeſt Trojanis. Virg., Aen. III, 687.

Angusta sedes est *fretum Siculum*. Boreas *missus* vero effecit, ut pertensam ab aquilone ad austrum oram Siciliae *orientalem* legerent. (a. v. 608 - 700.

Penates. Ceres orata a Celeo sene, rura possidente, ubi Poetae adhuc tempore *Cerealis Eleusin*, (IV, 507 - 508.) tecta ut subiret *qualiacunque* casae suae (v. 515 - 516) soporiferum colligit, *parvos initura penates*, papaver. (v. 551.) *Parvi penates* igitur simpl. pro domo parva, *casa exigua* (v. 526.) positi leguntur. Cfr. de verisimili caussa nominis Penatium proprie sic dictorum vocab. sq. extr.

Penetrale Numae. Tum — [Kal. Febr.] — *ad penetrale Numae* — caeditur bidens. II, 69 - 70. Illustrantur haec verba verbis loci. VI, 263 - 264: „Hic locus exiguus, qui sustinet *atria Vestae*, tunc erat intonsi *regia magna Numae*." Cfr. Obss. illustr. Intpr. ad utrumque locum. De *regia Romuli* vero vid. loc. III, 183 - 186. Add. Not. ad I, 199. Caet. *penetralis*, e, proprie est penetrans, ad intima perveniens. v. c. *frigus* ap. Lucret. Deinde i. q. intimus, a, um; ita ut *penetrale Numae* haud dubie proprie sit: penetrale domus aut regiae Numae h. e. intima regiae pars. Hinc Penates dicuntur *Dii penetrales* (Cic. d. N. D. II, 27.) quia in intima domo i. e. *in impluvio* sedem habebant suam.

Pergamum, *i*. Praeterita et praesentia ut *futura* vaticinantem Carmentam, Evandri matrem, *bis* induxit Poeta I, 515 - 538. VI, 539 - 548. Argumentum primi vaticinii fecit *magnitudinem Urbis imperiique Romani*. Quam, quippe fato decretam, cum *certissimam* fore intellexisset, laetabunda exclamat: *Urite victrices Neptunia Pergama flammae! — Num minus hic toto est altior orbe cinis?*" I, 525 - 526. Vid. Cfr. Ind. s. v. *Neptunius*. Caet. cum adventus Evandri et Carmentae in Italiam referatur ad a. M. c. 2730, excidium vero Trojae ad a. M. c. 2800, patet verbis laudatis *praesciam* excidii Trojae, *vere* post *vera* vitae sine tempora *futuri*, bene exhiberi.

Perfephone. Nomen hoc Proserpinae graecum occurrit IV, 462. 483. 485. Postquam opus suum pertexuerat Poeta ad d. 7. Apr. et ad hunc diem notatos *Cereris ludos* seu *Circenses Cereales* invenerat, (Vid. IV, 389. Quaeque de die ad h. l. disputavit illustr. Op. intpr.) *exigere locus ipse* visus est variaturo et variando gratum opus suum reddituro Poetae, *raptus ut virginis* (Perfephones.) *ederet* (Vid. l. l. v. 417.) Narrationis ipsius vero de raptu virginis longe maxima pars continet *errores Cereris filiam raptam quaerentis*. Vid. loc. a Libr. IV, 419 - 620. Caet. de nominis Φερεφόνης ratione argute disputavit Plato, in Cratyli sui Cap. 21. Verba maxume notabilia haec sunt: Τὸ δὲ μηνύει σοφὴν εἶναι τὴν θεόν. Ἅτε γὰρ φερομένων τῶν πραγμάτων τὸ ἐφαπτόμενον καὶ ἐπαΐον καὶ δυνάμενον ἐπακολουθεῖν, σοφία ἂν εἴη. Etc.

Perfis, *idis*. Cum ad d. 9. Januar. mactandus per Regem sacrorum Jano *aries* commemorandus esset, (I, 316 - 334.) atque hoc animal sacrificium anni novi *inter cruenta* Diis oblata *secundum fuisset*, opportune variavit et amplificavit Poeta locum *de Agonalibus*, h. e. sacris illis Jano factis, narratione de origine originisque caussis *cruentorum* sacrificiorum, (I, 347 - 356.) cum ante tamen *incruentis* iisque *ne pretiosis quidem* Deorum mentes hominibus conciliari potuissent. (I, 337 - 346.) Jam Persas *Soli* Deo *cruentum* etiam sacrificium et *equum* quidem obtulisse his refert verbis I, 385: *Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum, ne detur celeri victima tarda Deo*. Justin. I, 10: „Nam et Persae *Solem* unum deum credunt, eique *equos sacratos* esse ferunt." Xenophon vero de Cyro, splendidissima prodeunte e palatio pompa, ut sacra

faceret? Foribus regiae expansis, inquit, primum ducebantur Jovi tauri coronati — „Μετὰ δὲ τοὺς βοῦς ἵπποι ἤγοντο, θῦμα τῷ Ἡλίῳ — μετὰ δὲ τόδε, Ἡλίου ἅρμα λευκὸν (h. e. cui juncti erant *equi albi*) καὶ τοῦτο ἐστεμμένον“ —. Vid. Cyrop. VIII, 3, 12. *Caussam* vero, *cur* equos Soli mactaverint Persae, quam Poeta nolter reddidit, Herodotus Massagetis tribuit I, 216: Θεῶν δὲ μούνεν Ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσι ἵππους. Νόμος δὲ οὗτος τῆς θυσίης τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ, πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον ἐσόμενον.“ Cfr. Brisson. de regio Persarum principatu II, 1 - 11. De equo immolato nominatim agit Capp. 5. 6.

Phaedra. Thesei uxor, Hippolyti noverca, quae privigno huic suo, e caussa notissima, (Cfr. Ind. I. v. *Hippolytus*) exitit mortis origo. Quae quidem violenta mors occasionem praebuit loco VI, 735 - 762. Aesculapius nimirum arte sua postquam in vitam restituerat Hippolytum, ipse periit irati ictus fulmine Jovis. At Ophiuchi nomine inter sidera coeli receptus *per ortum sideris* ab ipso dicti, ad d. 20. Jun. commemorandum, loco laudato, ut jam monui, intertexendo opportunitatem praebuit. Nomen Phaedrae legitur v. 737: *Notus amor Phaedrae, nota est injuria Thesei* h. e. obj. Theseo facta etc. 2) Primam fati caussam, quo Hippolytus mortem invenerat, *iram* facit Dianes h. e. *Veneris* ob neglectum sui ab Hippolyto cultum V, 310 - 311. Add. III, 265. Qui quidem locus respicit cultum Hippolyti sub nomine Virbii in nemore Aricino.

Pharius, a, um. Commemorato ad d. 12. Jun. ortu Tauri (v. 603 - 604.) subjunctaque fabula, quae sideri nomen fecerit a 2 - 7. v. 605 - 618), his loco finem imposuit verbis v. 619 - 620: *Hoc alii signum Phariam dixere juvencam, quae bos ex homine est, ex bove facta Dea.“* Io in vaccam seu juvencam a Jove mutata cognomine *Phariae* notatur a Pharo insula, juncta ponte oppido Alexandriae *in Aegypto* (Hirt. B. Alex. 19.) Quae quidem insula cum, turri in commoda navigantium aedificata, *celebritatem nominis magnam* adepta esset, factum est ut nom. adj. *Pharius, a, um*, pro nom. adj. *Aegyptius, a, um* poneretur. Loc. class. de Pharo insula, deque situs insulae natura extat in Caes. Comment. de B. C. III, 120. Pugna navalis inter Franco - Gallos et Anglo-Britannos illis in locis commissa anno p. C. n. 1798, *et pugna ad Abukir* dicta, satis famosas nostris temporibus reddidit denuo regiones illas. Caes. Io, Inachi filia, (Argis, in Peloponneso, regnantis circa annos a. C. n. 1970-1859) *Aegyptia* vocatur, quatenus Osiridi postea nupsit et sub Isidis nomine ab Aegyptiis culta est. Quod vero attinet ad incertitudinem utrum signum Zodiaci rectius *Taurus* an melius *Vacca* dicatur cfr. loc. IV, 717 - 720.

Phasis, idis. 1) Flumen Colchidis exonerans se in Pontum Euxinum. [Jetzt *Fachs* oder *Rioni* in Mingrelien; ein schiffbarer Fluss mit einem türkischem nun russischem Fort am Ausfluss desselben ins schwarze Meer.] Hinc 2) i. q. *Phasias* i. e. Medea, Aeetae regis Colchidis filia. Quam *impia contaminatam* liberorum Jasoni ex ipsa susceptorum et Creusae, novae Jasoni nuptae, *caede* lustrasse Aegeus narratur II, 41 - 42: *Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus credulus immerita Phasida juvit ope.* Quo nexu *cum totius loci argumento* haec cohaerent vide pluribus expositum in Ind. I. v. *Peleus.*

Philippi, orum. Idus Martiae largam suppeditarunt materiem Poetae opus exornandi suum. Nam locus *de genitali Annae Perennae festo* ea celebrato die complectitur congeriem rerum, quarum digestarum varietas et suavitas, quanta ingenii felicitate poeta ea usus sit, satis monstrat. Locus pertinet a Libr.

III, v. 523 - 596. At eadem dies, quae gratissima semper inprimis plebi Romanae venerat, extitit a. U. c. 707. exitiosa Julio Caesari, et luctuosa atque funesta dehinc postea multis. Commemoranda igitur etiam erat *caedes Julii Caesaris facta* ea die. Quod ita fecit Noster a libr. laud. v. 697 - 710. ut singula paene verba probare studeret Augusto. Cujus quidem in gratiam ut se tanto magis insinuaret, pugnae *ad Philippos* exeunte a. U. c. 712. (a. C. n. 42.) factae *bis* ita mentionem fecit, ut documentum summae Augusti pietatis eam esse ostenderet. Nam α) III, 705 - 710: *At quicunque nefas ausi — morte jacent merita. Testes estote Philippi; —. Hoc opus, haec pietas, haec prima elementa fuerunt Caesaris: ulcisci justa per arma patrem!* β) De templo Martis *Ultoris* agens, quod bello Philippensi Augustus voverat (et de ludis in honorem *Ultoris* d. 12. Maj. celebratis) (V, 545 - 578.) ait v. 569 - 570: "*Voverat hoc juvenis tunc, cum pia sustulit arma. A tantis princeps incipiendus erat!*" Caet. *Philippi* in ea Macedoniae parte siti erant, quae olim ad Thraciam pertinebant.

Philippus (Marcius). Tempore Augusti Hercules restituerat templum, in quo *novem Musarum signa* stabant. Hinc VI, 801: *Sic ego. Sic Clio: clari monumenta Philippi adspicis* etc. Vid. Not. Matertera Caesaris Augusti nupta Philippo fuit v. 809. Jam cum *Marcia*, uxor Ovidii nostri, si non neptis certe tamen cognata Philippi esset, (v. 802.) patet inde Poetam nostrum cognatione etiam attigisse *Caesaream domum*. Hinc, uxore ab omni parte commendabili reddita a v. 801 - 809, in haec desinit verba v. 810: *O decus, o sacra femina digna domo!* — Quam cara sibi sit uxor propter *hanc* quoque causam, quippe qui noverit pretium statuere *cognationi tali* aut qui sciat *quantus honos* inde accedat ipsi, declarare haud dubie blanda illa formula voluit Poeta. Cfr. ind. s. v. *Marcia*.

Phineius, a, um. VI, 131: *Sunt avidae volucres; non quae Phineia mensis guttura fraudabant; sed genus inde trahunt* etc. H. e. striges Harpyiis similes. v. Not. Virgilius adsignat Harpyiis, „*Phineia postquam clausa domus mensasque liquere priores*" Strophadas sedem, insulas duas in mari Jonio, ante Zacynthum (hodie *Zante*) sitas. Vid. Aen. III, 210 - 213. *Phineus*, Palaephatus ait, fuisse Paeoniae, regionis Macedoniae, regem; cujus senis, et coeci facti, bona cum profunderent filiae Harpyiae, Zethum et Calain miserti senis, ejeciisse eas domo patris Thracumque quendam praefeciisse bonis ejusdem administrandis. Vid. Fab. XXIII. Cfr. Fisch. Not. Alia et plura dedit de Phineo et Harpyiis Apollod. Bibl. I, 9. §. 25.

Phocus. Aeaci, Aeginaetarum seu Myrmidonum regis et post fata apud inferos Plutonis *Claviger itemque Janitoris*, (Vid. Fischer. ad Aeschin. Axioch. seu Dial. III. §. 19. Not. 10.) *e Psammathe* filius. Frater germanus *at non uterinus* Telamonis et Pelei. Nam horum uterque patri *ex Endeide*, uxore priore, natus erat. Hinc fortasse ira et odium, quo ducti Phocum interemerunt. Proximam vero necis ejus causam Ovidius (Vid. Metam. VII, 477. XI, 267, 381.) ait extitisse, quod artibus equitandi, luctandi etc. eos vicerit. Reliqua vide in Notis ad locum Fast. II, 39 - 40. „*Actoriden* (Menoetium) *Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci caede per Haemonias solvit Acastus aquas.*" Quo totius loci cum sensu, copulata haec cohaereant vid. Ind. s. v. *Peleus*.

Phoebe. Hoc nomen Diana haud dubie hactenus tulit, quatenus est *in coelo* Luna, ut Apollo frater *Phoebus* vocatur, quatenus *in coelo* est Sol. Hinc III, 105 - 110: Quis tunc sense-

ferat — signa quae longo *frater* percenseat anno, ire per haec uno mense *fororis* equos? 2) Simpliciter pro *luna*, luna vero pro *nocte* positum legitur *Phoebes* nomen VI, 235-236: *Tertia Phoebe Lycaona removere fertur.* 3) Phoebus et Phoebe, Latonae liberi, quae propterea cognomen tulit *gemelliparae*, V, 542. 4) Quae in coelo Luna, ea *in terris* Diana, Dea venationis et virgo casta fuit. II, 155 - 174. Quo loco inter se permutata leguntur nomina *Phoebe*, (v. 163.) *Diana* (v. 155.) et *Cynthia*. (v. 159.) Cynthia a monte Deli, insulae maris Aegei, *Cyntho* dicta ut *Cynthius* Apollo. Erat enim *locus* utrique numini *natalis*. (Aliter tamen auctor Hymni in Apoll. 15 - 16.) β) II, 91 - 92: „Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion, tanquam *fraternis* (Apollinis) obstupuisse modis." Si *sensum*, qui verbis loci inest, quaeras, erit: Arion erat *magister artis Musices* suo tempore omnibus numeris absolutus s. *longe perfectissimus*, qui vel Dianam venatricem et in venandi studio *toto animo* occupatam morari arte valeret sua. γ) *Deliae* cognomen eandem ob causam ob quam *Cynthiae* habet v. 537: Oriona *comitem sibi Delia sumsit, ille Deae custos, ille satelles erat.* 3) Quae in terris Diana, ea *in locis inferis* Hecate erat. Fortasse *triplex* nomen Dianae et officium caussa potior est, cur *triceps* sive *triformis* exhiberetur, quam ea quae redditur I, 141 - 142: „*Ora vides Hecates in tres vergentia partes, servet ut in ternas compita secta vias.*" Cfr. Ind. s. v. *Hecate* Caet. Phoebe seu Diana est Nostro inter numina, quae vindictae studio indulgent et in iram prona sunt, si negligatur cultus eorum. Vid. V, 297 - 308.

II) *Phoebe.* Transitus Solis e Tauri in *Geminorum* signum ad d. 19. Maj. in Fastis notatus (V, 693-696.), *caussam sideris hujus* ut enarraret, invitavit Poetam. (A. v. 699 - 720.) Jam verba narrationis prima sunt v. 699-700: *Abstulerant raptas Phoeben Phoebesque sororem Tyndaridae fratres* h. e. Castor et Pollux. Pluribus illustratum vide locum a summe venerando Fastorum interprete ad v. 693 - 720. nominatimque ad v. 699. Exitus belli orti e violenta injuria, raptu, inter ipsas epulas nuptiales, quibus invitati intererant, ablatarum Lyncei et Idae sponsarum, *caussa* extitit Castori et Polluci *praemii non bene meriti*, quo in coelum recepti fulgerent *inter sidera.*

Phoebeus, a, um. Ars medica s. Medicina a Nostro *ars Phoebea* vocatur, quatenus Phoebus etiam παιὼν h. e. interpr. Hesych. *ἰατρὸς* habebatur et illo sub nomine colebatur. Nam παίω s. παιάω volunt idem fuisse quod θεραπεύω, curo. Jam Minerva etiam medicae arti praeerat. Hinc Medicos exhortatur quoque Poeta, ut Quinquatruum diebus (III, 809 - 810. V. Not.) muneribus colant hanc Deam, his usus verbis libr. laud. v. 827 - 828: *Vos quoque, Phoebea morbos qui pellite arte, munera de vestris pauca referte Deae.*"

Phoebus. I) Cum Solis nomine permutatum legitur hoc nomen I, 163 - 164: „Bruma novi prima est, veterisque novissima (dies) *solis*: principium capiunt *Phoebus* et annus idem." H. e. a speciosa solstitio hiberno, quo non ulterius *austrum versus* in coelo movetur sol, incipit *novitas anni.* (Providentiae argumentum inde repetitum a Socrate vid. ap. Xenoph. Mem. IV, 3. §. 8.) β) I, 651 - 652: *Capricorno, Phoebe, relicto,* (d. 17. Jan.) *per juvenis curres signa gerentis aquam.*" H. e. per Aquarium. γ) Phoebi nomine omisso *aetheritis* eum designat *equis* suis, transitum ipsius in pisces ad d. 16. Febr. commemorans II, 458. δ) Transitum vero Solis in arietis signum ad d. 22. Mart. his notat verbis III, 852: „*Hic* (Sol) *here Phrixeae vellera pressit ovis.*"

ε) Item transitum Solis in Tauri astrum ad d. 20. Apr. ita designat IV, 715 - 716: „E duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen, *Sol* abit: egresse *victima major* adest.“ — Quia res sit dubia *vacca sit an taurus* signum illud, (v. 717.) propterea *insolentiori* formula usus est in designando astro. — ζ) Tempus vero, quo Sol medius fere esse incipit inter Telluris globum et Geminorum stellas, ita ut oriantur cum Sole et occidant, ad d. 19. Jun. ita notat: *At mihi pande*, (Mercuri!) *in Geminos ex quo tempore Phoebus eat?* etc. Vid. V, 693 - 696. η) Tandem ad d. 19. Jun (v. VI, 725 - 726.) Solis accessum ad Cancri stellas refert, his usus verbis in hbr. laud. v. 727: „*Sol abit e Geminis et Cancri signa rubescunt.*“ II) Phoebus *Deus*. Cujus avis *corvus* et arbor *laurea*. II, 249. III, 139. (Hinc *Apollinea laurus* VI, 91.) Ad d. 14. Febr. notatus siderum trium *loco* continuatorum ortus, *corvi*, *crateris* et *anguis*, insipidam fabulam, qua *causa nominum* triplicis astri redditur, referre coegit poetam, quae fuerit *festum a Phoebo Jovi* paratum, et hac occasione a *corvo*, *cratera* aquis replere jusso, ficta de *angui*, qui fontes obsederit, excusatio morae. Propter quam ita increpuerit avem Deus: *Addis*, ait, *culpae mendacia*, *Phoebus*. — At audes *fatidicum* verbis fallere velle Deum? —. Jam in memoriam *poenae*, cui addixerit Phoebus corvum, (commemoratae III, 263 - 264.) anguem, (v. 266. hydrum. v. 257.) avem, (corvum) Craterа, *sidera juncta micare*. [Numerantur hodie stellae 595 in tribus his junctis astris. Hydra, quae capite *super* aequatorem elata est, transit capite *circulum* Lipsiae, quique fere idem est Romae Urbis etiam, *meridianum* primis Februarii diebus media nocte. Mense vero Martio tota, quanta est, porrecta patet in plaga coeli australi, *caput* in occidentem, *caudam* in orientis usque finientem protensa habens. Cfr. Rüdigeri Kenntn. d. Himmels. Lips. 1805. p. 116 - 119. Aeri vero incisum Hydri cum Cratere et Corvo signum *bis* exhibuit Meisaner in Tabb. XXIII et XXXIV Operis inscripti: Astron. Hand-Atlas zu Rüdig. Kenntn. d. Himmels. β) Quinquatruum minorum, a *tibicinibus* solis, feriantibus tum, d. 13. Jun. celebratis, (VI, 651 - 710.) occasione, ubi de inventa a se at abjecta *tibia* Minervam dicentem fecerat v. 695 - 702. Marsyae Satyro per eam de humo susceptam parata trissia fata refert his verbis v. 707 - 708: „*Provocat* (arto tibiam inflandi *superbus* Marsyas) *et Phoebum. Phoebo superante pependit; cacsa recesserunt e cute membra sua.*“ Verum discs de hac re e Xenoph. Anab. I, 2, 8. γ) Aesculapii e Coronide Nympha nati pater. I, 291. Fulmine a Jove, ob causam enarratam VI, 733 - 762. ictum filium ut *Deum* faceret Jupiter, impetravit a *suo* patre h. e. a Jove ipso v. 760 - 761. utque adeo inter astra relatus *Ophiuchi* nomine in coelo fulgeret. Vid. v. 735 - 736.

Phoenissus, *a*, *um*. Terminatio nom. adj. graeca usitatior tamen quam altera *Phoenicius*, *a*, *um*. Sic a terra, quae quondam ipsi patria fuerat, Didus soror Anna adpellatur III, 585: „Jactatur tumidas *exsul Phoenissa* per undas.“ Pertinet ad eam locus III, 545 - 656. Vid. Ind. s. v. Anna.

Pholoë. Mons Arcadiae cum oppido. Sunt verba Plin. H. N. IV, 6. *Lupercalium* expositurus originem et ritus II, 267 - 452. repetit ea sacra a *Panos cultu* ab Evandro in Italiam translato. Vid. v. 279. Cfr. V, 91 - 102. Pana vero, qui post translatum sui inter Italos cultum unusidemque esse coepit cum *Fauno* Deus, Arcadum quodammodo *proprium* aut certe *tutelare* fuisse numen ut evinceret Poeta, *per congeriem* seu συναθροισμὸν ornatum loca *fere* Arcadiae *testes* excitavit, Pholoënque montem ordine *pri-*

mum esse jussit, quo confirmaret sententiam suam. II, 272 - 276.

Phrygia. Plinius in Hist. Nat. (V. 32.) hujus Asiae minoris provinciae fines ita descripsit: „*Phrygia Troadi superjecta populisque a promontorio Lecto* [Cfr Liv. XXXVII, 37.] *ad flumen Eteleon praedictis* (Mysiae) *septentrionali sui parte Galatiae contermina, meridiana Lycaoniae, Pisidiae Mygdoniaeque, ab Oriente Cappadociam attingit.*" Oppida Phrygiae celeberrima facit idem auctor l. l.: *Ancyram* (hodie Angora, capellarum ab hoc oppido dictarum capillis nunc nobilitatum nomen.) *Andriam, Celaenas, Colossas, Carinam, Cotiaion, Ceranen, Iconion, Midaion.*" Caet. haec maxumam partem ad Phrygiam *majorem* pertinent. Quae sequuntur Poetae loca ex parte *Troada* et *minorem* spectant Phrygiam. *Megalesia,* in honorem *Phrygiae matris* (II, 55.) h. e. Cybeles d. 4. Apr. celebrata, inprimis caussa extitere terrae illius commemorandae. (Locus de sacris his extat IV, 179 - 372.) Saeculum nimirum ab Urbe condita *quintum* iam praeterierat, (Libr. laud. v. 255 - 256.) cum Romani libris Sybillinis moniti proceres mitterent in Phrygiam (Ibid. 257 - 265.) legatos, qui Romam deducerent Deam. Jam sequuntur verba v. 265: „*Phrygiae tum sceptra tenebat Attalus.*" Qui quidem Attalus *primus,* Pergami proprie fuit *rex,* regnavitque ab anno a. C. n. 242 — ad annum aerae ejusdem 198. Quod autem addit Noster l. l.: „*Ausoniis rem negat ille viris*; finxisse videtur, ut rem miraculo stupendo in Romanorum gratiam tanto magis extolleret. (v. 267 - 272.) Nam Livius (XXIX, 11, 7.) haud cunctanter, nec reluctanti aut refraganti animo, Attalum legatis lapidem tradidisse ait. Item Herodian. I, 11: πέμψαντες δὲ (οἱ Ῥωμαῖοι.) πρέσβεις εἰς Φρύγας, τὸ ἄγαλμα ᾔτουν. Ἔτυχον δὲ ῥαδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι (Noster v. 272: „*In Phrygios Roma refertur avos.*") καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες. (Cfr. verba v. 251 - 254.) Reliqua vide in Notis ad omnem de Megalensibus locum supra laudatum.

Phrygius, a, um. 1) Aedem Augustus in monte Palatino *Phrygiae* posuit matri. Vid. Not. ad II, 55. 2) IV, 79 - 80: „Hujus (Aeneae) erat Solimus, *Phrygia* comes exsul *ab Ida,* a quo Sulmonis moenia nomen habent." 3) Eod. libr. v. 219 - 222. At cur turrita caput (Cybeles) est ornata corona? An *Phrygiis* turres *urbibus* illa dedit? Annuit." Scil. Erato Musa. 4) Eod. l. v. 272: Attalus rex „*proficiscere, dixit;* (O Dea!) nostra eris. *In Phrygios* (enim) Roma refertur *avos.*" 5) Ibd. v. 361 - 362: Cur igitur Gallos, qui se excidere (Phrygii, sacrorum Cybeles Romae quoque ministri) vocamus? cum tanto *Phrygia (humo)* Gallica distet humus? Cfr. Ind. s. v. Gallus.

Phryx, ygis. *Phryx puer* Attin vocatur IV, 223. Fata Attinis hujus refert a vers. laud. ad vers. 242. 2) *Phryx pius* h. e. Aeneas v. 274. Verbis loci a v. 273 - 273: „*Protinus innumerae caedunt pineta secures illa,* (Idae montis) *quibus fugiens Phryx pius usus erat*" repugnant verba Livii, qui (XXIX, 11.) non modo disertis ait verbis „legatis quinque decretas fuisse naves quinqueremes; sed subjungit etiam caussam hanc:" ut *ex dignitate* populi Romani adirent eas terras, *ad quas concilianda majestas nomini Romano esset.*

Phrixeus, a, um. (Vide, antequam accedas ad ea, quae sequuntur, Ind. 8. v. *Phrixus.*) Solis transitum e signo piscium (II, 458.) in arietis signum hoc novo verbis expressit modo III, 851 - 852: „*Nunc potes ad solem sublato dicere vultu: Hic here Phrixeae vellera pressit ovis.*" Retulit verb. eum ad d. 22. Mart. *Caussam* formulae subjunxit a v. 853 - 876. 2) Cybele

a Romanis a. U. c. 549. *Pessinunte* (vid. de hac urbe loc. classs. ap. Herodian. I, 11.) Romam translata „*per aquas fertur tutissima nati*;" (Neptuni. Aquas vero sunt ponti Euxini, Bosperi Thraciae et Propontidos, hodie *Mar di Marmora* dictae) *longaque Phrixeae stagna sororis adit* etc." IV, 277 - 278. H. e. Hellespontum, hodie *dis Dardanellen* dictum. *Longum Hellespontum* simpl. dicit v. 567.

Phrixus. Athamantis Thessaliae regis e Nephele natus filius, Helles, quae casu suo *Hellesponto* dedit nomen (III, 870.), frater, Inonis privignus. Qua *fraude impia* Ino noverca circumvenerit Hellen et Phrixum, privignos, ut e medio tollerentur docet Poeta III, 853 - 862. Quam quidem fraudem factam relpexit II, 628. Quo loco cognatos sibi caros Caristiorum die, h. e. d. 19. Febr., precari jubet: „procul hinc, procul impia esto — *quae ruricolis femina cosla dedit.*" Quo vero modo subduxerit instanti vitae periculo liberos suos Nephele mater atque e media *Thebarum* urbe eripuerit narratur a v. 863 - 878. *Fraterni erga fororem amoris adfectus et effectus* inprimis bene declaravit Poeta v. 870 - 873. Quae *jactati et gaudendi adeo* de casu sororis misero *materies* esse poterat ignorabat enim v. 874. Reliqua Phrixi in Colchida ad Aeeten delati et hospitio benigne excepti etc. fata praeteriit Noster. Vid. scriptt. ab Edit Fastor. illustr. laudat. ad III, 851.

Pieris, idis. Scil. virgo aut Musa. IV, 222: „*Ut tacui, Pieris orta* (est) *loqui.* Haec Pieris nominatim est *Erato* v. 195. Nam *neptes* quidem *Cybeles* ut adessent sibi *omnes*, Deae sacra canenti Cybeleiae, *rogaverat*, ut impetraret hoc sibi, *aviam* neptium Poeta v. 191 - 192. Interrogaverat etiam *Heliconis alumnas omnes*, quae resciscere cupiebat v. 193 - 194. At cum in Aprilis, mensis a *Venere* dicti dies inciderent Cybeles sacra, Erato *sola* ad quaestiones a Poeta propositas relpondisse fingitur. Nam „*mensis Cytheretus*, h. e. Aprilis, „*illi cessit, quod teneri nomen amoris* (Ἔρωτος ab ἐρᾶν amare.): *habet.*" 2) II, 279: *Dicite, Pierides, sacrorum* (Fauni s. Panos h. e. Lupercalium) *quae sit origo* etc. — Utrum nomina sumserint a Pieri Macedonis novem filiabus a se victis (Ovid. Met. V, 302 - 678.) an a Thessaliae monte *Piero* etc. lis sub judice manet.

Pilanus, i. Occupatus in eo Poeta, ut ostenderet Romulum, anni Latii conditorem primum, partim ex inscitia rerum *quae in coelo fiant.* [Astronomiae.] partim ex reverentia *numeri denarii*, descripsisse in menses *decem* (III, 99 - 134.) annum suum, notas propositi plures, e quibus illa numeri denarii reverentia, (v. 122.) cujus idem *caussas* subjunxit, (v. 123 - 126.) adparere possit. Quas quidem inter notas etiam haec est, quod e trium tribuum singula secreverit *mille* milites peditum in *decem* ordines seu *centum denos in orbes* divisos, quos *Pilanos* dixerit. (v. 129.) *Pilanorum* vero pars fuere *Triarii* [„milites veteranus spectatae virtutis" Liv. VIII, 8. §. 8. Atque idem l. l.: *Hastati* omnium primi pugnam imibant. — Tum *Principum* pugna erat —. *Triarii* sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, (*genu dextero innixi.* Vid. eod. libr. cap. IX, extr.), scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus, quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prospere esset pugnatum a prima acie ad triarios signum referebantur. Inde *rem ad triarios rediisse*, quum laboratur proverbio increbuit etc. Vid. Liv. l. l. *Pilanorum* vero nomen non *Triarios* solos (ut Schellerus putavit. Vid. Lex. s. v. *Pilanus.*) sed *Rorarios* etiam et *Accensos* habuisse patet Livii loc. laud.: Hoc, inquit, triginta manipulorum agmen (*Hastato-*

rum et *Principum.) Antepilanos* adpellabant, quia sub signis (num *pilis* an *vexillis?*) jam alii quindecim ordines locabantur. Ex quibus *ordo unusquisque tres partes* habebat. Trium vero partium harum, addit, *unamquamque* primum pilum vocatum fuisse, quorum quisque *tribus ex vexillis* constiterit, primum duxisse *Triarios*, secundum *Rorarios* tertium *Accensos*. Hinc *primus pilus* saepe pro *primi pili vexillo primo* h. e. pro *Triariis* poni videtur.

Pilum. „Hastile ligneum trium cubitorum fuit, ferro ejusdem longitudinis ita praefixum, ut ferrum in medio hastili incideret.“ Vid. Polyb. VI, 21. „Ferrum pro temporum diversitate trigonum et pedale fuisse.“ Veget. de R. M. I, 20. Debeo haec loca praeceptori quondam meis laudibus non commendando v. Moro in Ind. ad Caes. Commentarios. 1) Inter *quinque* notas, quibus Poeta noster ornate extulit sententiam: *bella diu tenuisse Romanos*, haec etiam legitur I, 699; *versique in pila ligones* — erant. Contra meliorum temporum inter indicia est ap. Virg. Geng. II, 495: „*Quum* — agricola, incurvo terram molitus aratro, *exesa inveniet scabra robigine pila* etc. 2) inter signa quatuor, quibus hoc sibi voluit Poeta, *Si militia non fungor*, aut: *si Eques equo non mereo in bello*, posuit primum II, 11: „*Si mihi non valido torquentur pila lacerto.*“ (Cfr. IV, 383 - 384. 3) Artibus belli, non pacis, deditos unice fuisse olim Romanos ante Graecos ab iis victos his declarat verbis III, 104: „*Mittere qui poterat pila, difertus erat.* H. e. Eloquentiae ars plane ignota erat Romanis; at, quo dignus honore nunc habetur qui ea valet, eo bonus armis habebatur olim.

Piraeus, a, um. Ceres, communicata ea Triptolemo puero ingenii dote Eleusini aut Celei patris in domo. (Nam *Eleusinum* patrem nominat Hygin. Fab. 147. it. 225.) qua quondam *agriculturae* primus artem a se inventam doceret, aligero sublata curru atque sic per aërem draconibus vecta Sunion — „*Piraeaque tuta recessu linquit et in dextrum quae jacet ora latus.*“ IV, 563 - 564. Notandus videtur error constructae formulae: *linquit et in dextrum quae jacet ora latus.* Nam accuratius scripsisset Poeta: *oram* quae etc. Constat tamen saepius sic loqui Poetas, ita ut subintelligendum sit pron. *eam*. Quae jacet ora etc. — *eam* linquit. Post *Piraea* supplendum est aut *loca* aut *litora*. (Quod additum legitur Met. VI, 446.) *Piraeum* vero proprie nomen pagi et vici fuit, juxta quem portus notissimus Πειραιεύς, XL stadiis ab ipsis Athenis occidentem versus remotus. Hodie *Porto Leone*, qui hodienum aditur per sinum dictum *Golfo d'Engia*.

Pisces, ium. Sunt inter duodecim Zodiaci signa, quorum conspectum Sol, in speciosso suo ab occasu versus ortum motu annuo, oculis aliud post aliud subtrahit. Utrumque vero ejusdem nominis astrum in parte globi coelestis *boreali* situm est, ita ut distinguendum sit a *Pisce notio* proprie sic dicto seu *magno*, stella primi ordinis, *Fomalhaut* dicto, notabili. Qui quidem piscis a Poeta nostro *nuspiam*, a Virgilio vero commemoratus est. Vid. Comment. illustr. Mollweide laudat. in Ind. s. v. *Pleias*. Qui nostro *australis* seu νότιος est, proxime abest ab aequatoris circulo, supra tamen et ipse quoque in *borea* globi parte positus. Ortus ejus et occasus *verus* h. e. qui in ipso solis orientis aut occidentis articulo fit, *hodie* incidit in dies, quae proxime praecedunt solis transitum in punctum aequatoris, quo definitur *aequinoctium vernum* h. e. ♈. A quo quidem puncto aequatoris hodierno proxime *occidentem* versus abest piscis *australis*. Alter vero ultra circulum per punctum aequinoctii verni ductum

h. e. Colurum ejus positus et remotior a circulo, aequante dies et noctes septentrionés versus oculis patet. Jam his praemissis faciliora intellectu spero fore loca Poetae, quae pertinent ad *Zodiaci pisces*. 1) II, 457 - 458: „Jam (d. 16. Febr.) levis obliqua subsidit Aquarius urna. *Proximus* aetherios excipe, *Pisces*, equos" scil. Solis. Ornatu poetico si exueris locum, sententia simplex erit: Sol adit piscem, qui proxime abest ab Aequatore d. 16. Febr. Exinde jam patet, quod e doctrina de praecessione aequinoctiorum annua (v. Bode's Sternk. §. 216 - 226.) constat, quae nostro quoque loco confirmatur *toto fere mense* serius solem hodie adire lineas rectas, quibus subsit et *ipse sol* in *australi* adhuc globi coelestis parte positus et *piscis* in borea ejusdem parte situs, seu distans hic *ab Aequatore* Septentriones, ille austrum versus. 2) III, 399 - 402: „Tertia nox emersa tuos ubi moverit ignes; *conditus e geminis Piscibus alter erit. Nam duo sunt: Austris hic est, Aquilonibus ille proximus: A vento nomen uterque habet.*" Tertia nox est, quae sequitur d. 3. Mart. *Alter* ille *conditus* est haud dubie extra Zodiacum positus *Aquilonibus proximus*. Nam occultatur serior solis occidentis luce, quippe qui vergat magis in Orientem quam alter. Caveas igitur tibi ab erronea interpretatione pronominum *hic — ille*. 3) Quod attinet ad verba II, 459: „*Te* [Piscem in Zodiaco et intra circulos tropicos] *memorant fratremque tuum (nam juncta micatis signa)* etc. ad *σύνδεσμον τῶν ἰχθύων* pertinent. Vid. Not. ad v. 457 sqq. II) Cur *gemelli* (II, 471.) seu *gemini* (III, 400.) sint, docuit Poeta e *mytho*, unde prisca aetas repetiit causam, cur inter sidera coeli recepti sint II, 459 - 474. Quo tempore nimirum Typhon (Cfr. de hoc monstro Hom. Iliad. II, 782 sqq. Noster I, 573 - 574. IV, 491.) Deos fugaverat ipsos, *pisces Euphratis gemellos* Venerem cum Cupidine parvo a Typhoeo Gigante ita tutos praestitisse, ut tergis matrem cum filio sustinuerint et avexerint. Pro quo bene facto sidera munus accepisse feruntur. II, 472. Quod vero observat Poeta v. 473 - 474: „*Inde nefas ducunt genus hoc* (i. e. pisces) *imponere mensis Syri*" idem confirmat Xenoph. Anab. I, 4, 9: *Μετὰ δὲ ταῦτα Κῦρος ἐξελαύνει — ἐπὶ τὸν Χάλον πόταμον — πλήθη ἰχθύων μεγάλων καὶ προβάτων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀθύτους οὐκ εἶων.* Caussae huic secundae, cur ab esu piscium abstinuerint Syri, tertiam subjunctam vide in Notis Zeunii ad l. l. Cfr. Scriptt. ibi laud. III) Inter indicia victus luxurioši est Nostro esus quoque piscium VI, 173: „*Pisces adhuc illi populo sine fraude natabat.*" Ille populus vero sunt Latii incolae, temporibus *Cranes Janique* vitam agentes.

Pistor. Cognomen *Jovis*. In Capitolii arce extabat *ara Jovis pistoris*, celebratior, ut ipse ait Poeta, nomine quam pretio. VI, 349 - 350. *Candida* h. e. marmorea erat ara ista. Eod. libr. v. 394. Suppeditavit Poetae *caussa cognominis* et *caussa* aram Jovi sub cognomine laudato positae largam materiem copiosa adparatu exornandi *partem historiae Romanae memorabilem* de Gallis Capitolium obsidentibus et Romanorum *calliditate*, qua, fame laborantes, tamen effecerint ut Galli desperarent vinci posse *fame* obsessos a se et in Capitolio inclusos Romanos. *Callidum istud inventum* cum non humani sed *divini* ingenii esse videretur, Diis opem sic sibi laturis acceptum se debere crediderant posteri. Atque hanc inprimis opinionem suam in rem convertere studuit Poeta. Vid. loc. laud. a v. 351 - 394. Eod. libr. v. 317 - 318: „Inde focum servat *pistor* dominamque focorum (Vestam — Ἑστίαν) et (asellam) quae pumiceas versat asella molas." Quoniam nimirum olim

panem focus ipse parabat v. 315. Caet. *pistor* fuerat olim servus qui in mortario *pinseret*, aut in pistrino moleret far, ut farina fieret. Deinde servus qui *farinam subactam aquis* etc. *coqueret*. Unus idemque vero utrique negotio praeerat, aut potius utroque labore molesto fungebatur.

Plautius. Fautor tibicinum, collega Appii Claudii, secundum Pighii et Heinsii conjecturas. Effecit a. U. c. 443. ut tibicines, qui ex Urbe Tibur recesserant, restituerentur. „*Plautius, ut possent specie numeroque Senatum fallere, personis imperat ora tegi et in longis vestibus ire jubet — ne forte notentur contra Collegae jussa rediisse sui.*" VI, 685 - 690.

Plebs, is. Tertii ordinis cives ita ut opponantur *Senatorii* et *Equestris* ordinis civibus. II, 127 - 128: „*Sancte Pater Patriae, tibi Plebs, tibi Curia nomen hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*" 2) III, 665 sqq.: *Plebs vetus et nullis etiamnum tuta Tribunis fugit et in sacri vertice montis erat* etc. Syn. v. 671: *populus* i. e. populi illa pars, quae *plebejorum* constituebat *ordinem*. 3) Annae Perennae Festo d. 15. Mart. celebrato „*Plebs* venit ac virides passim disjecta per herbas potat et accumbit cum pare quisque suo, etc. III, 525 - 526. 4) „*Plebs colit hanc.* (Fortunam Fortem) *Quia, qui posuit*, (templum F. F. h. e. Servius Tullius.) *de plebe fuisse fertur et ex humili sceptra tulisse loco.*" VI, 781 - 782. Cfr. Ind. s. v. populus.

Pleias et *Plias, ados*. I) Taurus cum sit inter Zodiaci signa, quae per motum Telluris annuum circa Solem, qua specioſus hujus ab occasu ad ortum motus circum sphaeram coelestem omnem efficitur, adiri, subiri et transiri a Sole semel anno quoque videntur, sequitur exinde, *Hyadum* (De quibus v. Ind. s. h. v.) et *Pliadum*, de quibus jam agendum erit, ortus et occasus in idem *fere* tempus incidere, quo *Taurus* oriri et occidere dicatur. Constituit enim utrumque sidus *partes* corporis Tauri, quippe cum illud *in fronte* hoc vero *in dorso* (Plin. in H. N. II, 41: *in cauda Tauri*. Male!) Tauri positum sit. Colligi recte igitur ex his poterit haudquaquam dissimile veri esse opinionem eorum, qui Pliades nomen accepisse statuant a πλεῖν navigare. Tempus enim navigationi opportunum incidit in tempus, quo Sol adit Taurum (IV, 715 - 720.) atque ipsas adeo quoque *Pliadas* h. e. mense *Aprili*. Confirmatur haec sententia loco Poetae memorabili V, 599 - 604. Nam l. l. d. 14. Maji Taurus capite, d. 15. Maj. vero Pliades oriri dicuntur, quorum quidem ortus *aestatis adesse initia* nunciet. Caeterum innotuerat jam sub hoc nomine Homeri aetate conglomeratus hic stellarum nitide micantium chorus. Nam Vulcanus, Thetidos cedens precibus, Achilli clypeum fabricatur, cujus in area — — ἔτευξε — τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται, Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε etc. Vid. Iliad. XVIII, 485 - 486. Ulysses vero, insula Calypsus relicta, gubernaculo docte navim rexisse narratur ἤμενος· οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε Πληϊάδας τ' εἰσορόωντι etc. Vid. Odyss. V, 271 - 272. Scienter Poeta sic ὥρην χειμερίην (v. 485.) etiam designavit. Nam Tauri signum a Sole, ulterius in Coelo orientem versus promotum, relictum sub finem *mensis Augusti* hodie ante Solis ortum denuo supra finientem cardinis coeli ortivi emersum mane conspectui patere incipit; sub initium vero *mensis Decembris* circulum Lipsiae meridianum transit. [Regio vero, ubi Poeta innavigantem mari mediterraneo Ulyssem finxit, parvo a Meridiano Lipsiensi spatio *ortum versus* distans erat.] Jam ab hac nostri temporis ratione multum recedebat ratio tempore Virgilii. Nam ortum

lucidae Pleiadum (Alcyones s. stellae η.) in dorso Tauri *verum* tum incidisse in XI. Kal. Jun. (d. 22. Maj.) sole occupante locum 28°1′ Tauri, occasum autem matutinum *verum* evenisse sole versante in 3°5′ Scorpionis h. e. IV. Kal. Nov. (d. 29. Octbr.) rationibus subtilissimis ex ipsis Astronomiae penetralibus repetitis demonstravit illustr. Mollweide in Comment. philologico-astronomica *de Pisce, quem occidens Pleias fugit* ad explic. loc. Virg. Georg. IV, 231—235. (Lips. 1811.) Disci caeteroquin omnino potest e viri doctissimi disputatione, qua *disciplinae*, et e Segneri ab eo (p. 5,) laudati libro, (Astronomische Vorlesungen §. 361 sqq.) qua *experimentorum*, ope globi arte facti, via loca Veterum et scripta astronomica explicari debeant. Addere jam liceat hoc: ut Homerus per Pleiades nocte in coelo micantes tempora simul innuerat *seriora* auctumni, ita Livius *per occasum notatum* earundem significat: *sub ipsa hiemis initia* Hannibalem Alpium transcendisse juga cum exercitu Libr. XXI, 35: „*Fessis taedio tot malorum, nivis etiam casus, occidente jam sidere Vergiliarum*, (h. e. Pleiadum) *ingentem terrorem adjecit.*“ Cfr. Cap. 54: „*Erat forte brumae tempus et nivalis dies* etc. Virgilius vero in loco supra laudato habet v. 234-235: *Aut* (tempora messis h. e. messationis) *eadem* (Plias) *sidus fugiens ubi piscis aquosi, tristior hibernas coelo descendit in undas.*“ Plinius in Hist. Nat. II, 47: „*Vergiliarum occasus hiemem inchoat; quod tempus in III Id. Nov.* (d. 11. Nov.) *incidere consuevit.*“ Idem XVIII, 25: „*At ab aequinoctio eo* (h. e. auctumni) ad brumam, *Vergiliarum matutinus occasus hiemem* inchoat *die quadragesimo tertio.*“ Ibd. „Ab aequinoctio verno (d. 24. Mart. Vid. Fast. III, 877-878.) initium aestatis die quadragesimo octavo. *Vergiliarum ortus matutinus.* (d. 10. Mai.) Id. XVIII, 29: „Namque *Vergiliae* privatim attinent ad fructus; *ut quarum exortu aestas incipiat*, (Cfr. Fastor. loc. supra laud. IV, 599-605.) *occasu hiems*; semestri spatio intra se messes vindemiasque et omnium maturitatem complexa.“ Id. eod. libr. 25: „Nos incipiemus *a sementibus frumenti*,“ hoc est Vergiliarum occasu matutino.“ Paulo post: „Xenophon (fruges serendas esse praecipit) non antequam Deus signum dederit.“ Hoc Cicero *Novembris imbre* fieri interpretatus est, cum sit vera ratio non prius serendi, *quam folia coeperint decidere.* Hoc *ipso Vergiliarum occasu* fieri putant. [Quae quidem duo loca cfr. cum loco Poetae nostri *de semente peracta* I, 657-704. Add. Ind. s. v. *Paganalia.*] Praetermissis Plinii *de Vergiliis seu Plejadibus* locis, aliorum auctorum de iisdem loca copiose congesta laudavit Fischer. in Ind. Aesch. s. v. Πλειάδες. Cfr. Heyne et Voss ad Virg. Georg. I, 138 et 221. Caet. hanc in coelo notabilem Vergiliarum catervam (Plin. H. N. XVIII, 27 init.) separatim aeri incisam invenies in Tab. XXXVII. Op. inscr. Astronomischer Hand-Atlas zu Rüdigers Kenntn. d. Himmels. (Lips. 1805.) Sermo patrius notat et distinguit hoc sidus ab aliis nominibus: *Das Siebengestirn* oder *die Gluckhenne.* Poeta noster *astronomice* ita laudavit Pleiadas, ut *inter summae artium ingenuarum insitiae* notas hoc ponat III, 105: *Quis tunc*, Remuli aetate, *aut Hyadas aut Pleiadas Atlantes* sensurat? *Mythologice* saepius de iis egit. *Occasum vespertinum* sive *heliacum* oculis spectabilem (quem cum Segnero illustr. Mollweide dici mavult *occasum postremum.* Vid. §. IV. Disp. laud.) inter memorabilia d. 2. Apr. posuit his usus verbis IV, 165-170: „*Nox ubi transierit* α) *coelumque rubescere primo coeperit et* β) *tactae rore querentur aves*; γ) *semustamque fa-*

cem vigilata nocte viator ponet et 3) ad solitum rusticus ibit opus; Pliades incipiunt humeros, relevare paternos; quae septem dici, sex tamen esse solent." Si verba loci ipsa perpenderis, non nisi de Pliadum *ortu matutino* paucis diebus ante facto capi locus posset, quo conspicuae factae Pliades per horae vix unius spatium, sole mox ortas subsequente h. e. et ipso oriente, iterum delitescunt. At talia nonnisi calculo conficiuntur, quo temporum praeteritorum rationes cum praesentium ratione contuleris. Me igitur doctioribus ea indaganda et invenienda relinquo. II) Jam quod *ad Mythum* de Pliadibus attinet, Oceanum avum Tethyda aviam, Pleionem matrem Atlanta vero patrem habuisse ferebantur. V, 81 - 84. De Oceano et Tethyde cfr. v. 21 - 22. Septem *numero* cum essent, quorum *nomina* recenset Poeta IV, 170 - 178. una, Merope, Sisypho *mortali* nupserat, reliquae in amplexum venerant Deorum immortalium. Ex septem illis inter sidera relatis item *una*, incertum quae, abscondita latet. Ibd. v. 170. 175 - 178. (Opticorum ope instrumentorum hodie plus quam 120 stellae apparuere in consociata conspicuarum septem Pleiadum caterva.) Celeberrimum nomen, inter illas Plejones et Atlantis filias, nactae sunt *Electra* et *Maja*. Nam *Electrae Atlantidis* et Jovis filius, *Dardanus*, stemmatis regum Trojae conditor et auctor fuit. IV, 31 - 32 sqq. Unde Poeta *gentis Julinae* atque adeo Caesarum originem repetiit. IV, 19 - 22. Cfr. v. 124. *Maja* vero sororum suarum ut natu maxima [Vid. Apollod. III, 10.], ita formosissima cum Jove rem habuit peperitque in eodem, quo mater ipsam cum sororibus enixa erat, monte, qui Arcadiae altissimus erat, h. e. in monte Cyllenes, *Mercurium*. V, 85 - 88. Qui quidem l. l. matrem quidem ita coluisse narratur, ut mensem *Majum* ejus nomine dixisse a multis putaretur; (v. 103.) matris vero sorores cum ipsa matre, ut *propter earum humerum* septenis lyras intenderit chordis. (v. 105 - 106.) Patet jam, cur alloquatur Mercurium Poeta his verbis V, 447: *Pleiade nate! Clare nepos Atlantis, ades! quem montibus olim Arcadis edidit Pleias una Jovi.* Item eod. libr. v. 663 - 664.

Pleione. Pleiadum mater, Atlantis uxor, Oceani et Tethyos filia. V, 81 - 84.

Pollex, icis. Arion Lesbius ex Italia aut Sicilia rediturus in patriam a nautis, qui propter opes ab artifice *lyra canendi arte* quaesitas de eo interficiendo conjuraverant, veniam sibi expetit sumta lyra, antequam interficeretur, pauca ut referret. Qua impetrata „*Reddidit icta suos pollice sonos.*" II, 108. Cfr. Not. Sic Tibullus II, 5, 3: *Phoebe! — „Nunc te* (precor) *vocales impellere pollice chordas.*" 2) Inter ritus, quos superstitiosus peragit Lemurium diebus non continuis, a d. 8 aut 9. Maj. (V. 419 - 420. Cfr. v. 417 - 418.) tamen fieri coeptis, est hic quoque v. 433 - 434: „*Signaque dat digitis medio cum pollice junctis; occurrat tacito ne levis Umbra sibi.*"

Pollio (Vedius.) Immensa viri domus, quam Romae aedificandam sibi curaverat, quo ambitu fuerit cognosci poterit e verbis loci VI, 640 - 646. Omissa viri mentione, de quo egit illustr. Op. imprr. in Not. ad l. l., Augustus laudatur qui, quamvis aedium scriptus haeres, tamen Censor in tale noxium luxuriae exemplum animadverterit subvertendo et solo aequando insanas illas operum moles.

Pollux. Transitus solis in Zodiaci *Geminorum* signum d. 19. Maj. (Vid. V, 693 - 696.) ansam praebuit Poetae canendi *cautam signi* h. e. suprema Castoris et Pollucis facta et fata V, 697 - 720. Pollucem Helena soror Πυξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα Priamo laudat Iliad. III, 237. Hinc simpl. *Pu-*

gil a Noſtro l. l. v. 700. ab Horat. vero *nobilis ſuperare pugnis* laudatur. v. loc. in Not. laud. Ex Homeri loco modo excitato patet: 1) fuiſſe fratres utrumque Helenae *uterinos* (τώ μοι μία γείνατο μήτηρ. v. 238.) 2) vixiſſe utrumque tempore belli adhuc Trojani. 3) Non interfuiſſe bello „αἴσχεα δειδίότες καὶ ὀνείδεα πολλὰ ἃ μοι ἐστὶν." Quae ſunt verba Helenae ipſius, nativi animi candoris et ingenuae ſimplicitatis ſigna haud ambigua. Caet. Pollux *ſolus*, ultor auſus fieri fratris interemti, Jovi dignus viſus, qui inter coelites reciperetur, longe vero dignior coeli honore factus *fraterni amoris ſenſibus*, quorum interpres egregius extitit Poeta noſter a v. 715-719. Inter aſtra relatus uterque ortu ſuo nautas bona quaevis ſperare jubet. v. 720. Cfr. claſſic. loc. Horat. in Not. excit. Navigandi tempus maxume opportunum eſſe illud, quo cum ſole oriuntur et occidunt, per ſe patet.

Polus. Ὁ πόλος a πολέω verſo, circumago. Ergo *vertex, cardo.* Quamvis in quoque globo ſeu in quaque pila *duplex* facile agnoſcatur polus, tamen Herod. recte potuit monere II, 109: Πόλον μὲν γὰρ — παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες. Nam antequam non conſtaret *terram eſſe Pilae ſimilem* (VI, 269.) atque idcirco *forma rotunda*, (ibd. v. 280.) nec *de polis Terrae* et, qui inde oriuntur, *cardinibus mundi* conſtare quidquam potuit. Hinc apte Poeta de inſcitia Romanorum, tempore Romuli, circa cognitionem rerum Univerſitatis: „*Quis*, inquit, *tunc — ſenſerat — geminos eſſe ſub axe Polos?*" III, 106. H. e. rotundam eſſe Terram et propter rotundam hanc Terrae formam *coelum quoque ipſum* rotunditatis et globi quidem referre ſpeciem, cujus *axis* h. e. linea recta Telluris centrum permeans deſinat *in duo puncta*, quae *Poli* dicantur. Ἄξων (axis) ab ἄγεσθαι h. e. διανύεσθαι, στρέφεσθαι (Vid. Ind. Cyrop. ſ. v. ἄξων.) dictus, quia rotatur quaſi circa axeos lineam, globus. Πόλος, poli ita dicti, quia, dum, axeos quaſi umbilici, circumaguntur, circumagere et ipſi ſeu verſare globos videntur. „ β) VI, 718: „*Ubi cinget geminos ſtella ſerena Polos.*" H. e. ubi nox aderit. 2) Polus nominatim *arcticus*. Urſae (ἄρκτου) minoris ſeu Cynoſurae ſtella β ante duo annorum millia fuit *Polaris*! A *vero* Polo ſtella α, in cauda urſae extrema, quae hodie *polaris*, vocatur, anno 1785 abfuit 1°2'. Vertitur igitur ſtella polaris, quae ſi *vera* eſſet, *immobilis* foret, circa polum *verum* orbi, cujus *centrum* polus *verus*, radius vero 1°2' eſt. Vid. Opus inſcriptum Aſtronomie par Jerôme La Lande. Edit. III. Tome I. p. 212.) Noſter Cererem finxit, figmento vere ſublimi, filia in terris fruſtra quaeſita, adiiſſe *ſigna gelida proxima polo*, quippe quae videsent, *quaecunque noctu per omnem globi terreſtris ſuperficiem fierent.* IV, 576. 3) *Poli* pro mundo ipſo. Ut *majeſtatis* et *potentiae* Jovis notionem excitaret Poeta, ait II, 489: *Jupiter annuerat.* (Marti, Romulum ut inter Deos reciperet et ſic ſibi patri redderet, oranti.) *Nutu tremefactus uterque eſt polus* etc. Item de machina mundi aut ſyſtemate potius ſolari artificioſiſſime imitando ab Archimede exhibita, VI, 277-278: *Arce Syracoſia ſuſpenſus in aëre clauſo ſtat globus, immenſi parva figura poli.* Vid. Not. β) *Septimus hinc oriens* (Sol) *cum ſe demiſerit undis* (H. e. veſpere ſeu nocte omnino d. 23. Januar.), *fulgebit toto jam Lyra nulla polo.* I, 654-655. Eodem modo *axis* pro coelo poſita legitur III, 368: „*Et gravis aetherio venit ab axe fragor.*"

Polyhymnia. Poeta fluctuans animo, quam inter diverſas cauſſas nominis *Maji* menſis praeferat, Muſas, ut expediant rem intricatam, rogat. Inter diſſen-

dentes vero Deas ipsas quoque finxit Polyhymniam, praerogativam quasi, coepisse sententiam dicere primam V, 9 - 53.

Pons Sublicius. Argei (Vid. de caussa nominis V, 645 - 660.) h. e. triginta hominum imagines stirpeae, (v. 659.) quas, sidebis, *Quirites straminеos* etiam dixit Poeta, cum quotannis Idibus Majis de ponte sublicio, in memoriam humanorum quondam Tiberino devotorum sacrificiorum, modo maxume solemni in Tiberin mitterentur, (v. illustr. Op. intpr. ad v. 621. It. ad v. 650.) noster hac occasione pontis sublicii mentionem his fecit verbis v. 621 - 622: „Tum quoque priscorum virgo (Vestalis.) simulacra virorum mittere *roboreo* stirpea *ponte* solet." Caet. pons hic factus est, postquam Ancus Martius *Janiculum* Urbi adjecerat, ita ut etiam ultra Tiberim h. e. in *septentrionali* ripa sacra facienda essent: Liv. I, 33. Dionys. Halic. III. p. 185. Ed. Lips.

Pontifex. Pertinet ad Pontifices locus III, 791 - 792: *Itur ad Argeos (qui sint sua pagina dicet) hac, si commemini, praeteritaque die.*" H. e. d. 17 et 18. Mart. Ex iis, quibus illustravit loc. obscur. intpr. Op. summe venerand., patet, verba: „*qui sint sua pagina dicet*" non ad *Argeos* pertinere, quos, qui fuerint, exposuit Poeta V, 645 - 660. Nam non ad sacrificia sed *ad loca*, quae *Argeos* etiam vocabant Pontifices, respexisse videtur Poeta. Ad *Argeorum* autem *sacrificium*, cui ipsi quoque Pontifices intererant, pertinet loc. laud. Cfr. ad eum Not. et Ind. s. v. proxime praecedenti. 2) „*Pontifices ab Rege petunt et Flamine lanas, quis veteri lingua Februa nomen erat.*" II, 21 - 22. Locus obscurus. Nam obiter tangit ritum aliunde non cognitum. Ipse enim unice studet interpretari *Februa*. 3) „*Adjacet antiqui Tiberino lucus Helerni: Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.*" VI, 105 - 106. Vid. Not.

Pontifex maximus. Scripsit libellum singularem de hoc *ἱερεφάντῃ, τῶν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἐχοντι.* [Quae sunt verba Dionys. Halic. III. pag. 178.] Joh. Andr. Bosc. Insertus legitur Graevii Thes. Antqq. Romanar. T. V. A Poeta nostro *tres* commemorantur *Pontifices Maximi.* α) Julius Caesar. III, 706. β) Octavianus Augustus. III, 415 - 420. Cfr. Not. ad IV, 949 - 952. γ) Lucius Caecilius Metellus. VI, 444 - 455. 1) Sacrorum *Vestae* curam pertinuisse praecipuo quodam modo ad Pontificem Maximum, disci ex omnibus etiam locis allatis potest. Nam *Vestae Sacerdos* hac ratione simpliciter vocatur Jul. Caes. V, 573. *Vesta* omnium maxume offensa fuisse fingitur nece Julii Caesaris; ipsa quoque Poetam edocet sibi curae fuisse, ut animus interemti statim in Deorum abiret sedes. Vestae item *σύγκαρ.σιμον* offerre jubentur, qui eam colant, quia Augustus pontificali honore accepto jam *praesit ignibus Vestae aeternis.* (IV, 417 - 421.) Idem, Pontifex Maximus creatus, cum *domum publicam in via sacra* (v. Suet. Jul. c. 46.), quae ferebat in Capitolium juxta Vestae templum, (Trist. III, 28 - 30.) ut videtur, ad imam Palatii partem positum, inhabitare debuisset, Vestae potius *Palatinae suae domus partem* dedicavit publicamque esse jussit: v. Libr. IV, 949 - 954. Porro Metello summa laus inde parta est, quod ipsi Pontifici Maximo hoc curae fuerat summae ut *pignora fatalia*, irruptione in templum Vestae ardens facta, cum summo vitae periculo inde tolleret et auferret. Vid. l. l. — Caussa porro cui debemus emendati a Julio Caesare temporis rationem, est haec, quod inter partes muneris Pontificis Maximi cura erat Fastorum et Annalium. Vid. Dio

Cass. XL. Cfr. loc. de illa anni Romani emendatione III, 155 - 167. Add. Not.

Pontificalis, e. Proxima prospiciet Aurora *Arcadiae sacrum pontificale Deae.* H. e. d. 11. Januar. aut a Pontif. Max. solo aut adjuto a reliquis Pontificibus *Carmentae Deae*, Evandri quondam matris, *sacra* administrantur. I, 461 - 462. Vid. de Carmentalibus primis I, 465-586. De repetitis d. 15. Jan. v. 618 - 636. Cfr. inpr. loc. Gellii laud. ad duarum Carmentium nomina v. 633. 2) *Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum Phoebus, et alatis aethera carpit equis — Caesaris innumeris, — accessit titulis pontificalis honos.* III, 415 - 420. Inter selectas formulas, quibus per totum Fastorum opus mira *variandi* arte dies designat Poeta, est haud dubie nostra, qua d. 6. Mart. reddidit, qua die a. U. c. 741. Augustus Pontificatum Maximum acceperat. 3) „*At quicunque — polluerant Pontificale caput, morte jacent merita.* III, 705 - 706. Pertinent verba ad d. 15. Mart. mortem Caesaris violentam notabilem factam. Cael. ex ea lege, qua Pontificatus Maximi dignitas, collata semel, *per vitam omnem* retineretur, efficitur Julium Caesarem per multos annos hic Pontif. Max honoribus functum esse h. e. ab a. U. c 688 aut 689. ad annum quo necatus periit, h. e. ad a. U. c. 710; per viginti igitur amplius annos. Commoda maxima fuisse conjuncta cum illa principis sacerdotum dignitate colligi potest e Suet. Cael. cap. 13.

Populus. 1) *Est quoque* (dies), *quo populum jus est includere septis.* I, 53. H. e. Sunt quoque Comitiis Centuriatis habendis dies, qui praestitui possunt h. e. *dies Comitiales*, quibus populus congregatus in campo Martio ibique *septo* seu ovili h. e. cancellis inclusus suffragia fert per Classium sex Centurias centum nonaginta tres, 2) *Jane — dextras edes Patribus Populoque Quirini!* I, 69. (Quo vero loco *Equites* nominatim laudantur, tertius P. R. ordo, *plebs* proprio suo nomine vocatur. Vid. II, 127 - 128.) 3) „*Populus festo concolor ipse suo est.*" I, 80. H. e. *intactis* h. e. aut recens factis aut a fullone modo candidatis togis Consulem Kal. Jan. in Capitolium prosequitur. 4) *Dies digna* (Kal. Jan.) a populo *rerum potente* coli. I, 88. (Dum blando hoc titulo titillat aures populariorum, eorundem simul ab initio Fastorum benevolentiam captat.) 5) *Omnis habet geminas — janua frontes; e quibus haec populum spectat, at illa larem.* I, 135 - 136. 6) *Nondum Justitiam* (Astraeam) *facinus mortale fugarat — proque metu* (legum h. e. metu poenae legum) *populum sinu vi pudor ipse regebat.* I, 249 - 251. *Pudor* est ex interno recti pravique it. justi injustive sensu ortum studium cavendi sibi ab omnibus, quae sensum laedant illum, tum aliorum, tum suum quoque ipsum. Natürliches Gefühl für Recht u. Pflicht, und Scheu es zu verletzen.) 7) Janus a Poeta rogatus: „*At cur — motis recluderis armis?* respondet: „*Ut populo reditus pateant ad bella profecto, sola patet, demta, janua nostra, sera.* I, 277 - 280. 8) *Idibus — reddita est* (ab Augusto) *omnis populo provincia nostro.*" I, 587 - 590. 9) „*Convocat hic* (Julius Proculus) *populos, jussaque* (Romuli in coelum abrepti) *verba refert.*" II, 510. 10) „*Stultaque pars populi, quae sit sua curia, nescit.* II, 531. (De *Quirinalium* cum *Fornacalium* ritibus a Populo confusis agitur l. l.) v. Not. 11.) *Hinc* (ab Aenea) *populi ritus ediscere pios.* II, 546. (De Feralibus agit locus.) 12) „*Tu* [Termine sancte!] *populos — finis* h. e. definis, determinas. II, 659. 13) „*Parva fuit* — (tempore, quo condita est) *Roma — Moenia jam fiebant,*

Populis angusta futuris." III, 179 - 181. 14) *A populo* (missus, editus) *clamor ad astra venit.* III, 374. Ancile e coelo delapsum caussa est clamoris laetissimi l. l. 15) *O quam de tenui Romanus origine crevit! Turba vetus quam non invidiosa fuit!* III, 433. *Romanus* collect. p. P. R., Caet. de loco instituti a Romulo asyli sermo est. 16) *Plebis mores* diebus festis discas e loco III, 525 - 542. 17) *Quiritium* nomen unde acceperit pop. Rom. patet e loco II, 477 - 488. Ipse Poeta l. l. non disertis verbis de hujus sed de Quirini nominis ratione agit. 18) De secessione plebis in montem sacrum agens Noster III, 663 - 674. promiscue usus est nominibus *plebs* et *populus.* — (v. 663. 671. 672.) 19) Quare vilis anus *populos* ad sua liba vocet *Liberalibus* d. 17. Mart.? III, 725 - 726. 20) An quia — *rusticus* ad ludos *populus* veniebat in urbem? III, 783. Inventurus caussam verissimam, quare *toga libera* detur *Liberalibus*, (III, 771 - 772.) hanc quoque inter veri haud dissimiles retulit, in quas cogitando inciderat. 21) Contulit aes *populus*, de quo delubra (Cybeli) Metellus fecit — dandae mos stipis inde manet. IV, 351 - 352. 22) „Hac quoque, ni fallor, *populo* dignissima *nostro* atria Libertas coepit habere sua IV, 623 - 624. (d. 13. Apr.) 23) „I pete virginea, *populus!* suffimen ab ara; Vesta dabit" etc. IV, 731 - 732. De Palilibus incipit agere l. l. Poeta. Vid. Not. (Reliqua fere omnia *pastores* tangunt a v. 735.) 24) E colonis seu agrestibus contractis *populum Romanum* h. e. Romae Urbis cives Romulus fecit. IV, 801 - 812. Cfr. N. 15. 25) „Tum juvenem (Remum) *nondum facti* flevere *Quirites.*" IV, 855. 26) „Poscite (Venerem, vos puellae vulgares s. professae.) ture dato formam, *populique favorem.*" IV, 867. 27) „Jura dabat populo *senior* etc. V, 65. Hinc l. l. repetitur nomen *Senatus* v. 57 - 58. 61 - 70. itemque caussa nominis *Patrum* 71 - 72. *Majique* mensis v. 73 - 76. Cfr. N. 29. 28) „Venerat in morem *populi* depascere *saltus* etc. V, 283. [Sunt verba *Florae* referentis, sui in honorem *ludos* seu *spectacula* (v. 292. 295.) instituisse partim, partim *viam Publiciam* stravisse (v. 293 - 294.) Aediles e mulcta, quae judice populo („*Rem populus recipit*" v. 289.) exacta sit ab iis qui depaverint *saltus populi.*] 29) „*Populum digessit ab annis Romulus, in partes distribuitque duas. Haec dare consilium, pugnare paratior illa est* etc. VI, 83 - 88. Cfr. V, 57 - 79. 30) *Concordia* Junii mensis nomen contorta notatione a *junctis* deducens Sabinis et Romanis — *narravit Tatium fortemque Quirinum binaque cum populis regna coisse suis* etc. VI, 93 - 96. 31) Sententia e natura hominis repetita rerumque humanarum vicissitudinibus confirmata legitur VI, 463 - 464: *Scilicet interdum miscentur tristia laetis; ne populum toto pectore festa juvent.*" VI, 463 - 464. 32) Vocabulo *plebs* infima populi pars notatur modo haud ambiguo VI, 781 - 782: „*Plebs colit hanc* (Fortunam fortem): *quia, qui posuit,* (Servius Tullius scil. posuerat *templum* Deae laudatae.) *de plebe fuisse fertur; et ex humili sceptra tulisse loco.*" Cfr. Ind. s. v. *Plebs.*

Porca, ae, et *Sus, is.* Cum Janus partim *incruento* (I, 127-128.) et primus quidem novo quoque anno omnium Deorum (v. 171 - 172.) partim vero d. 9. Jan. *cruento* (v. 317 - 334.) sacrificio piaretur, Poeta hinc delatus ad hujus sacrificiorum generis originem „*Prima Ceres,* ait, *avidae gavisa est sanguine porcae, ulta suas merita caede nocentis opes. Nam sata, vere novo teneris lactentia succis, eruta setigerae comperit ore suis.* I, 349 - 352. Sic

ἀνθρωποπάθεια Deorum caussa omnium laudatur sacrificiorum eruentorum v. 353 - 360 etc. 2) De cultu Cereris agens IV, 409 - 416: „*A bove*, inquit, *succincti cultros removete ministri. Bos aret: ignavam sacrificate suem.*" 3) Caussam justae indignationis aliam, qua Ceres potuerit commoveri, ut poenas sumeret de porcis, ridiculam vero, finxit IV, 465 - 466: „*Fortasse illa dies errori summa fuisset: si non turbassent signa reperta* [vestigia Proserpinae raptae] *sues.*" 4) Inter signa victus priscae aetatis ab omni luxuria alieni et simplicitate commendabilis censetur hoc: „*Sus erat in pretio: caesa sue festa colebant.*" VI, 179. Adjicit vero hoc, ut ostendat caussam: „*Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis*" (v. 169.) h. e. cur Carnae, Deae Jano regnanti contemporaneae i. e. antiquissimae, Festo d. 1. Jun. celebrato, inter ritus sit sancitos *lardo suillo* vesci. 5) *Porca bimestris*, victima parva, quam strigibus obtulisse legitur Grane pro Proca infante, quo parcerent misero. Vid. VI, 158 - 164.

Porrima. Pertinent ad eam et *Postvertam* verba Libr. I, v. 631 - 636. Cecinisse putatur, quod *porro* h. e. temporibus *longe remotissimis* fuerat. Cum *Antevorta* a Macrobio *Prosa* et *Prorsa* a Gellio (v. Not. ad l. l.) eadem dicatur, cum porro Noster eam aut *sororem* aut *comitem* certae Carmentae, matris Evandri, fuisse doceat, Gellius vero ipsam et alteram Postvertam *Carmentes ipsas* quoque dicat, Carmentae vero *pro pueris virginibusque* bina sacra fieri Senatus jusserit, (v. 625 - 628.) Gellii sententia praeferenda videtur, qui *artis obstetriciae* eas praesides facit, Antevortam seu Porrimam et Postvortam dictas „*a recti perversique partus et potestate et nomine.*" Utraque Dea aram Romae statutam sibi habuit. v. Gell. l. l. Utramque etiam Carmentalium relatarum die h. e. d. 15. Januar. placarunt. Vid. I, 633. Caeterum vel Ovidii tempore plerisque Romanis ignota fuisse haec numina videntur. Vid. 631 - 632.

Porta. De earum a *portare* dictarum origine vid. Not. ad IV, 821 - 825. 1) *Janualis.* Vid. Not. ad verba loci I, 265 - 266: *Et jam contigerat portam.* [Titus Tatius, Sabinorum rex, postquam ab arce Tarpeja occupata descenderat *per arduum in valles et fora clivum.* Illustratur *topographicus* Nostri locus narratione Liv. I, 11. 12.], *Saturnia*, (Juno, Romanis exitium parans) *cujus demserat appositas insidiosa seras.* Caet. haec porta a Livio *vetus porta Palatii* vocatur l. l. Nam Sabini, postquam ab arce Tarpeja decucurrerant, Romanos *toto quantum Foro spatium* est repulerant ita ut *non procul a porta Palatii* essent. Haec vero est, ut collati inter se loci Livii et Nostri monstrant, eadem, de qua loco Fastorum laudato agitur. Quod de palude quoque in Foro Romano, in quem Mettus Curtius, Sabinorum dux, cum equo consternato se conjecerat, Livius narrat I, 12 et 13. convenit cum *notitia topographica et historica Fori Romani*, quam anni se debere aut finxit aut vere debuit Poeta. Vid. VI, 395 - 416. Cfr. loc. II, 391 - 421. It. II, 70. III, 430. 2) *Carmentis.* Per hanc portam egressi sunt, qui Tiberim transeuntes peterent regiones Italiae Romae Urbi *septentriones* versus positas. Hinc Fabii, Vejentes, Etruriae incolas, armis petituri, per eam egressi sunt. Hinc II, 201 - 203: *Carmentis portae dextro via proxima Jano est. Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet. Illa fama refert Fabios exisse trecentos. Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.* Simillimus nostri est locus Liv. II, 49, med.: „*Incassum missae preces. Infelici via dextro Jano portae Car-*

mentalis profecti, ad Cremeram flumen perveniunt. Omnino vero in tota ſua narratione de Fabiis Livium, ex dimidio quoque Poetam, ante oculos habuiſſe videtur Ovidius. Verſus eandem portam fuit aedes Bellonae. Vid. ad VI, 245. 3) *Capena* IV, 345. V, 673. VI, 66. Vid. Ind. ſ. h. v. 4) *Collina.* Templum Veneris *Erycinae (a Siculo nam nomina colle tenet.* IV, 872.) proximum huic portae, quae eadem *Agonenſis* et *Quirinalis* dicta eſt. 5) *Viminalis*, a qua incipiebat *via Nomentana* in Sabinos ducens agros. Vid. Not. ad IV, 906. 6) Fortuna *„nocte domum* [Servii Tullii] *parva ſolita eſt intrare feneſtra; unde Feneſtellae nomina porta tenet.* VI, 577 - 578.

Portunus. Qui Inonis, Semeles ſororis, et Athamantis fuerat filius, *Melicerte* dictus, hic poſt triſtiſſima ipſius ſuorumque fata in Deum Ponti, nominatimque *cui in portus jus eſſet omne* (VI, 546.), mutatus, a Romanis hinc *Portunus*, a Graecis vero *Palaemon* vocatus eſt. (Ibd. v. 547.) Hinc v. 501-502: *Nondum puer ille Palaemon vorticibus denſi Tibridis ora tenebat.*" Mater vero, quae, Cadmi filia, quondam *Ino* fuerat, *Matutae* a Romanis, a Graecis vero jam Homeri tempore (Odyſſ. V, 333 - 354. 458 - 462.) *Leucothees* nomine culta eſt. De Portuno cfr. Heyne ad Virg. Aen. V, 241. *Matralia* in honorem Matutae d. 11. Jun. Romae celebrata opportunitatem praebuerunt Poetae ornate et copioſe pertractandi hanc fabulam omnem a Libr. VI, 473 - 562. Cfr. Ind. ſ. vocc. *Ino, Leucothee, Matuta, Matralia.*

L. *Poſtumius* Albinus. Florae Deae cultus neglecti a Senatu Romano (V, 312.) poſtquam hos ſenſerat populus damnoſos *effectus*, ut nec oleae, nec ſegetes nec vites bene defloreſcerent — *convenere patres et, ſi bene floreat annus* — Florae *annua feſta* voverunt. Jam cum votis reſpondiſſet eventus: Poſtumius Conſul cum Collega M. Popilio Laena a. U. c. 580. inſtituit ut quotannis *ludi florales* exhiberentur. Vid. loc. V, 311 - 330.

A. *Poſtumus* Tubertus. Imperii ſeverillimi vir, vicit, dictator dictus, Aequos Volſcosque in Algida terra d. 17. Jun. a. U. c. 324. Vid. loc. VI, 721 - 724. Cfr. Ind. ſ. v. *Aequus* et *Algidus, a, um.*

Poſtverta. Aut ſoror aut comes fugae Carmentis et Evandri ex Arcadia. Putabatur canere *verſurum poſtmodo quidquid* erat. I, 633 - 636. Sacra facta ſunt huic Deae in ara ipſi Romae conſtituta d. 15. Januar. Plura vid. in Ind. ſ. v. Porrima.

Praetor. Cum poteſtas praetoris contineretur *jurisdictione* et in cauſſis quidem *privatis*, cumque triplicem rerum rationem de quibus lis eſſe poſſet, ſpectarent verba formulae ſolemnis, *do, dico, addico*, quorum aut hoc, aut iſto, aut illo uteretur Praetor, patet, ad ejus jurisdictionem, quatenus per religionis inſtituta aut ceſſaret aut libera eſſet, pertinere locum Poetae I, 47 - 52: *Ille* (Lucifer, h. e. dies) *nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur: faſtus erit, per quem lege licebit agi.* — Nam ſimul *exta Deo data ſunt, licet omnia fari, verbaque honoratus libera praetor habet.*"

Priamides, is. H. e. Paris, Priami filius. VI, 13 - 16: *Ecce Deas vidi; nec quas* (Muſas ſcil.) *praeceptor arandi* (Heſiodus.) *viderat: — nec quas Priamides in aquoſae vallibus Idae contulit.*

Priamus. Palladium ſeu *armiferae ſignum Minervae* (VI, 421.), poſtquam, quomodo de coelo delapſum ſervatumque ſit, narraverat Poeta, pergit VI, 430: *„Sub Priamo ſervata* (Pallas h. e. ſignum Deae) *parum. — Eripuiſſe* (quem Palladium) *datur. Auctor* (raptus)

in incerto. Res est Romana. Vid. Ind. s. v. *Palladium.* 2) *De stemmate regum Trojanorum* vid. Not. ad Libr. IV, v. 29.

Priapus. 1) Quod attinet ad *munus et officium* itemque ad *signa* Dei, „constanter laudatur *ruris custos et hortorum.* Sic I, 391: „*caeditur et rigido custodi ruris asellus.*“ Eod. libr. v. 415: „*At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus — Lotide captus erat.* [Εἰρώνα putaverim Poetam, qui Priapum dixerit *decus* hortorum. Sic etiam Aristophaneae suggillationis et irridentis adfectus significasse videtur Horat. in loc. classi. de hoc Deo Sat. I, 8. verbis ab initio positis: „Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum: cum faber *incertus scamnum — faceretne Priapum — maluit esse Deum.*] Item VI, 332: *At ruber hortorum custos Nymphasque Deasque captat.* Porro I, 400: *Venerat — Silenus, quique rubro pavidas inguine terret aves.*“ Illustratur hic locus verbis Horatii quae excipiunt supra laudata v. 3 - 7: *Deus inde ego, furum aviumque maxima formido. Nam jures dextra coercet obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus; aut importunas volucres in vertice arundo terret fixa, vetatque novis considere in hortis.*“ (Maecenatis, in Esquiliorum vertice montis.) Hinc Martialis impudentissimam furis alicujus rapacitatem notaturus hoc facit, dum refert rapuisse eum ex hortis *Deum ipsum*, qui *maxima furum formido esse debeat*, h. e. Priapum *marmoreum.* Vid. Epigr. VI, 72. Addatur locus Virgilii de Priapo in Georg. IV, 109 - 111: *Invitent* (apes) *croceis halantes floribus horti, et custos furum atque avium cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi.* Tutela h. l. esse videtur τὸ ἐπίσκοπον Priapi, quod vero pro ipso Deo positum est. Cognomen *Hellespontiaci* Dei etiam apud Ovidium habet I, 439 - 440: „*Hinc est Hellespontiaco victima grata Deo.*“ Item VI, 341: *Ibat ut incipieret longi Deus Hellesponti.* Causam cognominis vid. in Ind. s. v. *Lampsacus.* II) Mores Dei *falacissimos* Poeta *duobus* aut a semetipso inventis aut ab aliis acceptis fabulis ita retulit, ut facile agnoscas pronum ad lasciviam ipsius ingenium. Nam haud parum, dum eas literis demandabat, delectatus fuisse argumento earum videtur. Extant I, 391 - 440. et VI, 319-348. Occupatus Poeta α) priori loco in *caussis* reddendis, cur *cruenta* sacrificia placere et grata esse Diis coeperint (I, 347 - 456.) opportunitatem nactus erat fabula inveniendi rationem, cur Priapo victima sit grata *asellus. Index* nimirum factus, quamquam *nec sciens nec volens* miser, propolitorum Priapi *raucis aere editis sonis*, iram Dei ita in se concitasse fingitur, ut sanguine dehinc gavisus sit invisi sibi facti animantis. β) Posteriori vero loco cum *caussa* reddenda esset, cur Vestalibus h. e. d. 9. Jun. (v. Not. ad VI, 249.) asinis molitoriis Romae *hic honos* haberetur, ut non modo *vacarent ab opere versandarum molarum*, sed ut *monili* quoque *de pane* et *sertis de floribus* (VI, 311. 347. 469.) ornarentur, fingi nulla aptior poterat, quam quod idem asinus, dum alia occasione rudendo *index* propolitorum Priapi extiterat, *pudicitiae Vestae et castitatis custos* factus erat. Hinc juxta primae fabulae exemplum composita est altera illa. Caeterum e verbis VI, 346: „*Apta asini flammis indicis exta damus*“ colligi recte posse videtur, Romanos etiam in honorem Priapi asinum mactasse. Cfr. I, 391. Qui quidem versus ipse quoque ad Romanorum ritus sacros pertinere videtur.

Princeps. 1) Inter antithetas, quibus, ut Augustum extollat, Romulum deprimit Poeta, legi-

tur hoc septimo loco positum II, 142: „*Tu Dominî nomen, Principis ille tenet.*“ β) Caedem Julii Caesaris ad d. 15. Mart. commemoraturus incipit III, 697: *Praeteriturus eram gladios in Principe fixos* etc. 2) *Princeps* h. e. militum genus a Romulo institutum et *pedestrium* copiarum h. e. legionum partem constituens commemoratur eo loco, quo Poeta ostendit *numerum denarium magno in honore fuisse.* (III, 122 - 134.) Inde, pergit, pares *centum denos secrevit in orbes Romulus — et totidem princeps — habebat corpora.*“ III, 127 - 130. Vid. illustr. loci interpret. 3) Reliqua loca, quae significationem primo loco positam illustrant, sunt I, 19 - 20: *Pagina judicium docti subitura movetur Principis, ut Clario missa legenda Deo.*“ Sententia simplex: Dum paro tibi, Germanice, commendare Fastorum libellos, aeque, reputans et doctrinam et dignitatem, in qua constitutus es, summam tuam, expaveſco, ac si Apollini Deo et Musarum praesidi, mitterem ipsi. β) „*Principibus caesis ex urbe Gabinâ, traduntur ducibus moenia nuda suis.*“ II, 709 - 710. De fraudulenta arte nefarioque modo agit Poeta, quo per filium *irtum minimum* (At cfr. Not. ad v. 692.) Tarquinius superbus Gabios ceperit. γ) Juno Junii mensis honorem vindicans „*Cur igitur,* inquit, *regina vocor princepsque Dearum?* VI, 37. δ) Adjecti vices sustinet II, 714: *Matri qui dederit princeps oscula, victor erit.*“ II, 713 - 714. De responso oraculi agit, quod unus recte cum interpretaretur L. Junius Brutus, *tacens pronus matri Terrae oscula dedit.* (v. 719.) ε) Postquam Callisto sanctissime pollicita erat Dianae se *virginitatem*, quam adhuc tuita sit suam, et porro caste servaturam, Diana laudavit eam „*promissaque foedera ſerva, et comitum Princeps tu mihi, dixit, eris.*“ H. e. Nympharum me comitantum tu prima ordine et dignitate eris. Vid. II, 159 - 160.

Procas, ae. Rex Albae Longae numero duodecimus, si sequaris Catalogum insertum a Nostro Libro IV, a v. 39 - 57. eum in finem, ut ostenderet Romulum Aprilem mensem *Veneris* in honorem sic dixisse, quia ut Martem patrem sic Venerem, propter Julum Aeneae filium *generis, sui principium* agnoverit. IV, 27 - 28. Procae filii fuerunt Numitor et Amulius. Vid. v. 52 - 53. Regnavit circa annum a. C. n. 794. 2) De ejusdem recens nati (VI, 143 - 145.) summo vitae periculo, quae haud multum abfuit, quin a strigibus, exsorbentibus sanguinem pueri, necaretur et de ritibus superstitiosis, quibus *Carna Dea* striges submoverit vid. loc. VI, 131 - 168.

Procne. Pandionis, Atheniensium regis filia, Philomeles soror, Terei, Thracum regis, conjux. Propter insanae et nefariae vindictae studium, quo ducta Ityn *filium* marito, qui sorori vi stupratae linguam exsecuerat, epulandum appositit, commemoratur inter eos et eas, quos et quas, propter *impietatem* erga suos; Caristiorum die a propinquis *sibi caris* procul ut ablint orat Poeta II, 629: *Procul hinc, procul impius esto — et soror et Procne Tereusque duabus iniquus* etc. Soror vero h. e. *Philomela* hactenus impia fuerat, quod Procnen in proposito nati interficiendi non modo confirmaverat, sed et ipsa *jugulum miseri ferro resolverat.* Met. VI, 635 - 645. 2) Procne in hirundinem mutata *praenuntia veris* habita est et adhuc habetur. Hinc II, 855 - 856: *Saepe tamen, Procne, nimium properasse quereris; virque tuo Tereus frigore laetus erit.* Reditus hirundinum notatus est a Veteribus ad d. 22. it. ad d. 23. Febr. immo adeo ad d. 27. Januar. Vid. not.

(Julius) *Proculus*. Ex intimis Romuli et insigni dignitate conspicuus vir cum esset, tanto facilius persuasit populo, Romulum se ei ab Alba longa redeunti post mortem in conspectum dedisse et inter coelites, Quirini nomine, jam receptum mandasse, ne populus lugere eum pergat sed *artem militarem suum studium* etiam porro faciat, ipsumque *pro Deo* colat. Vid. II, 497 - 512.

Professa, ae. Sic κατ' ἐξοχήν dicebatur a Romanis puella, quae, legibus et institutis convenienter, apud Aedilem nomen suum inter eas *profitebatur*, quae quaestum facere *corpore* seu *merere* pecunias prostituendo se corpore destinassent. Hinc nomen *professarum* (Vid. inclut. Op. intpr. not. ad IV, 866.) et hinc illud etiam *meretricum*. Occasione *Vinalium* d. 23. Apr. celebratorum, quae solennia a multis *festum Veneris* habebantur, IV, 863 - 878.) Poeta professas his alloquitur verbis v. 865 - 870: „*Numina vulgares Veneris celebrate puellae. Multa* [Heins. culta] *professarum quaestibus apta Venus. Poscite* etc. 2) Praeter Vinalia etiam *Floralia* Professarum votis et commodis prae caeteris sacris omnibus, respondebant. Hinc Poeta V, 349 - 354: *Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos* [Florae.], *non ex difficili caussa petenda subest. Non est de tetricis, non est de magna professis* (Syn. v. 348: *non est illa cothurnatas inter habenda Deas*): *Vult sua plebejo sacra patere choro. Et monet aetatis specie, dum floreat, uti; contemni spinam, cum cecidere rosae.*" Mulieres easdem *togatas* dictas esse docet illustr. Op. intpr. ad loc. IV, 866. Locis e scriptt. vett. laudatis addi poterit Horat. Sat. I, 2, 63. 82. Opp. ibi *stolatis* h. e. matronis stola longa, ad talos usque demissa cuique instita sit subsuta, amictis.

Propontis, idos. Mare inter Hellespontum et Bosporum Thracicum, hodie *Mar di Marmora* dictum. Noster de Junone, floris ope, a Flora Dea data, gravida facta, agens: „*jamque*, inquit, *gravis Thracen et laeva Propontidos intrat; fitque potens voti: Marsque creatus erat*. V, 257 - 258. Enixa nimirum Martem Juno ferebatur in Thracia, ubi consederit in vertice Haemi. Vid. Not. ad l. l. Thracia hodie *Rumilia* s. *Romania*. Haemus hodie *das Balkanische Gebirge* auch *Emineh-Tagh*.

Proteus, eos. Fons fabulae de hoc Deo maris Aegyptio extat in Homeri Odyss. IV, 382 - 569. Recliora de Proteo Memphidos rege, cui post mortem *fanum*, ut Deo, ibi exstructum erat, discres ex Herod. II, 112 - 121. *Pharum* insulam (prope ab Alexandria sitam) suo tempore frequentasse propter rei nauticae studium videtur. Vid. Hom. loc. v. 354 - 360. Cfr. de hodierna loci facie Wood üb. d. Originalgenie des Homer p. 120 - 145. Add. Ind. s. v. *Pharius, a, um*. Poeta noster redditurae rationem, cur *bos* quoque *iram Deorum* ita commoverit, ut sanguine *poenas luere* coeperit h. e. ut victima grata fieret Diis, (I, 362. add. 383 - 384.) cum *culpam* adferre *nullam* posset innocui et optime de hominibus meriti animantis, inopinato modo intertexuit fabulam de Aristaeo quem, necatis cum stirpe apibus, Proteus renovare prolem jusserit apium terra obruti ope juvenci, *quem mactaret*. Quo facto Aristaeum pastorem *putri de bove* mille animas pro una necata accepisse. Caet. partes agit Proteus *vatis*, ut in loco Homeri, at semper *inviti* et *coacti*. Hinc *decipit versis ille figuris* (v. 369.) et *sua faciem, transformis, adulterat arte*. Quod quidem ut *proprium* quodammodo adfinxerunt Poetae Proteo. Vid. Hom. l. l. v. 454 - 460. Longe fusius egit tum de re h. e. de apibus nascentibus,

in putrefacto bovis corpore tum de Aristaeo et Proteo Virgil. Georg. IV, 281 - 558. Consulendus est inprimis ad h. l. illustr. Voss.

Provincia. Idibus [Januarii] *— reddita est omnis populo Provincia nostro, et tuus augusto nomine dictus avus.* I, 589. Vid. Not. Cfr. Wieland. in Prolegg. ad Horat. Epp. II, 1. De cognomine *Augusti* Octaviano dato agit Noster a l. l. v. 591 - 616.

Publicius (Malleolus.) *Ludorum Florae* l. Floralium d. 28. Apr. et inde quidem ab a. U. c. 513. celebrari coeptorum *originem originisque causas* e Flora Dea ipsa dum scisciatum se Poeta simulat (V, 276 - 278.), relata sibi a Flora referre se verbis Florae finxit a Libr. V, v. 279 - 330. *Publicios* nimirum *Malleolos* fratres, cum *Aediles plebis* essent, extitisse vindices moris diu impune servati *saltus depascere publicos*, atque, victores in hac causa publica, e multatitia *nocentium* seu reorum pecunia, magno populi favore, partim *ludos novos* instituisse *Florae*, partim *iter utile*, ipsorum nomine *Publicium* dictum, per arduam rupem muniendum curasse, quo ad Aventinum vehiculis perveniri posset. Vid. sqq.

Publicius, a, um. Cfr. voc. proxime anteced. *a) Via Publicia.* V, 293 - 294: „*Parte* (multae, quam subierant, qui populi depaverant saltus,) *locant* (Aediles plebis h. e. Publicii fratres.) *clivum, qui tunc erat arduus rupes. Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.*" Vid. Not. *β. Clivus Publicius.* Cum arduus ea rupes antea fuisset, videntur effecisse Aediles etiam, ut superstrui ipsi posset magna aedium privatarum multitudo. Nam de hac clivo impositis haud dubie intelligi debent verba Livii XXX, 26: *Annus insignis* (ab U. c. 550 - 551.) *incendio fuerat, quo clivus Publicius ad solum exustus est* etc. Paulo ante pugnam ad Zamam, qua Hannibalem Scipio vicit, hoc accidisse patet e Livii l. l.

Publicus, a, um. De aede Fortunae Publicae duplici: *α)* „*Postera cum coelo — Pallantias — fulserit* — [h. e. d. 5. Apr.] *qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini, haec Fortuna dia Publica; verus erit.*" IV, 373 - 376. Vit. Not. *β)* „*Nec ne praeterea, populi Fortuna potentis Publica, cui templum luce sequente datum* h. e. d. 26. Maj. II) *Publica* nominatim *pascua* seu *saltus populi* et vectigalia seu reditus publici ex iis. V, 285 - 286: *Vindice servabat nullo sua publica vulgus: jamque in privato pascere inertis erat.*" Vid. Not. et cfr. loc. omn. a v. 279 - 294.

Pumex. I) „*Est specus excisi structura pumicis asper; non homini regio, non adeunda ferae. Quo simul ac venit* (cum pinubus, accensis ad flammas Aetnae, geminis *Ceres.*) *frenatos curribus angues jungit, et* (*Sicilia* relicta) *aequoreas sicca pererrat aquas:*" IV, 496 - 498. Vid. de pumicis natura et usu Not. illustr. Op. intpr. II) Omphale „*antra subit tophis laqueataque pumice vivo.*" II, 315. Narratio omnis jubet cogitare, talia antra pumice vivo laqueata, fuisse inter signa externa magnificentiae vere regiae et luxus etiam regalis. Plinius H. N. XXXVI, 21: „Non praetermittenda est et pumicum natura. Adpellantur quidem ita et crosa saxa in aedificiis, quae *Musea* vocantur, dependentia, *ad imaginem specus* arte reddendam."

Puppis. 1) In nummi aenei antiquissimi altera parte cernebatur *puppis*, in altera vero Jani bicipitis imago. Causam rei refert ipse Janus I, 239: *At bona posteritas puppim servavit in aere, hospitis adventum testificata Dei h. e. Saturni.* Puppim dixerat *formam navalem* signatam in aere v. 229 - 230. *Ratem* etiam omnino v. 233. Cfr. illustr. intpr. 2) Pup-

pis, ut in mari litori, ita in fluminibus ripae obversa stabat, eratque locus honoratissimus ubi gubernator sedebat et clavum tenebat, quo gubernaculum, et per gubernaculum navim regebat. Hinc I, 503 - 506: „*Utque erat* (Carmenta Tibridi subvecta ita, ut ad dextram h. e. meridiem versus haberet septem collium conspectum, quibus Roma olim superstruenda erat), immissis *puppim stetit ante* capillis; *continuit manum torva regentis iter*, h. e. gubernatoris. 3) *Puppis* pro omni navi ponitur. Sic de Arione Lesbio II, 95: „*Inde domum repetens puppim conscendit Arion* etc. Idem v. 111 - 112: „Protinus ita desilit medias in undas, ut impulsa aqua spargeretur *caerula Puppis*." 4) III, 586 - 88: „Findite *remigio* (h. e. remis), *navita* (h. e. gubernator navis) *dixit, aquas! Dumque parant torto subducere carbasa lino, percutitur rapido puppis adunca Noto.*" Pro *Noto* rectius boream seu aquilonem nominasset Poeta, cum ab ora Italiae infima austris obversa in mare altum rejiceretur Anna, Didus soror, de cujus fatis locus agit. 5) „*Figitur ad Laurens, ingenti flamine, litus puppis et, expositis omnibus, hausta perit.*" III, 599 - 600. 6) Arboribus caesis innumerarum ope securium ejusdem *pineti*, unde Aeneas petierat suas, classem aedificaturus inde qua fugeret, *mille manus coeunt et picta coloribus ustis Coelestum matrem concava puppis habet.*" IV, 275 - 276. De navi, qua Cybele Romam e Pessinunte translata est, agit Poeta. 7) „At — navita [h. l. gubernator seu magister *navis*] *puppe sedens, Delphina videbimus, inquit, humida cum pulso nox erit orta die.* VI, 469 - 472. Nude et simpliciter, omni ornatu poetico remoto, hoc foret: ad d. 10. Jun. notandus est Delphinis astri ortus.

Purpura, ae. Fasces, purpuram et ebur conjunctim itaque posuisse Poeta videtur. I, 81 - 28. ut *praecipuis* his Consulatus Romani insignibus Consules designatos ipsis Kalendis Januariis munus adituros exhiberet eo, diei momento, quo praeeuntibus lictoribus, ornati toga purpura praetexta, et deducentibus amicis populoque (I, 78 - 79.) in Capitolium adscendebant ibique, Jovi majores immolantes victimas, vota suscipiebant, quae solverent, si consulatum bene feliciterque gessissent. Propter addita tamen verba: „*et nova conspicuum pondera sentit ebur*" (h. e. sella eburnea i. e. ornamentis ex ebore factis decorata) omnino initi *Kal. Januar.* Consulatus honores intelligi possunt. Nam non patet, qui fuerit *fellae curulis* usus in consessu Capitolii solemni.

Pygmaeus, a, um. Luxuriosas sui temporis dapes simplicitati et tenuitati victus opponens aetatis remotissimae, qua Janus, Procas et Grane vixerant, „*Nec Latium*, ait Poeta, *norat, quae Pygmaeo sanguine gaudet, avem*" VI, 175 - 176. Vid. *de Pygmaeis* loc. Hom. in Not. laud. et *de gruum carnibus* in deliciis habitis loca ibd. laud.

Pygmalion. III, 573 - 574: „*Et tamen* [Battus rex Melitae, qui hospitio exceperat Annam, post fata fororis Didus, profugam factam.] *hospitii servasset ad ultima munus, sed timuit magnas Pygmalionis opes.*" Pygmalion Tyriorum et Sidoniorum, atque adeo nobilissimae Phoeniciae partis, rex, fratres Didonem et Annam jam ante, ut fugam clandestinam molirentur, crudelitate sua compulerat. Vid. loca in Notis laudata.

Pyrrhus. Tarentum ad littus Italiae australe, quod Africae obversum est, posita urbs [Quae ipsa hodie *Taranto*, sinus vero maris, cui adjacet, *Golfo di Taranto* vocatur.] anno circiter a. C. n. 672. a Lacedaemoniis condita, *bello Tarentino* a Roma-

nis contra Samnites, Campanos, Apulos atque Lucanos et Bruttios, inprimisque contra caput belli, Tarentinos ipsos et *Pyrrhum, Epirotarum regem* istis auxilia ferentem, ab a. U. c. 473 ad 482 gesto, nomen fecit. Vid. Flor. I, 18. Liv. Ep. 11 - 15. Pyrrhus vero cum magnam terrarum partem, quae jam *Turcarum* ditioni in Europa subjecta est, teneret, non potuit non Romanis, conferentibus vires suas, quales tunc erant, cum viribus regis, suo tempore potentissimi, *hostis* maxume *reformidandus* videri. Hinc frequentissima ejus bellique cum eo gesti mentio. Nec vero extat in historia Romana aliud temporis spatium, ut videtur, quo *splendidiora Romani, omnis generis virtutum, spectmina* ediderint quam hoc belli cum Pyrrho et Tarentinis gesti spatium. Noster *bis* Pyrrhi mentionem fecit; α) VI, 203 - 204; „*Appius est auctor* [Templi Bellonae]: *Pyrrho qui pace negata multa animo vidit; lumine captus erat.*" De hoc Appio Claudio, qui ab a. U. c. 442. viam a se dictam sternendam curaverat, quae huc pertinent Livius refert Ep. 13: „*Cineas, legatus a Pyrrho ad senatum missus,* (Anno p. U. c. 474.) *petiit ut componendae pacis caussa res in Urbem reciperetur. De qua re quum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Appius Claudius, qui propter valetudinem oculorum jam diu consiliis publicis se abstinuerat, venit in Curiam et sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur.*" Cfr. Flor. l. l. Locus de Pyrrho alter extat ap. Poet. nostr. VI, 731 - 732: „*Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.* H. e. d. 20. Jun. p. U. c. 473. Vid. Not. Caet. *Italia* fere *omnis* post bellum hoc cum Pyrrho et Tarentinis gestum Romanorum potestati subjecta fuit, ita ut dehinc bella occoeperint *cum exteris nationibus extra Italiam* geri.

Q.

Quinctilius. Praefectus comitum Romuli; qui comites inde et ipsi dicti sunt *Quinctilii.* v. II, 378. et ibi not. Reliqua vide in Ind. s. voc. *Fabius.* Caet. Lupercos fuisse alios qui *Fabiani,* alios qui *Quintiliani* adpellarentur ait Festus. Quae Festi sententia nostro loco confirmari videtur. Agitur enim ibi de Lupercis; et caussa *nuditatis* sacerdotum Fauni *currentium* tertia huc pertinet. Reddita legitur a v. 359 - 380.

Quinquatrus, uum. Sic sacra Minervae (et in ipsius quidem natalis diei honorem celebrata) appellantur; de quibus iisque *majoribus* (e lege oppositi hoc disces, collato L. VI, 651.) agit Poeta a L. III, v. 809 - 850. Quinquatruum *nomen,* [Quod libro demum sexto, versu 651 et 694. occurrit., ubi, neglecta significatione etymologica, vel una dies Minervae cultui sacra *Quinquatrus* dicitur.] perspicuis explicuit verbis his v. 810: *Nominaque a junctis quinque diebus habent. Temporis,* quo fieri coepta, notio — accurate, si praecedentia contuleris loca, definita legitur v. 809: *Una dies media est,* v. not. *Modus* celebrandi solennia Minervae erat crudelis; Nam, primo die excepto, reliquis quatuor diebus edebantur munera gladiatoria. v. 811 - 814. Sic *publice* sacra fiebant Minervae, quatenus Dea erat *bellica* h. e. belli amans v. 814. At quatenus artium, et illiberalium et liberalium, erat magistra et patrona, hactenus Poeta exhortatur, pueros et puellas ut Pallada ornent h. e. colant. Nominatim 1) Lanificas v. 816 - 818. 2) Textrices v. 819 - 820. 3) Fullones v. 821. 4) Infectores v. 822. 5) Sutores v. 823 - 824. 6) Fabros lignarios v. 825 - 826. 7) Medicos v. 827 - 828. 8) Ludimagistros v. 829 - 830. 9) Caelatores v.

831. 10) Pictores. Ibd. 11) Statuarios et Marmorarios. Ibd. Jam v. 833. definit recenſere ſingulatim opifices et artifices, quibus, ſi *docti* ſuo in genere fieri velint, commendandus ſit Palladis cultus. Cauſſam, cur deſinat, ſubjicit v. l. Nam *Deam eſſe mille operum.* Aptiſſime loco, ipſe Poeta haud immemor eſt, eſſe et *Deam carminis.* Hinc ut et ſtudiis faveat ſuis precatur. Pergit dehinc pluribus agere de cognomine Minervae, *Captae* dictae, cujus quatuor reddit rationes a v. 839 - 847. *Captae* nimirum Minervae nomine delubra erant Deae, natali ſuo, dedicata Romae juxta montem Coelium. A v. 835 - 839. Et haec quidem de Quinquatribus *majoribus.* De *minoribus* agit Poeta l. VI, a v. 651 - 693. Nomen hoc ipſum leges v. 651. *Una* die et Idibus quidem Junii (v. 691.) peragebatur hoc feſtum v. 694. Cfr. loc. in not. laud. ad v. 651. A *Tibicinibus* (ad quos fere omnis locus pertinet a v. 653 - 693.), non ab ullo alio, celebrabatur dies iſte feſtus et ob *tibiam* quidem a Minerva inventam (v. 697 - 698. Cfr. v. 709.) Illi tum hanc cultu proſequebantur Deam. Quod quidem patet e verbis v. 710: *Hoc eſt, cur noſtros ars colat iſta dies.* Reliqua loco intertexta ſpectant tibiam et tibicines.

Quinta. Praenomen Claudiae e nobiliſſima et potentiſſima Patriciorum gente oriundae. Cybeles per Tiberini oſtia Romam devectae teſtimonio ab *impudicitiae* criminatione liberatur. Vid. IV, 305 - 346. Incidit res l. l. enarrata in annum p. U. c. 549 - 550. Cfr. Ind. ſ. v. *Claudia.*

Quintilis, ſcil. menſis. Nomen hujus menſis, ut reliquorum etiam hunc ordine excipientium, *quorum turba humero notata fuit* (I, 42.), eſt inter *documenta*, quibus Poeta operoſius oſtendere ſtudnit, a Libr. III, v. 135 - 150. incepiſſe annum Romanos veteres *a menſe Martio.* Nec dubitari poterit, quin graviſſimum et evidentiſſimum hoc ſit rei demonſtrandae argumentum. Hinc *ultimo* quoque loco h. e. *octavo* id propoſuiſſe videtur. Nam v. 149 - 150: „*Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis: et inde incipit, a numero nomina quisque habet.*“ Commutatum fuiſſe in honorem Julii Caeſaris hoc Quintilis menſis nomen cum nomine *Julii* (Vid. Suet. Caeſ. 76. et Macrob. Sat. I, 12.) Poetae noſtri tempore patet e libri. VI, 797: *Tempus Juleis eras eſt natale Kalendis.*“ Sic quoque jam invaluerat mos *Sextilem* menſem nominare *Auguſtum.* Nam V, 147 - 148: *Quo feror?* inquit, *Auguſtus menſis mihi carminis hujus jus dabit.*“

Quirinalis, e. De Sanco ſ. Sango, Semi patre, qui Sancus etiam Fidius dictus eſt, Deo Sabinorum vernaculo agens Poeta „*hunc igitur*, inquit, *veteres donarunt aede Sabini, inque Quirinali conſtituere jugo.*“ Vide notas ad locum VI, 213 - 218. 2) Qui *jugum Quirinale* l. l. idem mons *collis Quirini* vocatur IV, 375 - 376: *Qui dicet, quondam ſacrata eſt colle Quirini hac Fortuna die Publica; verus erit.*“ Dies eſt d. 5. Apr. Amplificavit Urbem adjecto colli Quirinali Servius Tullius ſtatim poſt cenſum actum h. e. circa annum p. U. c. 154. Vid. Liv. I, 44. Nomen accepit e ſententia Poetae noſtri a Quirino. Nam II, 511: „*Templa*, inquit, *Deo* [Quirino] *fiunt:* (cfr. VI, 795 - 796.) *collis quoque dictus ab illo.*“ Alii aliter. Vid. Not. II) *Quirinalia*, ſcil. *ſacra* ſeu *ſolennia.* In honorem Romuli divi celebrata fuere d. XIII. Kal. Mart. h. e. d. 17. Febr. Expoſuit *de cauſſa et origine* diei hujus Feſti Naſo, a l. II, 475 - 512. ita ut 1) rationem reddat notionis et originis nominis *Quirini* a v. 475 - 480. 2) ut arte fingat: Martem Romuli patrem

in coelo Jovem adire eumque monere: velit jam, ut Jovem deceat, exsolvere se fide quondam de Romulo inter Coelites recipiendo data. Annuit Deus. Vid. a v. 481 - 490. 3) Re sic aptissime praeparata narratur *ubi*, per tempestatem, inter tonitrua, fulgura et imbres, Romulus ex omnium derepente conspectu remotus patriis astra petierit equis. Vid. v. 491 - 496. Tandem 4) ad rem ipsam venit et ostendit, quo modo Senatus de crimine caedis Romuli populo suspectus fuerit; (v. 497 - 498) testimonio vero Julii Proculi, unius quondam ex intimis Romuli (v. not. ad v. 498.), usus, quo plebi satisfaceret, divinos honores Romulo decreverit. (v. 499 - 512. Hinc Quirinalia.

Quirinus. Romuli nomen, ex quo post mortem inter Deos relatus existimatus est. Vid. loc. de Quirinalibus d. 17. Febr. celebratis II, 475 - 512. Ibi legunt verba v. 476: „*Qui tenet hoc nomen* [Quirini], *Romulus ante fuit.*" β) Quod attinet ad notationem vocis, *Curinus*, et *Quirinus* Sabinis dictus est qui *Curis* seu *Quiris* h. e. hastam gerit, *hastatus*. Versus 477 - 490. varias continent causas nominis Quirini. II) Ad Quirinum, h. e. Romulum Deum factum, pertinent loca quae sequuntur: 1) „*Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis — dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum* h. e. dum vel *a Deo* genitus idemque *ipse Deus factus* acquiescret in cultu vitae humili et tenui. *Casa Romuli* fuerat *de canna straminibusque domus*. Vid. III, 183 - 184 2) *Tura ferant placentque novum pia turba Quirinum*" II, 507. Sunt verba Romuli modo in coelum rapti, ita ut denotent: Dehinc me Deum *recens* factum pie, ut Deum, colant signis externis h. e. sacrificando, adorando etc. 3) Poeta ipse, Urbis originem cantu celebraturus suo, ut alios Deos, sua quemque in causa, antea invocarat, sic *Quirinum* etiam, ut adsit sibi in causa quae maxume eum tangat, precibus adit IV, 808: „*Ades factis, magne Quirine, tuis!* 4) Interfuisse Deus Deorum concilio a Jove convocato fingitur tum, cum opem ferri vellet Romanis in Capitolio, a Gallis longa obsidione cincto, fame laborantibus VI, 351 - 390. „Tum Venus et *Iliaco pulcher trabeaque Quirinus Vestaque pro Latio multa locuta suo*" Vid. v. 375 - 376. Per *trabeam* designat regiam Romuli dignitatem. Sic I, 37: „*Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini* h. e. qui quondam rex fuit, nunc Deus est, *Romulum* hoc non latuerat, hoc mentis aciem viri non fugerat etc. Item II, 503 - 504: Julio Proculo „*Pulcher et humano major trabeaque decorus*, h. e. insigni regio ornatus, *Romulus in media visus adesse via.*" Porro: VI, 795 - 796: *Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis, cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae.*" H. e. d. 28. Jun. tibi, *suo quondam regi*, templa, *divino* te professuuri *cultu*, posuere Romani. — Inter *divinos* honores Quirini fuerunt α) *Templa*. Vid. loc. laud. β) *Sacerdos proprius ipsi* h. e. *Flamen Quirini* a Numa paulo post mortem Romuli creatus. Vid. Liv. I, 20. Qui inter alia Robiginis Deae sacra procurabat. Vid. IV, 910. Cfr. loc. omn. a v. 905 - 942. γ) *Ludi*. Vid. s. v. Quirinalis. Caet. Romani ipsi *populus Quirini* vocantur I, 69. Non sine vi. Nam subest haec verbis: populus qui vel originem debet suam Deo vel sub tutela est Dei. It. IV, 55 - 56: *Placet Ilia Marti, teque parit gemino juncte Quirine Remo.* In alloquii verbis hoc ipsum inest: qui jam Deus es et inter Deos vivis. — Romulum *e tenuissima conditione humana* perveniisse ad augustissimam numinis divini, etiam his usus formulis significat Poeta: *Bellicus a telo venit in*

in aſtra Deus." II, 478. It. „*In ſtipula placidi carpebat munera ſomni, et tamen ex illo vento in aſtra toro.*" III, 185 - 186. Rurſus vero, ut cauſſae inſerviret ſuae, Auguſtum omnibus modis elaturus contentione ejus cum Romulo inſtituta, inter antitheta, quibus hunc deprimit, nono loco legitur hoc II, 144: „*Coeleſtem fecit te pater* [Mars.]; *ille patrem.*" H. e. Julium Caeſarem.

Quirinus. Nomen fuiſſe hoc religioſum *Jani* etiam, docuit illuſtr. Op. intpr. ad I, 69. *Martem* porro Sabinos dixiſſe *Curinum* ſ. *Quirinum* i. e. haſtatum, docuit idem vir ſumme venerandus ad II, 477.

Quirites. „*Tum juvenem* [Remum necatum, cui ſuprema ſolvebantur] *nondum facti flevere Quirites*" H. e. nondum juncti cum Sabinis Romani erant, quo tempore commiſſa eſt caedes Remi. Vid. IV, 855. Conferantur de hac utriusque populi ſocietatis communitate, ſocioque Titi Tatii et Romuli regno loca VI, 93 - 96. III, 179 - 232. Anno vero *ſeptimo* poſt conditam Urbem in gratiam rediere inter ſe Romani et Sabini. Neceſſe igitur eſt, ut *Quiritium* nomen exinde quoque inde eſſe et paulatim frequentari coeperit. Vid. Not. ad II, 203 et 187. 2) De cauſſis agens cur Romulus ἀποφαντικὸς nomen Quirini acceperit, hanc quoque attulit II, 479: „*Sive ſuum regi nomen poſuere Quirites.*" 3) Romulus conſpicuus poſt fata factus Julio Proculo. „*Prohibe*, inquit, *lugere Quirites: nec violent lacrimis numina noſtra ſuis.*" II, 505 - 506. 4) III, 277 - 278: „*Principio nitimum promptos ad bella Quirites molliri placuit* [Numae] *jure Deumque metu.*" 5) III, 349: „Ille [Numa] redit laetus [a Jove de coelo deducti et Elicii inde dicti colloquio], *memoratque Quiritibus acta*" [H. e. promiſſa a Jove imperii pignora.] 6) „*Sollemni ludos Circo celebrate, Quirites* h. e. ludos d. 12. Maj. in honorem Martis Ultoris inſtitutos. V, 597. De formula cfr. Not. De re Not. ad *v.* 545. 7) Quirites, miro modo pro hominibus omnino, Herculis aevo. Tiberini accolis; immo *pro ſimulacris*, quae hominum imitabantur formas, poſiti leguntur V, 631: „*Illum* [Herculem] *ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites.*" Cfr. omn. loc. a v. 621 - 662. 8) VI, 775: „*Ite Deam* [Fortunam] *laeti Fortem celebrate, Quirites.* Plebem romanam inprimis honorifice ita adfatur Poeta. Vid. v. 781 - 782.

R.

Radius. Erudit (Pallas) *etiam ſtantes radio percurrere telas.* III, 819. Vide notata ad hunc notabilem de re textoria Veterum locum. Graecis, *ſtantes radio percurrere telas*, eſt uno verbo ἱστουργεῖν. Vid. acc. voc. definit. ap. Plat. in Cratylo c. 7. De notione vero vocabuli ἀναβαίνειν vid. intpr. ad Ariſtoph. Nub. 50 - 70. Cfr. Ind. ſ. v. *Pectén.* 2) Proprie de ſolis radiis legitur I, 385. Quo loco ſol juxta imaginem mythicam vocatur *Hyperion radiis cinctus.* β) Pruina calore ſolis decuſſa de foliis, *variae* (florum) *radiis intepeſcunt comae.* V, 216. γ) De ſolis occaſu VI, 717: *At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis* etc.

Ramnes, ium. Quamquam nomina extremorum quatuor anni menſium, *September, October, November et December* [quae ſunt *per ſe* adj. trium terminationum, *ber, bris, bre*] adhuc uſitata, ſatis oſtenduntur, annum Latii *decanum* h. e. decem ab initio fuiſſe menſium; tamen Poeta pluribus argumentis evincere ſtuduit, Martium menſem *primum* anni Romulei, annumque ipſum *decem* menſium fuiſſe. [III, 97 - 150.] Numeri denarii ſanctitas eſt inter cauſſas, cur in *anno ſuo* et in inſtitutis pluribus aliis sum ſervaverit Re-

mulus. Jam inter instituta, quae illi numero accommodaverit, laudantur etiam *Centuriae tres equitum* a Romulo conscriptae et Titienses, *Ramnenses* atque Luceres dictae. Vid. III, 131 - 132. Cfr. Liv. I, 13 extr. Add. ej. libr. cap. 36.

Rastrum. Factaque de rastri pondere cassis erat. I, 700. Pena Pacis quoties Poetae perlutata lugent cum malis belli, constanter amant fingere *instrumenta rustica* transformari *in instrumenta bellica.* v. Oracula Jes. II, 4. Joel. IV, 10. Mich. IV, 2. Virg. Georg. I, 508: *curvae rigidum falces conflantur in ensem.* Enses vero ipsi, duris crepitantes in incudibus quibus impositi sunt, pro signo *originis bellorum* omnino ponuntur II, 540.

Regius, a, um. Hinc *Regia* scil. domus. 1) Romuli, „*de canna straminibusque domus*" Ovidii adhuc aevo superstes. Vid. III, 183 - 184. Cfr. I, 199. 2) Pompilii. VI, 263 - 264. Cfr. II, 69. [E priori loco colligi posse videtur, inaedificasse Romanos *areae*, quae, ambitus exigui, sustinuerat *regiam Numae* incendio consumtam [Liv. XXVI, 27. XXVII, 11.] *atrium Vestae*, in memoriam vero pristini aedificii, quod antehac locum occupaverat, *atrium* etiam *regium* et *Penetrale Numae* dictum. Cfr. tamen Tacit. Annal. XV, 41.] 3) Servii Tullii in Esquiliis, VI, 601. 4) Regis sacrorum s. sacrificuli, juxta viam sacram, ut videtur. Ipsis cujusque anni Kalendis Martiis *janua regiae* recenti lauro condecorata fuisse legitur III, 139. — Caeterum *de mythica* Deorum sede legitur 1) IV, 699. Quo loco Jupiter: *Non ego*, inquit, *nobilior.* [Fratribus, Neptuno et Plutone.] *Posita est mihi regia coelo. Possidet alter aquas; alter inane Chaos.* 2) V, 448.: *Plejade nate!* [Mercuri.] — *Saepe ubi Stygii regia visa Jovis.*

Regifugium. Postquam vates noster, ordine dierum servato, memorabilia in Fastis notata pertractaverat ad de d. 20. Febr. qui „*dies ab extremo mense sextus a regis Tarquinii superbi*, [numero *octavi*, e computandi ratione quam Poeta sequutus est VI, 624.] *fuga traxerat nomen Regifugii*, de hac maxume memorabili re ita egit a Libr. II, v. 685 - 852. ut largam eam sibi fecerit materiam vario distinguendi ornatu poetico suum de anno Latii carmen: *Caussam remotam* sublatae regiae et potestatis et dignitatis haud dubie redditurus Poeta incipit a documento perfidiae, fraudis, et crudelitatis in urbis Gabinae incolas a Tarquinio ejusque filio natu minimo edito. (690 - 710.) Transit inde significaturus, ut videtur, praefinitam et decretam jam a Diis fuisse mox mutatam civitatis formam, ad Oraculi responsum *de osculanda matre* a Dec. Jun. Bruto recte intellectum et statim, quoad verba, expletum. (711 - 720.) Tum *ad proximam caussam* Regifugii h. e. ad notissimam illam de Lucretia ejusque sorte iniqua narrationem accedit. Quam quidem (721 - 852.) ita retulit per partes eundo et singula quaeque verbis amplificando et ornando, ut phantasiae, quod desideret quodve addat, nihil reliquerit. — Caeterum dies haec in Kalendariis quidem *Regifugium* dicta est. (Cfr. Auson. in Eclog. d. Fer. Rom. 13); Noster vero non usurus hoc nomine ipso „*a Regis fuga illam nomina traxisse*" ait: Inter dies *festos* fuisse apud Romanos monuerunt alii. II) Inter dies festos fuit etiam aliud *Regifugium*, idem *Regisfuga* a Poeta dictum, quo d. 27. aut 25. Maj. Rex sacrorum comitium Fori adibat, peractisque coram Saliis, Martis sacerdotibus, sacris, inde se fuga proripiebat. Vid. Not. ad V, 727. - 728. Cfr. Fest.

Regulus. Quae hodie hoc nuncupatur nomine stella, ea-

dem a Poeta noſtro his commemoratur verbis I, 655 - 656. *Sidere ab hoc* (a Lyra) *ignis, venienti nocte* (Dici 24. Januarii) *Leonis qui micat in medio pectore, merſus erit.* " Qua ratione populari poſſit inveniri, quae ſit Reguli immerſio intelligenda, ſic adparebit. Poſita eſt haec ſtella in ipſo fere Ecliptices circulo et *hodie* quidem tribus tantum et quod excurrit gradibus remota ab initio *ſigni* Virginis. Oritur igitur, Meridianum tranſit et occidit eodem fere cum ſole temporis articulo d. 20. Auguſti. Circa tempora vero vitae Ovidii et Horatii hoc fiebat, re non latum ad unguem caſtigata, d. 23. Jul. [Hinc aptiſſime ut omnino tempeſtati anni, ita inprimis coelo convenienter Italiae, Horatius Epp. I, 10, 15 - 17: „*Eſt — ubi gratior aura leniat — momenta Leonis, cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum.*] Jam ſtella relicta a Sole, ſpecioſum ſuum, ortum verſus, continuante curſum denuo emerſa e lutea Aurorae luce mane micuerit in coelo, neceſſe eſt menſe Septembri, *occiderit* vero *mane*, Soli orienti fere e regione poſita, menſe aut Januario aut certe Februario. Nam ſub initium menſis Martis *media nocte* hodie quoque tranſit circulum Lipſiae meridianum, qui non multo diſtat ab illo Romae Urbis. Caeterum quae nos non ſubtiliter diſputavimus, in ea nec Poeta accuratius inquiſiviſſe videtur, cum *unum eundemque* Leonis ſideris conſpectum *deſideratum* referat etiam ad d. 11. Febr. (II, 77, 78.) Veſpertino autem tempore et paulo quidem poſt ſolis occaſum (v. 73 - 74.) *ortum* eſſe Leonem non poteſt dubitari. Praeterire ſilentio h. l. non poſſum hanc eandem ab Ovidio commemoratam ſtellam inveniſſe Hipparchum anno a. C. n. 128. remotam a ♌ *tribus* ſignis 29°50′, (Vid. Bode Sternk. I, §. 218.) eandem jam (h. e. anno 1812.) inde abeſſe *quatuor* ſignis 27° 12′ 41″. Discrimen igitur ſeu ſpatium temporis, quo *ſertor* nunc ſtella iſta a tergo Solis, ut hoc utar, abſcondita lateat ita, ut eodem quo Sol temporis momento culminet, facile ratiocinando inveniri poterit. — Error etiam hallucinationi cuidam debitus corrigi a nobis debet hoc loco, quo in Ind. ſ. v. *Leo* nomen Reguli ſtellae cum nomine ſtellae in pede Orionis poſitae et *Rigel* dictae confudimus. Ad hanc enim non ad illam pertinet etymologica vocabuli ſignificatio l. l. commemorata.

Remulus. In catalogo, quem de regum Albanorum ſerie dedit Ovidius IV, 59 - 44, numero *decimus*. Tiberini laudatur nepos, Agrippae filius v. 49. Fulmine ictum periiſſe volunt, v. 50. Plura dedit de hoc Albanorum rege illuſtr. Faſtorum intpr. ad l. l.

Remuria, orum. Juſtis *Remo necato* a Romulo ſolutis narratur *umbra* conditi lecto adſtitiſſe Fauſtuli atque Accae et monuiſſe eos: rogarent fratrem ut „*celebrem feſto ſignaret honore diem* ſcil. qua necatus fuerit. Romulum obſequutum eſſe vocibus fratris ad ſe delatis „lucemque *Remuria* dixiſſe, *qua poſitis juſta ferantur avis.* Sic *Lemuria*, litera *R* in *L* mutata, orta eſſe. Vid. V, 445 - 482. Reliqua vid. in Ind. l. v. *Lemures* et Lemuria. Caet. inventum illud, vegetae Phantaſiae vi debitum quae, Pinacothecae comparanda ſimilitudine, mortuorum, qui cariſſimi nobis et familiariſſimi fuerant, ſervat fideliter imagines, inventum, inquam, illud, quo per ſomnium oblata ejusmodi defuncti imago, ut noſtro loco *Remi*, rogat, monet, mandat quidpiam, debuerunt Poetae, ut videtur, carminibus Homeri. Vid. Odyſſ. IV, 841. Ex quo quidem loco patet viſas per ſomnium Phantaſiae imagines *ſpectra* quoque habitas eſſe h. e. conſpicua aut ſpectabilia facta in rebus extra nos poſitis εἴδωλα ὑπαυγά-

[Man glaubte daſs die *Traumbilder* auch zugleich ſichtliche Erſcheinungen in der Sinnen- oder Aufsenwelt geweſen wären d. i. *Geſpenſter*.] Cum loco laudato *de Remo* cfr. loc. *de Didone* III, 639 - 642. Orientis vero antiquiſſimos populos, nondum ſatis ſubtili de Phantaſiae natura cum modoque, quae corpus in eam et ipſa in corpus agat, doctrina imbutos, inprimis multa tribuiſſe per ſomnia viſa, ex innumeris paſſet librorum utriusque Foederis locis.

Remus. Loca quae modum ſpectant, quo conceptus, natus, expoſitus ſervatus et educatus ſit, videſis collecta in Ind. ſ. v. Romulus. Nam quae ad hunc, eadem pleraque ad illum pertinent, ut v. c. de vitae genere, de condendae Urbis conſilio, quod utrumque utrique fratri gemello commune fuit etc. *De nece vero Remi* levitas Poetae repugnantia ſibi tradidit. Nam, undique adulandi Auguſtum materiem conquirens, poſtquam ineptiſſime hoc pronunciaverat judicium II, 133: *Romule concedas. Facit hic* (Auguſtus) *tua magna tuando moenia: tu dederas tranſilienda Remo*; idem ſubjunxit v. 143: *Te Remus incuſat* (necis ſuae crimine): *veniam dedit hoſtibus ille*. (Auguſtus.) Contra ea arte ſtuduit ſumma omnem delere ex animis ſuſpicionem ferocitatis Romuli et excitare adeo commiſerationis adfectus, cum dolorem luctumque Romuli ſummum fuiſſe fingat, nuncio de fratris Remi nece accepto nec proviſa ea, nedum ab ipſo perpetrata. Vid. IV, 837 - 856. Narrationem hanc, de nece Remi, ornatu poetico ſatis inſtructam, conferas cum ea, quae de *Remuriorum* a Romulo in fratris miſeri memoriam ſempiternam inſtitutorum origine originisque cauſſa agit V, 451 - 492. Cfr. Ind. ſ. v. *Lemuria* et *Remuria*.

Rex Sacrorum, ſeu ſacrificulus. De origine hujus ſacerdotum generis Liv. II, 2; *Rerum deinde*, [H. e. ſtatim poſt exactos reges] divinarum habita cura; et, *quia quaedam publice ſacra per ipſos reges faciebant erant*, ne ubiubi regum deſiderium eſſet, *regem ſacrificulum* creant. Id ſacerdotium *Pontifici ſubjecere*, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret." 2) De ordine civium, e quo deligendus erat. *Patricii generis* ſemper fuit. Nam a Cicerone Clodio, qui e gente Claudia *patricia* in gentem *plebejam* tranſierat, hoc propterea quoque culpae vertitur, quia populus Romanus brevi tempore ita *neque Regem ſacrorum* neque Flamines habiturus ſit. Vid. Orar. p. Dom. XIV. 2) *In collegio Pontificum* fuit, in quo habuit locum, quem tempus cooptationis ei daret. Vid. Cic. d. Haruſp. Reſp. VI. 3) Functum eſſe ſacerdotii ſui munere *per omnem annum* docet Dionyſ. Halic. IV. (p. 269. Ed. Sylb.) Ab Ovidio commemoratur in hoc Faſtorum opere *quater*. 1) Jani numina placabat Agonalium die, h. e. d. 9. Jan. et *aristis* quidem ſanguine. Vid. I, 333 - 334. 2) Pontifices ab ipſo et Flamine *lanas* petebant, quia veteri lingua *Februa* nomen erat. II, 21 - 22. 3) Inter documenta *ocio*, quibus oſtendit Poeta Martium fuiſſe primum anni Romulei menſem (Vid. III, 155 - 250.) *ſecundo loco* poſuit et hoc v. 159: „*Janua nunc Regis poſita viret arbore Phoebi.*" 4) De ritu miro, quo d. 24. Jun. Rex ſacrorum, ſacris in Comitio peractis, inde fuga ſe proripuerit, deque *literis quatuor*, quibus hoc in Faſtis notatum legebatur morisque ſacrorum iſtorum ſignificatione vid. illuſtr. Op. intpr. ad V, 727 - 728.

Rex Nemorenſis. H. e. ſacerdos Dianae ſeu *Dictynnae* [VI, 755 - 756.], cultae in luco Aricino, ſito ante portam Capenam. Cujus quidem ſacerdotium omnium contemtiſſimum fuit; quod ut facile colligi poterit ex

loco Noſtri (III, 271 - 272.) et monitis ſumme venerandi Interpr. ita confirmatur verbis Suetonii Calig. 35. Cfr. Ind. ſ. v. *Capena porta* et *Nemorenſis*. Locum Suetonii illuſtrant verba Poetae noſtri III, 271 - 272: *Regna tenent* (in luco Aricino) *fortesque manu pedibusque fugaces: et perit exemplo poſtmodo quisque ſuo.*

Rhea. Saturni uxor. Nomen habes hoc IV, 201. Locus, qui de hac Dea Deaeque hujus ſacris agit, pertinet a libr. laud. v. 179 - 372. Vid. Ind. ſ. vocabb. *Cybele Mater, Megalenſia, Ops* et *Berecynthia*.

Rhenus. Nobiliſſimus hic et quondam Gallos a Germanis disterminans amnis inde quoque nomen traxiſſe perhibetur. Nam adhuc vocabulum *Rain* ſ. *Rein* denotat limitem gramineum, quem inter agros, quo disterminet eos, a vomere intactum relinquunt. De curſu ejus pluribus egerunt Caeſ. d. B. G. IV, 10. Tacit. d. Sit. Morib. et Pop. Germ. Cap. I. *Bis* commemoratus legitur in Faſtorum opere. 1) I, 286: Janus *attollens oculos — adſpexit toto quidquid in orbe fuit. Pax erat;* (a. U. c. 770. p. C. n. 14.) *et veſtri, Germanice, cauſſa triumphi tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.* H. e. Germanique tandem poſt bella diuturna victi erant. (Tacit. Germ. Cap. 29: „*Protulit enim magnitudo Populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, imperii reverentiam.*) *Rhenus* eſt l. l. haud dubie *Deus* aquarum Rheni, qui confeſſus *ſigno externo*, h. e. aqua porrecta Germanicoque tradita, ſit, ſubeſſe ſe jam imperio Romanorum. Illuſtrat et confirmat dicta loc. V, 635 - 662. It. IV, 572. Quo quidem in loco Tibris Deus *potentiae aquae* parens futurus praedicatur. 2) Inter regiones, quas Poeta commemorat, ſignificaturus Cererem *vel remotiſſima Telluris loca petiiſſe*, ut filiam, raptam ſibi, inveſtigaret, atque ita ſimul *magnitudo adfectus amoris materni* pateret; ſunt etiam eae regiones, quarum alluunt aquae Rheni ripas. Vid. IV, 571.

Rhodanus. Inter innumera exempla, quales quantasque humanarum linguarum verba ſubire temporum progreſſu ſoleant commutationes, eſt hujus etiam amnis nomen, contrahendo in nomen *La Rhône* mutatum. Quae quidem contrahendi vocabula in brevius proclivitas omnibus communis omnium terrarum populis debetur ſtudio eloquendi ſeu pronunciandi *celeriter* quae cogitamus aut ſtudio aliorum *celeriter* cognoſcendi quae communicata ſibi cupiunt; itemque apud alios *cupidius* ſtudio. Caeterum apud Poetam hic fluvius eſt inter ſignа, quibus *vel remotiſſimas adire terras ferociſſimosque populos* Cererem non perhorruiſſe declarare voluit, dummodo amiſſam inveniret filiam. Vid. IV, 571.

Rhodope. Regio hujus Thraciae montis laudatur ut locus, ubi Bacchus quondam *caſu* didicerit aliosque poſtea docuerit artem *colligendi apes errantes* ita ut *in arbore clauderentur inani.* [Verius haud dubie in alveariis *arte factis*. Nam poſtquam arbores vetuſtate excavatas adamari capique ſedes ab apibus viderant homines, arte pararunt apibus ſedes, quae naturalium indolem et ſpeciem referrent.] Vid. III, 739 - 744. Sic Bacchus *mellium quoque repertor* (762.) extitit, *inventique praemia mellis* habuit. (744.) Caeterum emigrata ex alveari et vagantia recens procreatarum apum examina colligi poſſe *adhuc* volunt eadem arte, qua hoc fieri Bacchus caſu expertus erat. Vid. v. 740 - 742. De monte Rhodope cfr. Ind. ſ. v. *Pangaea*.

Rhoeteum. Promontorium pariter ac oppidum Troadis ad ſinuoſum quendam Helleſponti flexum orae Aſiae maritimae. Propter rapaciores ibi Helleſponti aquas ipſum promontorium *rapax* adpellari videtur a Poeta

IV, 279. Qui locus eſt *in catalogo, geographico locorum*, quae Ceres pererraſſe fingitur ut filiam quaereret raptam.

Rhombus, *i*. Eine Zauber-Spindel. V. pluribus not. ad II, 575. (Scheller vero reſpondere putavit hoc verbum verbis ling. vernac. Haſpel, Weife.) Adpellatur *fuſcus* ibd. Nomen eſt graecum a ῥέμβειν factum h. e. in gyrum agere, vertigine rotare, circumagere. Uſui magico inſerviens *rhombus* videtur κατ' ἐξοχήν dictum eſſe inſtrumentum, cui eidem, uſui domeſtico adcommodato, *fuſi* nomen erat.

Robigalis, *e*. 1) Ad Robiginem Deam pertinens, eam ulla ratione ſpectans. Vid. de hac Dea vocab. *Robigo*. 2) *Robigalia* ſcil. ſolennia ſ. ſacra, inſtituta jam a Numa et celebrata d. 25. April. in honorem, ſecundum Noſtrum, Robiginis *Deae*, ſecundum alios Robigi *Dei*. Agit de his ſacris, (quae inter alia piamina proprium habuerunt *victimam novam*, h. e. ab Romanis offerri in ſacrificiis alias non ſolitam, *canem*) Poeta IV, 905 - 942. Flamen Quirini procurabat haec ſacra, quorum procurationi, *ne ritus noſcius eſſet*, ipſe interfuit Poeta. Hinc plena illa, ſatis infrequens alias hincque ſaepe deſiderata, rituum deſcriptio, [906: candida comitatus turba porta Viminali egreſſus ſacerdos incedit in via Nomentana, abitque inde in Robiginis lucum. Ritus ipſos cognoſces a 933 - 936.] Preces Flaminis exornatas haud dubie a Poeta habes a v. 911 - 932. Similes ſunt precibus his preces Poetae pro frugum incolumitate I, 675 - 694.

Robigo, *inis*. Uno eodemque vocabulo Romani illud ferri vitium dixerunt, quod ſitu contrahit, (quo *carpitur*, *conteritur*, *perditur* aut *inquinatur*) *ferrum*, (IV, 923. 924. 925. 928.) (Der Roſt) et illum ſegetis morbum, qui in lingua patria vocatur: *der Brand des Getreides*. Vid. de hoc ſegetum morbo loca laudata a Fiſchero in Ind. ad Aeſch. ſ. v. ἐρυσίβη: Cfr. intpr. ad Virg. Georg. I, 151. In precibus paganorum pro avertendis a Cerere et Terra, Deabus, malis poſuit Poeta etiam hoc l, 687 - 688: „*Interea creſcat ſcabrae robiginis expers, nec vitio coeli palleat aegra ſeges.* 2) Propter hunc damnoſum ſegetis morbum *Robigo* Dea antiquiſſimis jam temporibus facta et culta eſt a Romanis, cujus lucus fuit ante portam Viminalem ad viam Nomentanam. IV, 905 - 908. Cfr. Not. Reliqua vide ſ. v. *Robigalis*.

Roboreus pons, Sic a ſublicis roboreis, h. e. e roboribus, duriſſimo quercuum genere, factis, *pons ſublicius* vocatur V, 621. In memoriam hominum, Diis quondam ſacrificatorum, quotannis d. 15. Maj. *Straminei Quirites* de ponte dicto in Tiberim miſſi fuiſſe loco laudato leguntur et modo quidem maxume ſolemni. Vid. Not. ad loc. V, 621 - 662a. Caet. occaſionem condendi pontis praebuit *Janiculum* urbi adjectum. Vid. Liv. I, 33. De Janiculi ſitu cfr. Ind. ſ. h. v. Propter ſacra dehinc ibi facienda *Pontifices* curabant faciendum et reficiendum hunc pontem, qui nomen quoque inde acceperunt ſuum. Vid. Dionyſ. Halic. in Archaeol. II, p. 132. Sylb.

Rogus h. e. lignorum ſtrues ad cremanda cadavera. *Suburbanis Roma incaluit rogis*. II, 550. Epitheton reſpicit morem legibus XII. Tabb. jam ſancitum, funera efferendi *extra urbem* ibique ullo in loco vel ſepeliendi vel urendi. Lex XII Tabb. fuit: Hominem mortuum in urbe ne ſepelito neve urito. v. Kirchmann. de Funerib. II, 20. *Moeſta Learcheas mater* (Ino) *tumulaverat umbras et dederat miſeris omnia juſta rogis*. VI, 492. Cfr. loca II, 814. III, 546. IV, 856. V, 463.

Roma. 1) Qualis *ante* eam conditam ſoli regionis facies fuerit, cognoſces ex locis his: 1) „*Hic, ubi nunc Roma eſt, in-*

caedua ſylva ſtrebat, [Jani ſcilicet temporibus.] *tantaque res paucis paſcua bubus erat.*" I, 243 - 244. 2) Carmenta, mater Evandri, cum filio ſubvecta e mari per oſtia Tiberis [de quibus cfr. Virg. Aen. VII, 29 - 36.] et adverſis obvia aquis fluvii „*in dextram* (h. e. meridionalem) *tendit ſua brachia ripam et Tiberini* ſic *adſpicit latus* [juxta quod poſtea *campus Martius* fuit, de cujus et *inſulae Tiberinae* origine vid. loc. cl. Liv. II, 5] *ſparſasque per loca ſola caſas.*" I, 501 - 505. 3) Janus contra ea ſolum coluerat, cujus „*laevum latus* [h. e. boreale] *Tibridis unda radebat.*" I, 241 - 242. Collis in ipſius honorem *Janiculum* adpellatus *arx* erat antiquiſſimi hujus Italiae regis. Ibd. 245 - 246. [Nobis igitur Germanis Romam adituris *cis* Tibrim ſitus, cum *trans* Tiberim Urbs poſita ſit ipſa.] Jucundiſſimum amoeniſſimae regionis proſpectum e Janiculi jugo Romanos cepiſſe teſtatur Martial. IV, 64. Cujus quidem epigrammatis opp veluti in tabula picta exhibitam putabis regionem illam. 4) „*Hic, ubi nunc Urbs eſt, tum* [cum Evander Arcas devectus eo eſt] *locus Urbis erat.*" II, 280. 5) *Jam modo, qua fuerant ſylvae pecorumque receſſus*, Urbs erat." III, 71 - 72. 6) „*Hic, ubi nunc Roma eſt, Orbis caput, arbor et herbae et paucae pecudes et caſa rara fuit.*" V, 93 - 94. 7) Tiberinus Deus ipſe Poetam noſtrum haec docuiſſe fingitur: „*Haec loca deſertas vidi ſine moenibus herbas. Paſcebat ſparſos utraque ripa boves.*" V, 639 - 640. De antiquiſſimis rerum in regione illa eventis exponit idem Deus usque ad v. 660. 8) Mons Aventinus *ſylva obſitus et Caci monſtri ſedes.* I, 551. VI, 518. 9) „*Monte ſub Esquilio, multis incaeduus annis, Junonis magnae nomine lucus erat.* [Ante Romuli tempora igitur extabat.] II, 435 - 436. 10) Romulus experiturus aves de condendae Urbis jure, utrum Dii ipſi an fratri illud conceſſuri ſint „*nemoroſi init ſaxa Palati.* IV, 815. Idem Jovis ſtatoris aedem condidit *ante Palatini ora jugi.* VI, 794. 11) Anicula Poetae revertenti qua *nova via* juncta erat *foro romano* et obſtupefacto conſpectu matronae, quae *nudo* deſcenderet *pede* in forum, haec enarraſſe fingitur VI, 401 - 414: „*Hoc, ubi nunc fora ſunt, udae tenuere paludes: amne redundatis foſſa madebat aquis. Curtius ille lacus — nunc ſolida eſt tellus, ſed lacus ante fuit.* [Vid. Liv. I, 12, 13.] *Qua Velabra* [Vide de ſitu Velabri not. ad v. 405.] *ſolent in Circum ducere pompam, nil praeter ſalices caſſaque canna fuit. — Hic quoque* (in foro romano) *lucus erat, juncis et arundine denſus et pede velato non adeunda palus.* [Cfr. Liv. I, 12, 13.] *Stagna receſſerunt et aquas ſua ripa coercet. — Mos tamen* [a matronis ſacrorum Veſtalium die obſervatus nudis in forum deſcendendi pedibus.] *inde manet.*" 12) De exponi juſſis Romulo et Remo agens, *locum*, ubi deponendi erant his deſignat verbis Poeta II, 391 - 392: „*Hic, ubi nunc fora ſunt, lintres errare videres; quaque jacent valles, Maxime Circe, tuae.*" De alveo vero, cui impoſiti erant gemelli, agens ait verſſ. 409 - 410: *Alveus in limo, ſylvis adpulſus opacis, paullatim, fluvio deficiente, ſedet.* 13) Campum, quae *Martius* deinde dictus eſt, *depreſſiori* loco juxta Tiberim ſitum fuiſſe teſtatumque ita, omnia ante Romam conditam loca Urbis, exceptis *montanis*, quae ſylvis horruerant, ab exundante Tiberi paludoſa et arundinoſa fuiſſe, docent verba III, 519 - 522: „*Altera gramineo* [h. e. Martio] *ſpectabis Equiria campo, quem Tibris curvis in latus urget aquis. Qui tamen ejecta ſi forte tenebitur unda; Coelius* (mons) *accipiat pulverulentus equos.*" Tandem 14) *aſylum*, quod Ro-

mulus aperuit, ipsum quoque *inter duos lucos*, lucus vero uterque inter Capitolium et arcem Tarpejam fuit. Vid. II, 67 - 68. III, 429 - 434. Add. quae notavit ad utrumque locum illustr. Fastor. intpr. — Jam cum, qualem modo descriptam per plura Fastorum loca legimus soli regionis faciem, *ante* oculos seu oculis subjectam haberet Carmenta, aptissime fingitur *praescia futuri vates*, ideoque tacta cogitatione fore, *quae tum fieri posse incredibilia immo ἀδύνατα* viderentur, in haec erumpere verba: „*Fallor? an hi fient ingentia moenia colles? jura ab hac terra caetera terra petet? — Montibus his olim totus promittitur orbis. Quis tantum fati* [De Romulo exposito II, 408: Heu *quantum fati* parva tabella vehit!] *credat habere locum?* Vid. I, 515 - 518. (Nobis vero, plenorum duodeviginti saeculorum inde a Nasonis vita praeteritorum fata et facta ejusdem Urbis, commutationesque rerum, quarum eadem per omnem globum terrestrem extitit caussa et origo, perlustrantibus, num minus videatur esse idonea caussa repetendi epiphonema: *Quis tantum fati credat habere locum?* 15) Pallantium seu Pallanteum monti, *Palatino* seu *Palatio* inde dicto, (v. Ind. s. h. v.) impositum ab Evandro circa annum a. C. n. 1251; aut sexagesimo ante bellum Trojanum anno. Pallanteo ipso *tempore priora* regionis *oppida Jani et Saturni* nobili loco laudat Virg. Aen. VIII, 355 - 361. II) Urbis origo. Cujus enarrandae occasionem praebuit Poetae *Palilium dies* h. e. d. 21. Apr. IV, 721. Qui quidem dies *natalis* etiam Romae Urbis fuit. IV. 806. [Propterea spatium quoque *quadraginta annorum* ita circumloquitur Noster VI, 257: „*Dena quater memorant habuisse Palilia Romam.*"] Hinc sequi jussit locum *de fundaminibus Urbi jactis.* (IV, 812 - 840.) Nominatim agit *de ritibus*, quibus designatus moenibus a Romulo locus sit. Ibd. 818 - 826. Tum *precum* subnectit *formulam* sive carmen, qua in ea inauguranda Romulum usum esse fingit a v. 827 - 833. *Faustis ominibus acceptis* (v. 833 - 834.) excitantur ad majorem cives [Qui fuerint et unde collecti docent loca II, 365. III, 61. IV, 801 - 805.] alacritatem maturandi opus condendae Urbis murique, quo erat cingenda, extollendi. v. 835 - 836. III) Urbis conditae *prima facies et externa civium regisque conditio* primis post Urbem conditam annis. Qualis illa et haec fuerit cognosces e Libr. III, 179 - 180. it. 191 - 192. Qualis vero primis omnino p. U. c. saeculis disces e Libr. I, 197 - 208. Quid nominatim *vere* statuerit aut existimaverit de Romulo primisque Romae incolis Poeta, docere videtur α) II, 139 - 143: *Tu, Romule, rapis — maritas. Tu recipis luco — nefas. Vis tibi grata fuit. — Tu domini nomen — tenes.* (Domini nomen opponitur l. l. leniori *Principis.*) *Te Remus incusat* (scil. parricidii.). β) III, 430 - 434; de asylo: *Romulus ut saxo lucum circumdedit alto: quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.* [Inde igitur *colluvies hominum nefariorum seu sceleratorum*, de qua Liv. I, 9.] *O quam de tenui Romanus origine crevit! Turba vetus, quam non invidiosa fuit!* — Seminarii Urbis optimam partem videntur constituisse *pastores* et *coloni*. De illis haec leguntur III, 191: „*In stabulis habitasse, boves pavisse nocebat.*" Non vero nocuisse hoc apud finitimos famae incolarum novae Urbis docet Liv. l. l. De *colonis* haec habet Poeta IV, 801 - 805: „*Cum condita Roma est, transferri jussos* (colonos) *in nova tecta Lares — ignem — cessaturae supposuisse casae.*" Nec verus *de his* est Poeta, dum ait II, 192: „*Nocebat jugera inculti pauca tenere soli.*" Documenta, quibus illustrat, quod contenderat verbis: *parva fuit, si prima velis ele-*

menta referre, Roma" (III, 179.) sunt: „*Moenia jam stabant, populis angusta futuris; credita sed turbae tunc nimis ampla suae.*" Vid. ibd. 181 - 182. De angustis agri Romani finibus tempore Romuli haec habet II, 137: *Tu* (Romule!), *breve, nescio quid, victiae telluris habebas* etc. Item v. 135: *Te Tatius, parvique Cures Caeninaque sensit.* H. e. non nisi vicinas, easque viribus longe inferiores, parvas civitates debellasti. *Sextum* viae Laurentinae *lapidem* olim constituisse terminum imperii Romani docet II, 679 - 682. Cfr. Not. De prima nec exigua partis Romae facie cfr. VI, 395 - 415. De prima vero Urbis tenui ejusque incolarum inopi conditione vid. III, 180 - 186. It. 191 - 192. Documenta hujus etiam rei excitat α) sua adhuc aetate extantem *vel ipsius Romuli regiam*, quae fuerat *de canna straminibusque domus.* III, 183 - 184. Quae eadem *casa parva capiens Deo gentium Deumque et ipsum factum* vocatur. I, 199. β) item *torum Romuli.* Nam „*in stipula placidi carpsisse munera somni*" narratur III, 185. Cfr. I, 205 - 206. Libro vero I, 200: „*dedisse*, ait, *Romulo exiguum fluminis ulvam torum.*" [Hanc eandem *paupertatis honestae* tertio repetitam notam invenies V, 519 - 520.] γ) „*Jovis angustam aedem et fictile in dextra ejus fulmen.* I, 201 - 202. δ) Porro *Vestae templum Numaeque regiam.* Nam VI, 261 - 264: *Quae nunc aere vides, stipula tunc tecta videres*, (scil. Vestae) *et paries lento vimine textus erat. Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae, tunc erat intonsi regia magna Numae.* ε) Consulum Senatorumque *vitam privatam.* De illis hoc edidit paupertatis honestae signum I, 207: „*Jura dabat populis posito modo Consul aratro.*" De his refert eod. libr. v. 204: „*Pascebatque suas ipse Senator oves.*" Superfedeo laudare alia in Fastis obvia loca, quae huc pertinent. Caeterequin non quisquam facile sine vera, clara et plena menti informata Romae Urbis regionisque ejusdem suburbanae imagine, ad omnium ac singulorum Fastorum operis locorum perspicuam et justam perveniet notitiam. Nam haud exigua pars locorum et aedificiorum memorabilium in Fastis commemoratorum sunt Romae ipsius, inprimis templa tot Urbis, quorum *dedicationis dies* ex ordine dierum anni commemoratur, item pontes, portae, porticus, viae publicae, montes etc. In subsidium igitur erit vocanda tabula topographica Urbis aeri incisa et praefixa Graevii Thes. Antqq. Romanar. T. I. IV.) Urbis conditae *potentia, facies incolarumque mores tempore Poetae.* Rerum romanarum commutationis ingentis *initia* refert Ovidius ad tempus finiti fere belli Punici secundi his verbis IV, 255 - 256: „*Post, ut Roma, potens opibus, jam saecula quinque vidit et edomito sustulit orbe caput* — Cybele Pessinunte Phrygiae urbe Romam devecta est. Hoc vero accidit a. U. c. 549. Cfr. cum loc. laud. versus, quibus *de vitiis contrariis* ex illo tempore natis, quae semet invicem elant, *luxuria* et *avaritia*, suo tempore *summis* (I, 195 - 196.) conqueritur Poeta I, 209 - 226: „*At postquam*, inquit ab initio loci, *Fortuna loci caput extulit hujus* [H. e. inde a saeculo sexto.] *et tetigit summos vertice Roma Deos* etc. Per προσωποποιΐαν Romam superbientem et capite prae fastu maxume elato incedentem finxit foeminam aut Deam. Claudianus eadem usus prosopopoeea plenam at oppositam Romae sui temporis h. e. malis omnis generis afflictae exhibuit imaginem in carmine de bello Gildonico. [Cfr. Zosim. V, 11.] Nam v. 17 - 27: „*Exitium jam Roma timens, canit, — ad — limen tendebat Olympi non solito vultu, nec qualis jura Britannis dividit, aut trepidos submittit fascibus Indos. — Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes. Inte-*

rius fugere genae. Jejuna lacertos exedit macies. Humeris vix sustinet aegris squalentem clypeum. Laxata cassida prodit. Canitiem plenamque trahit rubiginis hastam. Missis aliis locis, quae Romam sub specie foeminae aut Deae hac aut alia ratione adfectae exhibent, *de ejusdem potentia imperiique magnitudine* loca videbimus. α) II, 683 - 684: „*Gentibus est aliis tellus data limite certo: Romanae spatium est Urbis et Orbis idem.*" β) *Jupiter* arce sua *totum cum spectet in Orbem, nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.*" I, 85 - 86. γ) *Janus attollens oculos, diversa tuentes, adspexit toto quidquid in Orbe* [terrarum h. e. e mente Poetae, in orbe Romano] *fuit;* — Pax erat. II, 284 - 285. δ) „*Montibus hic* (sunt verba matris Evandri vaticinantis) *olim totus promittitur Orbis.*" I, 517. ε) *Urite — Pergama — flammae! — Num minus hic toto est, aliter Orbe cinis?* [H. e. nata quasi e cinere Trojae Roma.] Vid. not. ad loc. I, 525 - 526. ζ) *Tempus erit, cum vos* (Deos Iliacos et Vestam.) *Orbemque tuebitur idem* (Julius Caesar.) I, 529. η) *Si petat a victis,* (cognomina) *tot sumat nomina Caesar,* (Julius) *quod numero gentes maximus* (omnium h. e. terrarum) *Orbis habet.*" I, 600. θ) *Auspicibusque Diis tanti cognominis* (Augusti) *heres* [Tiberius] *omine suscipiat, quo pater, Orbis onus.* I, 616. ι) „Hic, ubi nunc Roma est, *Orbis caput,* arbor — et casa rara fuit. Quo postquam ventum: Consistite, praescia mater, (Evandri) *nam locus imperii rus erit istud,* ait." V, 93 - 94. κ) De Augusto II, 130: Jam pridem tu *pater Orbis* eras." λ) „Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere posset,) *victorem terris imposituraque padem.* Cuncta regas et sis magno sub Caesare semper. — Et *quoties steteris domito sublimis in orbe:* omnia sint *humeris inferiora tuis.*" IV, 857 - 862. Romam igitur hoc etiam loco per προσωποποιΐαν personam fecit ut in locis supra laudatis, quibus hunc a me non omittendum deinceps jungas. μ) Mars ad solium Jovis vocatus, de sorte *suorum* h. e. Romanorum iniqua, ita conqueritur: *Alpino Roma sub hoste jacet.* Haec est, *cui fuerat promissa potentia rerum, Jupiter? hanc terris imposituras eras?* etc. Vid. VI, 358 - 360. Jam cum ista magniloquentia romana, qua Poetae placuit *constanter* ambitum imperii romanae Urbis definire terminis *orbis maximi* h. e. orbis terrarum, [der Länder des Erdkreises. Caet. rectiorem de forma Telluris menti informatam habuisse Poetam nostrum notionem docet loc. class. VI, 269 - 280.] conferenda sunt verba Dionys. Halic. in Antqq. Rom. I, 8. init. Quo quidem loco Romam dicit τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν. It. Cap. IV, versu 16. ed. Sylb. " ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται· πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἀλλὰ καὶ τῆς Ὠκεανίτιδος ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατος ἐστί. [Columbus, Vasco de Gama, Magellaens atque Cook docuerunt, aliique multi hodie experiundo cognoverunt, multa dari alia maria, maximam partem superficiei globi terrestris occupantia, quibus innavigare οὐκ ἀδύνατον sit.] Πρώτη καὶ μόνη, τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων, ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυνατείας. Extrema verba interpretari sententiam videntur loci ν) II, 136. Ibi enim Poeta: „*Hoc* (Augusto) *duce,* inquit: *Romanum est solis utrumque latus.*" Quum nimirum *ab oriente sole ad occidentem* longissime porrectum pateret imperium Romanum h. e. ab Euphratis fere aquis ad ostia Tagi fluminis, mallem intelligi per verba: *solis utrumque latus,* ortivi et occidui solis regiones,

quam boreales et australes, (ornatissimis verbis sibi oppositas ab Horat. Odar. I, 22, 17 - 22.) quamquam non negaverim partes eis et ultra eclipticum solis orbem positas verius ideoque accuratius loquenti *solis latera* dicendas esse. Porrectum patebat imperium Romanum hac ratione a Syenes [hodie *Assuan*] in Aegypto superiori oppido h. e. ab ipso solstitii aestivi puncto seu tropici canceris circulo (vid. Strabo II, 134. XVII, 944. Plin. Hist. Nat. II, 73. Cfr. Kinnaird de Bruce Reise z. Entdeck. d. Quellen d. Nils, I, 213 - 218. Qui latitud. bor. *hodiernam* esse sit 24o',o',45") ad ostia Sequanae, Scaldis, Rheni et Visurgis. (Weler.) Jam quod *ad faciem Urbis tempore Poetae* attinet, instar omnium esse possunt quae leguntur α) de templis nominatimque de templo Jovis Capitolini I, 77 - 78: „*Flamma* (in aedis altari excitata) *nitore suo templorum verberat aurum et tremulum summa spargit in aede iubar.*" Id. eod. libr. v. 203: *Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis.* Cfr. not. Porro ibd. v. 223 - 224: „*Nos quoque* [Deos. Sunt verba Jani.] *templa juvant — aurea; majestas convenit ista Deo.*" β) Insanum vero hominum privatorum in aedificiis exstruendis luxum exemplo illustrat domus Vedii cujusdam Pollionis VI, 639 - 648. *Immensitatis*, quam tribuerat domui, notionem his perspicuam reddidit verbis: „*Urbis opus domus una fuit, spatiumque tenebat quo brevius muris oppida multa tenent.*" Recte vero apteque domum, quae talis erat amplitudine, dictum esse a Poeta *immensam*, non dubitabis, si memineris de domo agi hominis privati. De luxu vero *circa dapes* vid. VI, 169 - 180. qui *tenuitate victus* priscorum hominum e lege oppositi magis illustratur. *De moribus plebis romanae* loc. class. est III, 525 - 542. V, 335 - 345. *Tibicinum* nominatim qualis fuerit morum levitas docet jucundus lectu locus VI, 651 - 692. *Merecircum* vero loca IV, 865 - 876. V, 349 - 354. *Paganorum et pastorum* vitae simplicitas cognoscitur e locis I, 657 - 704. II, 639 - 684. It. IV, 685 - 709. 735 - 783.

Romanus, a, um. α) Amictus *romanus* h. e. toga Romanis propria. VI, 623. Permutavit variandi caussa nomen *togae*, quod v. 570. et v. 580. posuerat, cum illo. β) Annus *romanus* h. e. proprius Romanis III, 75. Qui idem nominatur *Latius* I, 1. *Romani conditor anni* Poeta ipse propter concinnatum Fastorum opus vocatur a Junone VI, 21. β) Urbs *romana* h. e. Roma ipsa II, 684. *Romanae conditor Urbis*, III, 24. *Romana sacerdos* Ilia seu Rhea Sylvia, Romuli mater, a Poeta lapso negligentiae errore vocatur III, 9. Virgo Vestalis enim Albae longae fuit. *Potentia romana* habet vires. II, 483. Ars *romana*. Qualis ea fuerit docet locus III, 103. *Bellica* nimirum, cui *constanter* cultae partum debuerunt orbis imperium. Vid. I, 29 - 30. III, 113 - 117. Hinc *patria* ars κατ' ἐξοχήν adpellatur ars bellandi II, 508. Nam additum „*militiaque* explicat prius. Cfr. III, 85 - 86. Hinc Poeta noster impositam vel suo tempore sibi vidit necessitatem excusandi *suam vacationem a militia* et suum studium II, 9 - 16. γ) Forum *romanum* v. Ind. s. v. Forum. A Tarquinio prisco tabernis et porticibus ornatum situmque inter montes Capitolinum et Palatinum fuisse atque idem *magnum* adpellatum docuit Lipsius de magnit. Rom. p. 141. Quod quidem forum, hodie *Campo vaccino* dictum, jam e decreto Senatus, qui jussu Napoleonis Magni hodie praeest rebus Urbis, terra et ruinis, quibus alte obrutum est, egestis, pristinae restituetur formae, si, quae decreta sunt per conceptas verborum formulas reapse quoque actutum effecta dentur. De *antiquissima* loci natura, quam postea Romulus, ut forum esset voluit Romanorum *rebus civilibus* agendis et ad *rempublicam* per-

tientibus non vero *venalibus* rebus aptum, vide VI, 395 - 413. 3) *Romanum* scil. negotium h. e. ad Romanos ulla ratione pertineps ita ut aut proprium aut subjectum iis sit. I, 86: „Jupiter — nil nisi *romanum*, quod tueatur, habet.“ H. e. omnes jam gentes omniumque gentium terrae subjectae nunc sunt imperio Romanorum, sunt in potestate eorum. It. II, 136: Hoc duce (Augusto) *romanum* est solis utrumque latus. V. s. v. Roma.

Romuleus, a, um. 1) *Romuleoque cadit trajectus Amulius ense* i. e. ense Romuli. Hoc vero pro: a Romulo ense trajectus etc. III, 67. 2) Mars, *memor accepti per me* [Floram Deam] *natalis, habeto tu quoque Romulea, dixit, in Urbe locum.* V, 260. Romulea urbs i. e. urbs a Romulo condita. 3) *Nam pater armipotens* [h. e. Mars], *postquam nova moenia vidit, multaque Romulea bella peracta manu, Jupiter, inquit, — redde patri natum.* II, 482. Ejusmodi formulae periphrasticae debentur studio concinnitatis, auribus gratae, et legibus metri.

Romulus, a, um. H. e. Romuleus etc. Hinc *Romula ficus*, monimentum loci tempore Poetae reliquum, ubi alveus sustinens impositos fratres geminos, Romulum et Remum, postquam aquae hibernae, quibus intumerat Tiberis, recesserant, in limo sederat. II, 409 - 11. Plinius in loco ab illustr. Op. edit. laud.: „Colitur ficus arbor *in foro ipso* [Romano] *ac Comitio Romae* nata. [Cfr. Noster in libr. laud. v. 391 - 395.] Sacra, fulguribus ibi conditis; *magisque ob memoriam ejus, quae nutrix fuit Romuli ac Remi* conditoris adpellata: [scil. Ruminalis.] quoniam sub ea inventa est lupa infantibus praebens *rumen* [ita vocabant *mammam*] miraculo *ex aere* juxta dicato, tanquam in Comitium sponte transisset. Adacto navigio illico arefcit, rursusque cura sacerdotum seritur.“

Romulus. De eo atque fratre Remo a Rhea Sylva seu Ilia, *Vestali, concepto* vid. III, 9 - 40. [In narratione circa *externam rerum conditionem*, qualis sacerdotis Vestalis tum fuerat, cum a Marte *omnium rerum nescia* comprimeretur et *conciperet* gemellos, selectiorem et exquisitum ornatum poeticum non desiderabis.] 2) De *prodigiosa* ejusdem et fratris nativitate vid. ibd. 41 - 48. 3) Adfectibus humanis egregie respondentem narrationem de iisdem, *cum tales essent forma vultuque*, cunctanter *expositis* et miraculose *servatis* habes II, 383 - 422. Cfr. III, 49 - 59. Perdere voluisse gemellos qui servare debuissent, servasse, quos perdituros eos credidisses, egregie monet Poeta II, 414 - 418. 4) Adultorum h. e. annos *duodeviginti* natorum, *auctoritas* inter rusticos et pastores, fortitudini, qua *vindices injuriarum* extiterant, debita III, 59 - 64. Videtur in tempus incidisse hoc, atque idcirco in tempus ante Romam conditam, quod Lupercalium originis *causam latinam* redditurus enarrat accidisse Poeta II, 359 - 380. Nam praedones, qui abigere dolo aut vi raperé tum saepissime haud dubie solebant pecudes et armenta, infectando, *auctoritatem* sibi parabant modo laudatam Romulus et Remus, inter agricolas et armentorum magistros. 5) Tria numina *Jovem, Venerem* et *Martem* invenit *generis sui auctores*, omnesque Albae Longae reges, Romulus IV, 23 - 60. 6) Certiores *de genere suo* facti altiores sumunt spiritus Romulus et Remus. III, 65 - 66. Hinc *vindex* primum Romulus extitit Numitoris patrui. Ibd. 67 - 68. Deinde *Urbis condendae consilium* cepit frater uterque. Ibd. 69. 71 - 72. 7) Copiose de ea condita ritibusque in ea condenda observatis agit Poeta IV, 807 - 840. 8) Remus frater ita necatus narratur, ut Romulus *a culpa omni* necis liberetur ibd. 837 - 856. V, 451 - 480. At contra ea parricidii eum,

inserviens caussae suae, accusat II, 143. Quo quidem loco omnino, ut Augustum extollat, satis inique *novem antithetis deinceps se excipientibus* Romulum deprimit a v. 133 - 144. 9) Conditor ut Urbis ita *anni etiam Latii* celebratur I, 27 - 42. Caussae digesti a Romulo *per menses decem* - tantum anni redduntur ibidem: α) Ignorantia siderum, cursusque lunae et solis. Cfr. III, 99 - 122. β) Mens in bellis gerendis omninoque armis tractandis *unice* occupata I, 29 - 30. III, 103 - 104. III, 113 - 118. γ) Rationes speciosae, quibus induci facile potuerit, ut suum annum non nisi *decem* faceret *mensium*. I, 31 - 38. III, 123 - 126. 133 - 134. *Marti* primum anni mensem factum esse voluit I, 39. III, 73 - 78. Pluribus argumentis hoc ita vere instituisse Romulum evincit III, 97 - 98. 135 - 148. 10) Tenuitas conditionis et vitae Romuli. α) Ante oculos omnium Romanorum, *dominorum Terrae* factorum, Poetae nostri adhuc tempore *testis* rei incorruptae fide erat *casa Romuli*. De qua haec refert III, 183 - 184: „Quae fuerit nostri, si quaeras, regia nati: adspice *de canna straminibusque* domum." Cfr. I, 199. atque ad *hunc* locum quae docuit interpr. Fast. illustr. Add. de eadem *casa Romulea* loca Petron. Fragm. 21, 6. Vitruv. II, 1. β) Pro toro eidem fuit *ex ulva aut stipula* lectus et pro cervicali maniplus *foeni*. I, 205 - 206. III, 185. [*Lapidem* pro cervicali habuisse, facit Aristophanes in ludibrium Penias *summae paupertatis notam*. vid. Plut. 542 - 543.] 11) Caussa spretae vicinorum divitum affinitatis, jungendae cum Romanis cum esset tenuitas rerum illa itemque *vitae genus*, (III, 191 - 192.) Romulus non nisi *raptu virginum Sabinarum aliorumque* (Vid. Not. ad III, 201.) parare suis maritas et prolem, qua continuaretur condita a se civitas, potuit. Locus est inter praestantissimos, qui continet narrationem de raptis Sabinorum, Caeninensium, Antemnatium et Crustuminorum puellis. Vid. III, 177 - 234. Occasio intertexendae narrationi praebuit *caussa* reddendae *Matronalium* ipsis Kal. Mart. celebratorum, quarum origo ab hoc raptu a multis repetebatur. Vid. l. l. 167 - 176. 12) Quod legitur episodium *de sterilitate Sabinarum raptarum* in Libr. II. a v. 425 - 452. insertum est occasione caussae explicandae, cur Lupercis *terga dederint pellibus exsectis* percutiendis maritae. Num origo ritus hujus reperebatur ab illa Sabinarum sterilitate, itaque tempus originis ad Romuli tempora referebatur. (II, 432.) 13) Apotheosis Romuli. Exposuit arte notabili de ea sic, ut fingat 1) primum Martem adisse Jovem eumque monuisse, justum jam adesse tempus ut exsolvat Jupiter se fide data; qua quondam promiserit se receptarum olim inter Coelites Romulum. Adnuente huic Martis monito Jove, sentit tremefacta cuncta rerum universitas majestatem Dei. II, 481 - 490. 2) Martis evectus equis inter mira naturae prodigia [Cfr. cum fictis Ovidii vera Livii I, 16. Ornata est Historici, ornatior vero Poetae, de qua agitur re, narratio.] coelum petiit *Deusque* factus est. II, 491 - 496. Inde ex eo tempore, qui Romulus ante fuerat, dictus est *Quirinus*. Sic *belluus a telo venit in astra* Romulus] (Ibd. 475 - 477.) quique *in stipula carpserat munera somni*, tamen inter Coelites receptus est. (III, 185 - 186.) Caussa autem *vera* apotheoseos Romuli narratur II, 497 - 512. Effectus porro apotheoseos, postquam *multa callidate* persuaserant patres plebi de ea, commemoratur 511 - 512. *Quirinalia* vero sic instituta et d. 17. Febr. celebrata opportunitatem praebuere Poetae, ubi ad hanc diem opus suum pertexuerat, adhuc exposita enarrandi in his Fastorum *σφάλματα* inde a II, 475 - 512. Caeterum, quod omiseram monere, in loci hujus fine ponatur: praeter rusticos et pastores

nobilissima urbs inter primos suos incolas aliam habuit hominum perditorum colluviem, a Romulo *in asylo suo aperto* collectam. De cujus quidem asyli loco et facie vid. II, 67 - 68. III, 429 - 434.

Ruma, H. e. ἡ θηλή, mamma. Vid. illustr. Op. Intpr. ad loc. II, 411. Quam Plut. Plin. et Fest. fuisse quondam vocabuli notionem adfirmarunt, in eam inquisiverunt, ut aptam rei caussam invenirent, cur ficus quaedam in ipso Comitio Romano diligenter et religiose culta cognomen tulerit *ruminae* seu *ruminalis*.

Ruminus, a, um. Rumina nunc ficus, Romula ficus erat. Vid. de ficu ruminali not. ad II, 412. Cfr. Ind. s. v. *Romulus, a, um.*

P. *Rutilius* Lupus, Consul in bello Marsico, quod Italicum etiam itemque Sociale adpellatur, copiis suis fusis, periit d. 11. Jun. a. U. c. 663. Quae dies cum Matralium esset, (VI, 473 - 562.) Matutam, cujus in honorem ea celebrabantur, his lepide finxit Poeta Rutilium deterrere studuisse verbis a belli imperio suscipiendo: „Quo properas — Rutili? *Luce mea Marso Consul ab hoste cades.*" Vid. loc. omn. VI, 563 - 566. Cfr. Not. ad h. l.

Rutrum a *ruere*, ut volunt h. e. eruere terram. In Catonis, de re rustica, opere, capp. 11. 12. est instrumentum rusticum fodiendae terrae aptum. Reliqua vid. in Not. ad IV, 843. Quo quidem in loco Celer a Romulo operi Urbis condendae praefectus *Remum, ausum* humiles transiliendo contemnere muros, *rutro occupasse* narratur. Nam sic verba capienda sunt. *Occupare* vero *quem qua re* est: eum hostiliter et subito ea re v. c. gladio, sica, aggredi; opprimere armis quem, ita, ut nec tempus nec potestas defensionis alteri detur.

Rutulus. Vinaliorum d. 23. April. (IV, 864.) in honorem Jovis (l. l. v. 878.) celebratorum inquirens in originem, Poeta repetit eam *a voto Aeneae*, quo Jovi, in bello contra Turnum Rutulorum regem gerendo, victoriam daturo sibi promiserit *e Latio palmite musta*, (v. 894.); quae, voti compos factus, *merito Jovi debita* reddiderit etiam postea. Vid. IV, 877 - 90. Caet. Rutuli mediae tenuerunt Italiae partem, Latinis juxta mare contermini. Plurima de bello cum Rutulis gesto habet Virg. Aen. VII - XII.

S.

Sabinus, a, um. Sententiam, *litasse* Diis homines priscae aetatis pauperes quidem at bonos, quamquam *nec sumtuosissimis nec e remotissimis terris petitis* usi sint rebus in sacris faciundis, ut sui temporis mos ferat, his extulit Poeta verbis I, 343: *Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis* etc. Ara non indignabatur quasi accipere oblata Diis, quibus sacra erat h. e. Dii ipsi non indignabantur ea accipere. 2) Pastoribus h. e. hominibus, quibus angusta res erat domi, praecipit ut Palilium die h. e. d. 21. Apr. inter alia suffimenta *tenuia, herbas* urant *Sabinas*. IV, 741. Volunt esse has herbas genus arborum in lingua patria dictum der *Säbenbaum* oder *Sadebaum*. Vid. loc. in Not. ad I, 343. laud. Dixisse multos Rhododendrum [die Lorbeerrose, der Oleander] herbam Sabinam docet Plin. XVI, 20. Semper virentibus fuisse foliis potest colligi e loc. laud. 2) Pompilium Numam gente *Sabinum* fuisse bis notavit Poeta α) VI, 259 - 260: *Regis opus* (Vestae sacra Romanae a. U. c. 40. recepta) *placidi, quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit.* Idem vero β) *oliviferis Romam deductus* fuisse *ab arvis* h. e. e terra Sabina narratur III, 151. Vid. Not.

Sabinus, i. 1) *Nomen* debuisse suum Sabini feruntur *Sabo*, regis Sanci Fidii Semonis, inter Deos relati, filio. *Aucto-*

rem vero *gentis* suae regemque omnium primum celebrarunt modo laudatum Sabi patrem. Vid. Not. ad VI, 213 - 218. 2) Colonia fuisse credebantur Lacedaemoniorum. Vid. Not. ad I, 260. Hinc ab Oebalo, antiquissimo horum rege, *Oebalii* et Romanae matronae propter junctos cum Romanis Sabines *Oebalides* dicuntur. Vid. Ind. s. h. v. 3) Terra Sabinorum Apennino monte a Picentinis, Nare amni (in Tiberim se exonerante. Vid. Plin. H. N. III, 5.) ab Umbris, Tybride ab Etruria secluſa, Latioque eadem et Aequis contermina fuit. 4) Caput urbium seu metropolis Sabinorum fuere *Cures*. [Hinc: *intumuere Cures* h. e. Curium cives i. e. Sabini omnino excanduere ira III, 201. It. *Sic voluere Cures* VI, 216. Syn. Sabini; v. 217. seu *turba Curensis* III, 94.] 5) Aut a Curibus, Romani et Sabini in unam coalescentes civitatem, *Curites*, deinde *Quirites* dicti putabantur, aut a Sabinorum vocab. Curis h. e. hasta, i. u. *Curites* essent *hastati*. II, 477 - 488. Cfr. Not. 6) De raptu virginum Sabinarum et reditu Romanorum, post bellum, cum earum patribus in gratiam vid. III, 177 - 232. 7) Titus Tatius, rex Sabinorum, in bello, quod exarserat propter raptas Sabinorum filias nubiles, paene occupata arce Tarpeja repellitur cum suis arte callida Jani Dei. I, 259 - 276. 8) *Junium mensem* nomen accepisse suum videri quoque posse a *junctis* Sabinis et Romanis Concordia Dea his docuisse fingitur verbis VI, 93 - 96: *Haec ubi narravit Tatium fortemque Quirinum, hinaque cum populis regna coisse suis, et Lare communi soceros generosque receptos: his nomen junctis Junius inquit, habet.*" 9) Deum Sabini coluere ipsis vernaculum, *trina* ferentem nomina. Quae quidem nomina fuere: α) *Sancus* s. Sangus s. Sanctus. β) *Fidius*; propter hoc nomen Deum *fidei* Graecorum h. e. Herculem a Sabinis sub hoc nomine cultum fuisse existumavere. Vid. Varro de Ling. Lat. IV, 10. Serv. ad Aen. I, 301. Propert. IV, 9, 74. γ) *Semo pater*. Qui *vere* fuerit hic trini nominis Deus, supra monitum est ad N. 1, 10) „*Hunc igitur veteres donarunt aede Sabini, inque Quirinali constituere jugo.*" Quae sunt verba Poetae nostri ipsius VI, 217 - 218. Cfr. Not. ad omn. loc. a v. 213 - 218. Cael. Taubner. in suo Fastorum Indice *) monet, secutus sententiam, quae iam aliorum fuerat a se laudatorum virorum doctorum: Sabinos Romam translatos jam tum aede donasse in monte Quirinali Deum, quem gentis suae auctorem habuerint; atque hanc primam respexisse Ovidium in loc. laud. At propter commemoratam dedicationis diem (Non. Jun. h. e. d. 5. Jun.) cogitaverit etiam necesse est de aede ea Sanci, cujus Dionys. Halic. mentionem fecit. Vid. loca laudata ab illustr. Fastor. intpr. ad v. 217. Idem Taubnerus haec subjunxit: „Simulacrum Dei Fidei *e veteri marmore Romae reperto* exhibet auct. ignost. Hierogl. Libr. I. cap. 32. Adjunctum vero esse hoc opus, addit Pierii Valerii Hierogl.

Sacellum. Commemoratum legitur in Fastis α) sacellum Jani β) sacellum Carmentae. A. Postquam Poeta Janum Deum, *conspicuum sibi factum* [I, 93-100. Quo sensu crebriores Deorum ἐπιφανείας in Fastis obvias capi voluerit Naso noster, ipse interpretatur modo ingenii sui cultu judicioque subactiori dignillimo VI, 3 - 8.] quaesierat I, 257: *Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno, hic ubi juncta foris templa duobus habes?* — Janus enarrato, quo *caussa rei* pateret, beneficio,

*) Ab hoc demum loco contigit mihi uti Indicibus Taubneri in Fastos Ovidii.

quo gratos sibi devinxerit Romanorum animos [vid. I. I. 259 - 274], respondit demum ad quaestionem propositam v. 275-276: „*Ara mihi posita est, parvo conjuncta sacello: Haec adolet flammis cum strue farra suis.*“ At quamvis arctissimo inter se nexu copulata videantur, quae respondit Janus cum iis, quae quaesierat ex eo Poeta, tamen non sustinuerim expedire difficultatem, quae nascitur inde, quod quaestio templum Jani *a Duillio* positum spectare existimetur, responsio vero templum eidem *a Romulo* sacratum. Vid. Not. ad loc. utrq. 3) Exposita *Carmentalium*, et priorum, d. 11. Jan. celebratorum, et posteriorum, d. 15. Jan. repetitorum, *origine* originisque, imprimis posteriorum, *causis*, (I, 461 - 586. I, 616 - 636.) de prohibitis a sacello Carmentae *exanimatis* seu morticinis haec interseruit Poeta v. 629 - 630: *Scortea non illi fas est inferre Sacello, ne violent puros exanimata focos.*“ Jam cum sacello adjuncti legantur fuisse *foci* h. e., numero plurali, ut saepissime, pro singulari posito, ara cum foco suo, nullus dubitaverim, quin sacellum nostrum ibi fuisse statuendum sit, ubi *ara* ejusdem Deae fuisse legatur simpliciter, nulla caeteroquin sacelli mentione facta. Quam quidem aram sub porta Carmentali, et ad radices quidem Capitolii suo adhuc tempore extantem vidisse se oculis suis, testatur Dionys. Archaeol. I, 32. Monstrasse eandem jam filium Carmentis, Evandrum Aeneae, finxit Virg. Aen. VIII, 337 - 341. Cfr. illustr. Op. intpr. ad I, 462. — Itaque notio *sacelli* seu *Cellae* ita constitui recte videtur, si dicatur fuisse: aedicula Numinum cui propria, quae continuerit aram numinisque simulacrum.

Sacerdos. 1) Cereale libum imponit arae Jani mixtaque farra sali Kal. Jan. I, 127 - 128. 2) Sacrificio ore Janum vocat modo *Patulcium* modo *Clusium*. Ibd. v. 129 - 130. (De sacerdotum ministris eorumque munere, quoties certe *cruenta* erat victima aut hostia major offerenda Diis, vid. illustr. Op. intpr. ad libr. laud. v. 319 - 332. Cfr. loc. IV, 413 - 414. It. v. 637 - 638.) 3) Partam per omnem terrarum orbem pacem a. U. c. 770, (I, 709 - 722. Cfr. v. 283-287.) celebrare a sacerdotibus ita jubet: „*Tura, sacerdotes, pucalibus addite flammis, albaque percussa victima fronte cadat.*“ Vid. I, 719 - 720. 4) „*Nomen idem* (Februorum) *ramo est qui, caesus ab arbore pura, casta sacerdotum tempora fronde tegit.*“ II, 25 - 26. 5) De Fauni cornipidis seu Panos sacris *a Romulo* celebratis agens „*Cornipedi*, inquit, *Fauno caesa de more capella, dumque sacerdotes* [Lupercii] *verubus transfuta saligna exta parant* — Romulus et frater — *Solitos et campo corpora nuda dabant.*“ II, 361 - 368. Cfr. de ritibus et epulis sacrificalibus. Not. 6) Augustus *sacerdos Vestae* propter Pontificatum Maximum d. 6. Mart. a. U. c. 741. acceptum adpellatur III, 425. 7) Julium Caesarem eaudem propter causam Vesta ipsa „*suum* vocat *sacerdotem*“ III, 699. Praerat enim Pontifex Maximus sacris Vestae Vestaeque sacerdotibus h. e. Virginibus Vestalibus. Eundem Julium Caesarem, ulturus necem viri, Octavianus ita laudat: *Si mihi bellandi pater* [Mars] *est Vestaeque sacerdos* (Caesar) *auctor.* V, 573-574. 8) *Archigallum*, summam inter reliquos Cybeles sacerdotes, h. e. Gallos, dignitatem obtinentem notasse putant Ovidium in loco ubi de Cybeles signo Romam devecto h. e. *lapide sacro* his agit verbis IV, 339 - 340: „*Illic* (ubi prope a Roma Almo influit in Tiberim) *purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacramque lavit aquis.*“ 9) Sacerdotes Sybillini aut collective *sacerdos* a Poeta

vocantur, aut *Quindecim virûm collegii magister* [Plin. H. N. XXVIII, 2.] h. e. eorundem sacerdotum Sybillinorum *magister* solus intelligendus erit per verba loci IV, 256: „*Carminis Euboïci fatidica verba sacerdos inspicit.*" Collata vero narratione Livii, qua exponit de libris Sybillinis inspectis *eadem in caussa*, cujus Ovidius l. l. mentionem fecit, intelligitur capiendum esse voc. *sacerdos* de *Decemviris*, quos invenisse ait in libris Sybillinis carmen de Matre Idaea a Pessinunte Romam advehenda. (Vid. Libr. XXIX, 10.) Nam quod ad numerum sacerdotum Sybillinorum attinet, fuerunt primum *duo*. [Vid. Dion. Halic. p. 259.] Ab a. U. c. 387. vero ad annum 673. *decem*, quorum quinque de plebe, quinque vero e patribus.] Vid. Liv. VI, 37. 42. Tandem *quindecim* facti sunt e lege Cornelia anno laudato. Postremo *sedecim*, uno a Julio Caesare addito et nomine Quindecimvirorum non mutato. Vid. Dio Cass. XLII, 51. XLIII, 51. Quo quidem loco: ἐς τε τοὺς πέντε καὶ δέκα Caesar ἕνα ἀποδεῖξαι narratur. 10) *Conjux sancta* [Flaminis] *Dialis* h. e. Flaminica de hoc suo marito loquens: Per illud tempus (a Kal. Jun. ad d. 15. Jun.) *non mihi — licet — tetigisse virum; quamvis Jovis ille sacerdos;* inquit, *quamvis perpetua sit mihi lege datus.*" Vid. VI, 226 - 232.

Sacerdos. De foeminis. A) Sic *Ilia* seu Sylvia Vestalis virgo, Romuli Remique parens facta „*Romana sacerdos*" vocatur III, 9. B) Carmens, Evandri mater, fatidica, propter hanc caussam et fortasse quia sacris quoque operata fuisse credita est, *Tegeaea sacerdos* nominatur VI, 531.

Sagaritis, idos. Multis occupatus Poeta in Megalesiorum d. 4. Apr. celebratorum memorabilibus exponendis, [IV, 179 - 372.] caussam quoque redditurus, cur *Cybeles*, cujus in honorem solennia illa celebrabantur, *sacerdotes* h. e. Galli *exsecti* esse soleant, eam refert *ad Attidis et Sagaritidis amores*, quibus Attin fidem Cybelae de pudicitia datam non praestiterit, et ad Cybeles vindictae studium, quae irata poenas exegerit a miseris. Quarum quae pertinuerint ad Sagaritida his descripsit verbis IV, 231 - 232: „*Naida* (h. e. Hamadryada) *vulneribus succidit in arbore factis. Illa perit. Fatum Naidos arbor erat.*" Quo quidem funesto amatae casu, quaque fidei fractae, quam de castitate dederat Cybelae, conscientia in furorem conjectus Athys ipse saxo acuto inguinis onus sibi exsecuisse narratur a v. 232 - 242. Atque inde iam dehinc mos apud sacerdotes magnae Matris Deorum invaluisse narratur exsecandi virilia. Reliqua de Sangaritide Nympha vid. in Not. ad l. l.

Sal. Duplex caussa reddi posse videtur, cur Poetae certatim *sal* et *far* commemorent, quoties et *remotissimi aevi* homines nil nisi haec obtulisse Diis et per has *vilissimi quamvis pretii res* litasse significare volunt. Altera erat *beneficii magnitudo* agnita vel a simpliciissimi ingenii hominibus in rebus dono a Diis acceptis, quarum sine copia et usu vita nulla esset. Altera vero studium Poetarum declarandi, hac utraque nota posita, Deos non *sumptuositate* rerum in sacrificium oblatarum sed *mente*, qua offerantur ab hominibus, moveri. Hinc 1) I, 337 - 338: „*Ante, Deos homini quod conciliare valeret, far erat et puri lucida mica salis.*" 2) Jano, antiquissimo inter Indigetes numini, vel Poetae tempore in memoriam conditionis aevi ejus, sacerdos ipse, Kal. Jan. imponebat *libum cereale* h. e. farinaceum, *mixtaque* farra sali h. e. farris grana admixta micis salis. I, 127 - 128. 3) „*Parva petunt Manes: pietas pro divite grata est munere: — Satis — et sparsae fruges parcaque*

mica salis." II, 535 - 538. 4) „*At vos — Coloni — farra Deae* (Cereri) *micaeque* (salis) *licet salientis honorem detis* etc. IV, 407 - 410. 5) De significatione obsoleti Februorum vocabuli agens „*Quaeque capit lictor*, inquit, *domibus purgamina certis, torrida cum mica* (salis) *farra vocantur idem.*" II, 23 - 24. Horat. Od. III, 23, 17 - 20: „*Immunis aram si tetigit manus, non sumptuosa blandior hostia mollibit aversos Penates, farre pio et saliente mica.*" Pers. Sat. II, 71 - 75: „Quin damus id Superis, de magna quod dare lance non possit magni Messalae lippa propago, compositum jus fasque animo, sanctosque recessus mentis et incoctum generoso pectus honesto. *Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo.*" Cfr. Juv. Sat. X, 354 - 366. Add. Ind. s. v. *Far.*

Salii, orum. Quum convenienter rei ita institutum esset a Numa ut mense Martio sacro Martisque nomen ferente sacerdotes huius Dei h. e. Salii sacra celebrarent ipsius, et primis quidem Martii mensis diebus, (III, 393 - 406.) aeque proposito suo convenienter egit Poeta noster de *sacerdotii Saliorum origine*, ubi ad memorabilia d. 2. Mart. perventum erat, h. e. a Libr. III, verss. 259 - 398. *Caussam originis* redditurus (quarum *veram* reddidit a v. 277 - 284.) adit precibus *primum* Egeriam ut ipsum edoceat eam, quippe cujus monitis *Numa* paruerit cum Salios institueret, cujusque inter facta sint, quae exponere velit. (v. 261 - 262.) Delatus *invocatione Egeriae* ad rem a scopo alienam, ut ornaret locum, *descripsit naturam loci, ubi fons Egeriae* erat itemque reliqua regionis ejusdem notabilia a v. 263 - 276. Quae quidem descriptio *inter ornamenta* argumenti per se tenuissimi *primum* occupat locum. Jam a v. 285. narratio incipit ipsa, qua caussa originis *proxima* eaque *naturae ex eventu miro petita* continetur. Narrationem, paucis absolutam, (a v. 285 - 288.) sequitur consilium Egeriae (a v. 289 - 294.) *de Pico Faunoque vinciendis dolo* et ita cogendis, ut aperiant modum et ritus expiandi Jovem. [De Oraculo Fauni et Pici, consultisque alia occasione his numinibus Latii agrestibus et vernaculis cfr. loc. IV, 641 - 672. Praeivit, quem sequutus est Ovidius et utroque in loco imitando expressit, Virgilius exemplo suo proposito, et descriptionis loci Oraculi, et modi, quo consultum sit responsaque dederit in Aen. Libr. VII, 81 - 106.] Nactus sic, quae unde unde potuit, cupidillime conquisivit, *ornamentum aliud*, quo loci de Saliorum origine tenuitati et sterilitati arte et ingenio subvenit, interferendo nimirum narrationem de consulto, a Numa Pico Faunoque a v. 295 - 328. Quam quidem narrationem excipit tertia *de Jove ipso* artibus Fauni et Pici *de coelo deducto et a Numa coram consulto.* Ecce tibi *tertium* loci ornamentum oblatum. Vid. a 329 - 348. *Quarto* loco positum inest narrationi de modo maxume solenni, quo Jupiter fide se exsolverit *de pignore imperii* h. e. *de Ancili* de coelo ita demittendo, ut testes rei *oculati* fierent omnes omnino cives Romani, qua praesens praesenti Numae se obstrinxerat ut esset *signum simul expiati et faventis numinis sui certissimum.* Vid. a v. 349 - 376. Jam dehinc demum transit *ad caussam instituti Saliorum sacerdotii* et reliqua rem ipsam spectantia. *Ancilis* nimirum forma descripta, quam nominis ipsius ratio *notatione* sua confirmet (v. 377 - 378.), plures simili figura eo consilio fieri jussisse Numam narrat, ne fatale hoc imperii pignus agnosci et surripi posset. Quo vero tutius ab omni periculo redderetur et hoc et reliqua ancilia, coelestia haec *Martis Gradivi arma*

(259 - 260. Cfr. 395 - 396. It. v. 388.) *Saliis* cuſtodienda et cum ſaltu (v. 387.) et cantu (v. 260. 388. 392.) per urbem d. 2. Mart. ferenda (v. 260.) commiſiſſe. A more ſaliendi Salios dictos fuiſſe monet v. 387.

Salus, utis. 1) Dea. Culta Romae fortaſſe publice inprimis, ex quo tempore templum habuit, ipſi bello Samnitium a C. Jun. Bubulco Coſ. votum a. U. c. 447, et ab eod. Cenſ. locatum a. U. c. 452. Poſitum vero erat in colle Quirinali ad portam *Salutarem* a Deae nomine ita dictam. Vid. Liv. IX, 43. Pictura hanc Deae aedem ornaverat Fabius ab arte Pictor adpellatus. Quod factum narrat Plinius a. U. c. 450. Qui quidem haec praeterea refert: „*quae pictura duravit ad noſtram memoriam, aede, Claudii principatu, exuſta.*“ Utrum propter hanc aedem an propter ſtatuam ab Auguſto eidem Deae dedicatam, [Vid. not. loci laudandi] utrum porro hactenus, quatenus erat Dea bonae valetudinis, an quoniam ſalutis publicae tutela eadem erat, commemoretur a Poeta, equidem non definiverim. Praeferenda tamen videtur ſententia poſterior, quia epitheto *Romanae* a Poeta et δημοσίας in loc. Zonar. laud. in Not. ornata legitur. Verba Poetae ſunt III, 879 - 881: *Inde* (ab aequinoctio) α) *quater paſtor ſaturos ubi clauſerit hoedos* β) *canuerint herbae rore recente quater: — adoranda — et Romana Salus — erit.*“ H. e. d. 27. Mart. Magno fuiſſe ambitu notionem quae inhaeſerit nomini *Deae* Salutis, vel e Terentii fabulis diſci poteſt. Nam in Adelphis (IV, 7, 43.) Demea ſenex ſaniſſimam ſanae mentis ſententiam hanc: ipſa numina nexum inter cauſſas morales et effectus morales, tollere non *poſſe*, ſic effatur: *O Juppiter! hanccine vitam, hoscine mores, hanc dementiam!* (ferre potes.) *Uxor ſine dote veniet; Intus pſaltria eſt; domus ſumptuoſa; adoleſcens luxu perditus; ſenex delirans. Ipſa ſi cupiat Salus, ſervare prorſus non poteſt hanc familiam.* Erat igitur *rei quoque familiaris cura* ſub tutela Salutis Deae. It. *bona corporis valetudo.* Nam in Hecyra (Act. III, 2, 2 - 3.) Soſtrata ſocrus ſollicita de Philumena nuru, aegra, *Male*, inquit, metuo, ne Philumenae magis morbus adgraveſcat! — Quod te, Aeſculapi et te, *Salus*, ne quid ſit hujus, oro.

Samius, a, um. Samium ab inſula patria, Samo, (vid. Ind. ſ. v. ſq.) *Pythagoram* abſolute, nomine viri proprio non addito, laudatum legimus III, 153. Quo quidem loco Pompilium Numam ex errore chronologico Pythagorae fecit diſcipulum, a quo forte acceperit, aeternis et conſtantibus naturae legibus maxume congruam, anni per *duodecim* menſes digerendi, rationem. At per inſtitutas ſubtiliores inquiſitiones chronologicas effectum eſt ut ſumatur, mortuum eſſe Numam anno a. C. n. 672. Pythagoram vero anno a. C. n. 504. Praeterea deſignavit Poeta noſter eundem Philoſophum in l. l. a praecipuo ipſius Μετεμψυχώσεως decreto his uſus verbis: „*qui poſſe renaſci nos putat.*“ Amarunt hoc facere et alii Poetae, v. c. Horat. Od. I, 28, 9 - 15. Ennium Poetam, juxta hoc Pythagorae placitum, ſtatuentem immigraſſe ſuum in corpus animum Homeri rident Horat. Epp. II, 1, 50 - 52. Perſ. Sat. VI, 10 - 11. Audacius *Samios ramos* dixit Perſius ductus literae Graecorum Y divergentes, quia Pythagoras ſymbolum eas fecerat viae virtutum et vitiorum. Vid. Sat. III, 56 - 57.

Samos. Inſula maris Aegaei, orae Aſiae minoris occidentali et urbi nominatim Epheſo ex adverſo poſita, ab Jonibus inhabitata, cultuque Junonis nobiliſſima. Templum Deae Herodotus inter opera artis tria, quae in inſula inveniantur, maxume ad-

miranda his refert verbis III, 60: *Τρίτον δέ σφι ἐξέργασται νηὸς μέγιστος πάντων νηῶν τῶν ἡμεῖς ἴδμεν· τοῦ ἀρχιτέκτων ηρώτος ἐγένετο* Ποίμος etc. Hinc locis Junoni maxume adamatis, quae jam nominatim a Junone laudantur ipsa in Hom. Iliad. IV, 51 - 52. subjunxit Noster Samon, his usus verbis VI, 47: *Poeniteat* [Si nominis Junii mensis mihi a Romanis negentur honores.] *Carthaginis arces — Sparten, Argosque, measque Mycenas et veterem Latio suppositisse Samon.* Loc. omn. expressus est, quoad mores et adfectus Junonis, ex Hom. l. l.

Sancus s. *Sangus* s. *Sanctus.* Cultum indigetis hujus sui numinis Sabini Romam secum transtulere atque in Quirinali jugo aedem eidem exstruxere. Vid. VI, 213 - 218. Nonas Junias fuisse sacras *Sanco*, qui idem *Fidius* et *Semo* nuncupabatur, docetur ibd. Reliqua vid. in Not. ad l. l. Cfr. Ind. s. v. *Sabinus.* N. 8. Itemque s. v. *Semo.*

Sapa. Palilium die, h. e. d. 21. Apr. Poeta vult ut pastores tum demum, ubi omnia rite peregerint quae *sacra Palis*, Deae pastoritiae, spectarent, genium curent seu genio indulgeant suo, his hoc innuens verbis: „Tum licet adposita, veluti cratere, camella, lac niveum potes *purpureamque sapam.*“ IV, 779 - 780. Locis de Sapa in Not. ad l. l. excitatis addi possunt, quae Schellero debemus, Pallad. Oct. 18. Colum. XII, 19. Martial. VII, 52, 6. Idem Schellerus autumat vocabulum linguae patriae *Saft* inde ortum videri posse.

Sapaei, orum. Thraciae partis ejus incolae, quae intra Hebrum amnem et Propontida continebatur, (Sie bewohnten den Landesstrich zwischen der Mariza und dem Mar di Marmora in Rumili.) austrumque versus Chersonesо Thraciae contermina erat. De *sacrificiorum eruentorum origine originisque caussa* agens Poeta ait I, 389 - 390: *Exta canum vidi Trivine libare Sapaeos et quicunque tuas accolit, Haeme,* [Hodie Turcis: *Emineh-Tagh*, it. *Balkan.*], *nives.* Cfr. illustr. Op. imprr. ad loc. laud. Cur. Romanorum Flamen Quirinalis Robigalium die, h. e. d. 25. Apr. *exta canis*, quem *novam* h. e. insolentem *victimam* ipse Poeta vocat, (IV, 937.) Robigini Deae sacrificaverit, docet Poetam sacerdos ipse IV, 933 - 942.

Sardous, a, um. In recensu seu catalogo locorum navi, ab ora Asiae minoris boreali, qua Ponti Euxini undis adluitur, solventi, vel adeunda vel praetereunda, ut ad ostia Tybridis feratur, commemorantur a Poeta *regna Sardoa* h. e. simpliciter Sardinia insula, circa a. U. c. 516. et a. C. n. 238., paulo post bellum Punicum primum a Tib. Sempronio Gracho perdomita. (Liv. XLI, 17. Cfr. c. 28.) Verba Poetae agentis de Cybele seu Magna Matre Deorum, e Pessinunte Phrygiae urbe Romam devecta, sunt IV, 289-290: *Sardoaque regna finistris prospicit a remis* (Cybele). Rectissime. Nam intra Sardiniam et Italiam ita erat in mari Tyrrheno navigandum ostia Tiberina petentibus, ut illa a manu esset sinistra, occidentem versus, posita. Loc. class. de Sardinia insula extat ap. Claudian. d. b. Gild. 508 - 527. Cujus quidem loci versus primi continent haec: *Humanae speciem plantae se magna figurat insula.\ Sardiniam dixere veteres coloni: Dives ager frugum* etc. Cfr. Horat. Od. I, 31, 3-4. De urbe *Caralt* (Cagliari; quae hodie est sedes regis Sardiniae Victoris Emanuelis I.) haec habet v. 521 - 523: *Urbs Libyam contra, Tyrio fundata potenti, tenditur in longum Caralis, tenuemque per undas obvia dimittit, fracturum flamina, collem.* etc.

Saturnius, a, um. 1) Populis Italiae, aut *Latii* certe, diu mansit nomen *gentis Saturniae*, ex quo tempore Saturnus e coe-

litibus regnis a Jove pulsus *latuerat in Latio* et Aborigines nominatim cultui adsueverat humaniori. Vid. I, 233 - 240. Cfr. Not. 2) Italia quondam *Saturnia terra* vocata est. V, 625. Nam „*haec illi a coelo proxima terra* fuit. VI, 32. 3) Romam ipsam quondam a patre suo h. e. Saturno dictam fuisse *Saturniam* Juno refert VI, 31. Cfr. loc. Varron. ab edit. Fast. illustr. laud. Caet. hoc insolentius dictum est pro: oppidum quondam extitisse *Saturniam* dictum in monte Capitolino, ipso quoque *Saturnio* dicto (Vid. Not.), qui jam Romae Urbis constituat partem. Add. de hoc oppido loc. nobil. Virg. Aen. VIII, 355 - 358. 4) *Saturnia* h. e. Saturni filia. Sic Juno saepe vocatur. Nam ipsa de se: „*Saturnum*, inquit, *prima parentem fect. Saturni fors ego prima fui.*" VI, 29 - 30. α) *Insidiosae* epith. ipsi bis tribuitur et primum quidem, quia inimico et offenso in Romanos animo „*appositas portae arcis Tarpejae feras clam demsisse* fingitur, quo tempore Romani in ea obsidione premebantur a Sabinis. I, 265 - 266. iterum vero VI, 507 - 508. Nam eo loco *dissimulat* Deam, ut Inonem perdat. β) Cum Ursae majoris sidus nunquam finientem subeat in remotioribus a circulo aequinoctiali hemisphaerii borealis partibus, hoc ex lepido Poetae nostri fortasse commento tribuitur *caussae mythologicae* h. e. vindictae studio Junonis, quia Juppiter Callistona a se quondam adamatam et postea in ursam mutatam inter sidera retulerat. Verba Poetae haec sunt II, 191 - 192: „Saevit adhuc canamque rogat *Saturnia* Tethyn, Maenaliam tactis ne lavet Arcton aquis." γ) Idem *Saturniae* cognomen pro Junonis nomine occurrit V, 235 et VI, 507. 5) Vesta *virgo Saturnia*, ejusque *frater* Jupiter vocatur VI, 383. Nam *ex Ope tertia semine Saturni creata Vesta fuit — quae impatiens restitit una viri.* Eod. libr. v. 285 - 288.

Saturnus. Paucissimis a limine observare hoc liceat: Mire ad unum eundemque Deum relata, de quo *aureum saeculum* apud Latii populos nomen acceperat, et a quo *libéros devoratos* Graecia (qualemcunque tandem mythi interpretationem admiseris) fabulata est. Pluribus inquirere in hanc rem non est huius loci. I) Stips inter strenas (vocabulum cujus conservat adhuc memoriam et vim Gallorum vocabulum: *des étrennes*) Kal. Jan. dono data, licuit opportunitatem praebuerat Poetae exagitandi *insatiabilem opum cupiditatem*, vitiis sui temporis hominum, *avaritiae* et *luxuriae*, per se sibi repugnantibus, debitam (I, 189 - 226.) ita laudandorum *felicissimorum Saturni temporum materiem* suppeditavit eidem, cum moris esset aut certe fuisset, *aera vetusta* (I, 220.) interque ea nummum vetustate summa commendabilem inter strenas dono dare, quippe quem Janus rex, qui primus aera signaverat, in memoriam *Saturni*, Jani tempore navi in Latium devecti, *forma* propterea *navis* ornari altera in parte jusserit. Vid. I, 227 - 254. 2) Cur *falcifer* exhibeatur hic Deus vid. explic. ad I, 233. *Falcifer senex* utique et simpliciter nominatur V, 627. 3) *Cybele*, quae eadem *Rhea* et *Ops*, Saturni conjux. Cujus quidem Deae de sacris agens (IV, 179 - 372.) rationem, cur adsiduo tympanorum et Cymbalorum itemque Berecynthiae tibiae gaudeat sono, reddit hanc IV, 197 - 214: Saturnum, *regum* (Cretae insulae?) *optimum*, Oraculi responso admonitum *a nato sceptris se excussum iri suis*, destinasse nulli proli suae parcere. Sic devoratas *tenuisse viscéribus* Vestam Cererem, Junonem, filias; (Vid. Not. ad v. 195: Cfr. loc. VI, 285 - 286.) itemque filios natos, Plutonem et Neptunum. Jovem vero natum, a matre, decepto

callide invento genitore, ita servatum esse ut *puerum infantem* in Ida monte Curetibus et Corybantibus custodiendum tradiderit, qui adsiduo *clypeorum* et *galearum* strepitu effecerint, *tutus ut vagiret infans* resque Saturnum lateret. 4) Sic satis deceptus (IV, 206.) regnis *a Jove adulto* pellitur Saturnus frustraque ipse *concitat iratus validos Titanas in arma*. Vid. III, 796 - 798. Ejus vero mater Terra *Gigantas*. V, 34 - 42. II, 461 - 462. Nominatimque *Typhona* II, 461. De cuius *Poena* cfr. I, 473. Add. Hom. Iliad. II, 782 sqq. Pindar. Olymp. IV, 11. 5) *Majestas* et, qui cum ea simul consederunt, *Pudor* et *Metus* multos medio in Olympo sedem habuere per annos, *dum senior fatis excidit arce Deus* h. e. Saturnus. V, 33 - 35. Quo facto „*saepe aliquis solito, quod Saturnus tenuerat, ausus est de media plebe sedere Deus*. Vid. ibd. 19 - 20. [Sumsit igitur Poeta, ut suam in rem hoc converteret l. l., Jovem *non statim* occupasse patris pulsi solium regium, sed aliquanto post demum eo potitum esse.] 6) *Coelitibus* igitur *regnis a Jove pulsus* in Italiam, Jano regnante, venit, (I, 233 - 236. Cfr. N. 1.) atque *haec illi a coelo proxima terra fuit*. VI, 32. *Saturniamque* in monte, qui postea Capitolinus dictus est, condidit. Vid. Not. ad VI, 31. Janiculum Jano tenente. (I, 245 - 246.) [Taubnerus in Indice suo: „Saturnum Cretae regem fuisse et inde pulsum in Italiam confugisse, Historiarum monumentis proditum est.“] Caeterum haec Jani et Saturni, Latii regulorum, tempora longe felicissima habita sunt propter causas, quas reddit ipse Janus I, 247 - 255; et de Saturni aevo Ovid. Met. I, 89 - 112. Nihilo minus vel de sui jam temporis hominibus satis facete conquerentem finxit Janum Poeta I, 191 - 194: „O quam te fallunt tua secula — qui stipe mel sumta dulcius esse putes! *Vix ego Saturno quemquam regnante videbam, cujus non animo dulcia lucra forent.*“ Saturni memoriam coluere quotannis Romae d. 15. Maj. *simularis virorum priscorum scirpeis* aut *straminеis* ritu solenni de ponte sublicio in Tiberim missis. Nam morem *homines vivos* quotannis libandi sic Saturno abrogaverat Evandri jam tempore Hercules. Vid. V, 621 - 662. Cfr. Notae. 8) Juno Junii mensis sibi vindicans, fastu plena, honores et jus suum ab ultima generis origine summaque hinc nobilitate inter numina reliqua repetens „*Si genus adspicitur: Saturnum prima parentem feci; Saturni sors ego prima fui.*“ VI, 29 - 30.

Satyrus, i. Sic, nomine hominis ipso nusquam posito, simpliciter *Marsyas* nominatur in narratione *de tibia a Pallade inventa* eademque, quia *os virgineum* deturpatum inflatu ejus senserat, abjecta, a Marsya vero suam in perniciem suscepta. Reliqua vid. in Ind. s. v. *Marsyas*. Caet. Phrygius et Hyagnidis quidem Mulici cujusdam filius fuisse diuque ante belli Trojani tempora vixisse putatur. Cum Xenoph. loco s. v. *Marsyas* laudato cfr. Herod. VII, 26: Οἱ δὲ (— ὑπαρχοι τοῦ στρατοῦ τοῦ Ξέρξου) — ὶ αὐτῆς (Φρυγίας) πορευόμενοι παρεγένοντο ἐς Κελαινὰς, ἵνα πηγαὶ ἀναδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονες ἢ Μαιάνδρου, τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Κατάρρηκτης· ὃς ἐξ αὐτῆς τῆς ἀγορῆς τῆς Κελαινίων ἀνατέλλων, ἐς τὸν Μαίανδρον ἐκδιδοῖ· ἐν τῇ καὶ ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλει ἀναρρέμαται· τὸν ὑπὸ Φρυγῶν λόγος ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐκδαρέντα ἀναρεμασθῆναι. Ex hoc Herodoti loco, reliquisque, partim ab edit. Fast. illustr. ad VI, 695. partim a Zeun. ad Xenoph. Anab. I, 2, 7 - 9. laudatis patet vera immixta fuisse fictis Fabulae de Marsya, qui *Silenus* ab

Herodoto, *Satyrus* ab Ovidio vocatur. Satyrorum nimirum natu maximos *Silenos* nuncupatos, docuisse *e Pausania in Atticis* Natalem Comitem in Mythol. cap. 8, ait Taubner. in Ind. s. sub voc. *Silenus*. Idem vir (in eod. Ind. s. v. *Satyrus*) e locis, Pausaniae in Atticis, Pompon. Melae III, 10. Plin. Hist. Nat. VII, 2. VIII, 54. Solin. Polyhist. Capp. 30. 34. evincere argumentis satis probabilibus studuit, effingendo numinum generi, quale *Satyros* Phantasiae informatum habuit antiquitas, occasionem praebuisse prima fama acceptas narrationes de ea simiorum specie, inter quam propter formam maxima intercedit cum humano genere similitudo. 2) Quod quidem jam numinum genus α) vini amans, β) joci non alienum, et γ) in Venerem pronum, δ) juvenilis item aetatis „Corymbiferi Festa Bacchi celebrasse cum Graecia fingitur I, 393 - 411. 3) *Comitatus Satyris arenoso ab Hebro* (amni, hodie *Mariza* dicto et in Rum-Ili sita) ibat Bacchus, cum casu (h. e. *tinnitibus* cymbolorum, quae Satyrorum manus ferebant) dulcis repertor mellis fieret. Saporis dulcedine moti *quaerunt* Satyri *flavos per omne nemus favos; Silenique parentis turgentia*, a spiculis quae crabrones h. e. apes capiti nudo defixerant, *ora* rident. III, 737 - 760. 4) „*Litore siccabat roranles nuda capillos* (Venus). *Viderunt Satyri, turba proterva, Deam. Sensit et opposita texit sua corpora myrtho.*" IV, 141 - 143. 5) *Cybele — convocat aeternos ad sua festa Deos. Convocat et Satyros* etc. VI, 323 - 324. 6) De Vindemitore, stella in astro Virginis, agens caussamque nominis reddens „Ampelon, inquit, intonsum *Satyris Nymphaque creatum* fertur in lemniis Bacchus amasse jugis." III, 409 - 410. Caet. omnium copiosissime et vere erudite egit de Sileno et *Satyris* Casaub. in Op. de Satyrica Graecorum Poesi et Romanorum Satira Libr. I, ejusque inprimis Cap. II. p. 25 - 75, edit. Ramb. Copiose etiam hac occasione disputavit de שעירים V. T. Th. Crenius in Praef. p. XIX - XXXVII.

I) *Scipio* (Publius Cornelius) Augustiorem, contendendo plura cognomina, redditurus cognomen Augusti, contendit id omnium primum cum Scipionis, quem *Africa de se vocat*. I, 593. Hic est, quem admodum adolescentem in prima belli Punici secundi *ad Ticinum* pugna patri vitam servasse volunt, quique quatuor et viginti ferme annos natus, quum extraordinaria cura deligendus videretur, qui *cum imperio* in Hispaniam mitteretur, professus est solus se id petere, quique cunctis omnium adeo ac singulorum hominum suffragiis eo missus est, ubi *inter sepulcra patris patruique* res gerenda erat. Quae sunt verba Liv. XXVI, 18, extr. Cfr. verba Flori II, 6. a loco: *in Hispaniam missi Cnaeus et Publius Scipiones* etc. Liv. XXVI, 18. Rebus ibi felicissime gestis tota Hispania intra quadriennii spatium in ditionem Romanorum pervenit a. U. c. 544; a. C. n. 210. (Alii tempus gesti belli definiunt spatiis annorum ab Urbe condita 542 ad 547. De cognomine quod, in Africam missus, victor Hannibalis in pugna apud Zamam, obtinuit, postquam hoc eventu et effectu haec pugna fuerat ut Carthaginenses pacem facere cum Romanis cogerentur, itaque componeretur bellum Punicum secundum a. U. c. 553 atque a. C. n. 201, postquam per decem et octo annos gestum erat, Livius haec habet XXX, 45: „*Africanum* cognomen militaris prius favor an popularis aura celebraverit, an, sicuti *Felicis* Sullae *Magnique* Pompeji, patrum memoria, coeptum ab adsentatione familiari sit, parum compertum habeo. *Primus cer-*

te hic imperator nomine victae ab se gentis est nobilitatus. Etc.“

II) *Scipio*, h. e. Publius Scipio Africanus *minor*, L. Aemilii Pauli filius, a Scipione, Africani *majoris*, de quo modo dictum est, filio adoptatus, ideoque *Scipio Aemilianus* cognominatus. Carthaginem delevit a. U. c. 608, a. C. n 146; Numantiam vero a. U. c. 621, a. C. n. 133. Hinc cognomen *Numantini* traxit. Vid. I, 596. Plura de hoc cognomine ejusque causa vide in Ind. s. v. Numantinus.

III) *Scipio*, h. e. Publius Cornelius Scipia *Nasica*, a nasi magnitudine ita nominatus. A senatu *optimus* cum vel adolescens judicatus esset, (Vid. Liv. XXIX, 14.) Oraculi ut monitis satisfieret, cum omnibus matronis obvius ire Ostiam jussus est signo Cybeles navi e Phrygia devecto, ut id acciperet. *Accepit templique* Deae faciendi *extitit auctor*. IV, 347. Pluribus locum discrepantem in nonnullis a Livii narratione illustravit summe venerab. Fast. edit. ad vers. laud. et v. 255. Cfr. scriptt. laud. ad v. 247. Res pertinet ad a. U. c. 549. et ad a. C. n. 205. Perlata est Dea in aedem Victoriae d. 12. Apr. Vid. Liv. 29, 14. Quatuor aut tribus annis ante finitum bellum Punicum secundum, de quo ante sermo fuit. Vid. N. 1.

Scorpio. Astrum ita dictum, est inter nitidissima duodecim Zodiaci signa eaque auctumni, quod quidem sol tum *vere* jam subibat circa d. 23. Octobr. Quo tempore, quod inde efficitur, una cum sole oriebatur, meridianum transibat et occidebat. Commemoratur 1) III, 711 - 712: *„Postera cum teneras Aurora refecerit herbas, Scorpios a prima parte videndus erit.“* Dies, quem notat Poeta, est d. 16. Mart. E modo dictis patet esse de occasu cosmico cogitandum. Nam sol, quotidie a mense Octobri ad mensem Martium ulterius Orientem versus remota a Scorpionis stellis, nunc oriebatur, quando hae mane occidebant, ita ut *non nisi a prima parte* corporis adhuc conspici posset. 2) IV, 163 - 164: *„Dum loquor, elatae metuendus acumine caudae Scorpios in virides praecipitatur aquas.“* Pertinent dicta ad d. 1. Apr. atque ad eundem, plenissimum vero, Scorpionis stellarum occasum matutinum 3) Caussam *mythologicam* nominis, praeter morem consuetum suum, laudare neglexit Poeta, loco maxume opportuno h. e. quo caussam signi Orionis cecinit. (V, 493 - 544.) Nam ille ipse *Scorpion* est, quem, a Tellure irata immissam, narrat (Vid. l. l. 541-542.) Oriona vicisse, *quum curva gemelliparae spicula ferret Deae* h. e. Latonae; ille, inquam, ipse est, quem inter astra relatum finxere Veteres *propter bene meritum potius ipsius* ictu suo letifero impedientis, quo minus Orion vim inferret Dianae. Nam sic res narratur ab aliis. Vid. Not. ad v. 537. Hinc Aratus rationem redditurus *mythologicam* cur Orionis astrum occidat, quando Scorpionis oriatur: „Ὅς (ὁ Σκορπίων, inquit) καὶ, ἐπερχόμενος, φοβέει μέγαν Ὠρίωνα.“ Narrataque historia de Orionis morte „Τοὔνεκα δὴ καὶ φασὶ, addit, περαιόθεν ἐρχομένοιο Σκορπίου Ὠρίωνα περὶ χθονὸς ἔσχατα φεύγειν.“ Vid. Phaen. 636 - 646. Lepidissimo in loco Metam. II, 1 sqq. quo fabula de Phaëthonte continetur, *bis* Scorpion commemoratur. Nam 1) Sol edocens filium de via sua quam, curru suo conscenso, emensurus sit „Per tamen, inquit, adversi gradieris cornua tauri - *saevaque circuitu curvantem brachia longo Scorpiona*“ vers. 80 - 83. Conscenso vero et per coeli convexa agitato jam curru Phaëthon majis majisque expaviscens *„sparsa quoque in vario passim miracula coelo, vastariumque videt trepidus si-*

mulacra ferarum. Eſt locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpios et, caudq flexisque utrinque lacertis, porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum. (Librae et Sagittarii). Hunc quer etc. Cfr. loc. Virg. Georg. I, 32 - 35. Caeterum lucidiſſima hujus ſideris isque *rubicundi* coloris ſtella *Antares* ſeu *Scorpionis cor* vocatur. Sub initium menſis Junii media nocte in ipſo culmine coeli micans hodie conſpicitur.

Scylla. Nomen hoc ipſum non occurrit. Circumloquutus autem eſt Scyllam verbis IV, 500: *Effugit* (Ceres filiam raptam ſollicito quaerens pectore) — *et vos, Niſaei naufraga monſtra, canes.*" Reliqua vide in Ind. ſ. v. *Charybdis.* Id. *Canis* et *Niſaeus, a, um.*

Scythicus, a, um. Inter formulas, quibus hanc enunciat ſententiam Poeta: *Hymnum non canam, quo Bacchum pleniore celebrem ore,* eſt haec quoque III, 719: — — *Scythicos longum enumerare triumphos* ſcl. Bacchi. Vid. de Scythiae ſitu Herod. IV, 99 - 102. Inter flumina, hodie quoque celeberrima, quae, quippe perennia naturae monimenta, facile etiamnum monſtrant, quas, inter hodiernas, terras Veteres ſuo tempore a Scythis incultas fuiſſe ſcriptis prodiderunt, laudat Herodotus (IV, 47 - 50.) Iſtrum (die Donau), Boryſthenem, (den Dnepr) Tanain (den Don) ſe exonerantem in paludem Maeotin, (IV, 57.) (in das Aſowſche Meer) quique effluit in Boryſthenem, Hypanin (den Bog) et interjacentem inter Iſtrum et Hypanin, Tyram (den Dnieſter) (Vid. de hoc Cap. 51. libr. laud. Ut alios plures praeteream ab Herodoto commemoratos l. l. Quarum igitur terrarum populos *a Dario Hyſtaſpis* Herodotus, et *a Baccho,* fabuloſe tamen, Noſter petitos fuiſſe narrat, earundem incolas hodiernas jam a Napoleone Magno bello peti videmus hoc, quem iniimus, anno. (1812.) 2) IV, 82: „*Me miſerum, Scythico quam procul illa* (Sulmo, urbs patria Poetae) *ſolo eſt!* — Exſul igitur in urbe et terra Tomitana haec ſcripſit.

Semele, es. Bacchi *mater* III, 715. *Pellex Jovis* e mente Junonis iratae vocatur, quippe quae Bacchum e Jove conceperat. VI, 487. *Obſequio Jovis* arſit. Eod. libr. 485. Quippe qui rogatus a temeraria *fulmina attulerat ad eam.* III, 715. *Inonis* ſoror, 488. Cadmi ergo, Thebarum conditoris et regis, *filia.* Pro ſororis Semeles nato, h. e. Baccho, extrema pati non dubitavit Ino, „*utilior Baccho quam fuit ipſa ſuis.*" VI, 562. Vid. Ind. ſ. vocc. *Ino, Matuta, Matronalia.* Lucus Semelae ad oram Tibridis commoratur VI, 503; ſerioribus duntaxat temporibus, quam quibus *Maenadas Auſonias* eum incoluiſſe Poeta ait l. l. Vid. Not.

Sementivus, a, um. Hinc *Sementiva dies,* (I, 658.) quae inter *non ſtatas* ſed indici ſolitas fuit. Non notata in Faſtis erat talis dies, quia incertum ſacro, certum, *ſeminibus jactis ubi foetus erat ager,* habebat tempus v. 657 - 662. (Das Feſt nach vollendeter Einſaat oder Feldbeſtellung war kein ſtehendes Feſt. Sic nec *Fornacalia* ſtata erant ſacra. Vid. Ind. ſ. h. v.) Nullus dubitaverim quin praeſtantiſſimis accenſendus ſit locis hic, cui commemoratio Sementis ſub finem Januarii peractae ſuppeditavit materiam inde a v. 657 - 704. Plinius *Vergiliarum occaſu matutino* definit initium ſementis frumenti. Hiſt. Nat. XVIII, 25. Vid. Ind. ſ. v. *Pletas.*

Semo, onis. Trium fuit nominum Deus, cum eundem *Fidium* et *Sancum* dixerint Sabini, quorum vernaculum fuit numen. Nomen *Semonis* accepiſſe volunt a duabus vocibus in unam contractis h. e. a *ſemi — homo,* [ap. Ennium: *Semi — hemo.*] ita ut cognomen fuerit

omnium Deorum, quos medios, inter Deos coelicolas omnino et homines mortales reliquos, esse vellent. Vid. Gesn. Thes. L. L. It. Scheller. in Lex. s. v. Semo, et Taub. in Fast. Ind. Quod si ita se res habuerit, cognomen Semo respondebit Graecorum nomini Ἥφαιστος; ita ut aptissimum Herculis, quem Sabinos coluisse sub hoc et Fidii nomine volunt, fuerit cognomen. Reliqua vide in Ind. s. v. *Sabinus*, N. 8. Add. N. 1. It. s. v. *Sancus*. Locus qui de hujus Dei cultu et aede agit, extat in Fast. VI, 213 - 218.

Senator. 1) De *caussa nominis* locus extat eximius ille, quo caussa continetur expositа nominis *Maji* mensis VI, 57 - 78. *Majum* mensem in honorem *majorum* natu h. e. *Senum*; nominatimque Senatus ita dictum fuisse docet etiam VI, 83 - 88. Synonym. vocab. fuit *Pater*. Nam, . *cum α) magna quondam capitis reverentia cani, β) inque suo pretio ruga senilis esset*, (v. 57. 58. 67 - 70.) *Romulus hoc vidit, selectaque pectora* (quae consilio patriae ferrent opem. Vid. v. 62; et, seniores, jura darent populo. Vid. v. 65.) *Patres dixit*. Hinc *patrum* nomine Senatores laudantur h. e. Senatus omnino, ita ut nunc *populus* reliquus omnis, nunc divisim equites et plebs opponantur. Vid. I, 69. 290. 643. II, 497. V, 327. *Curia* vero, senatus habendi locus, pro *Senatoribus* posita legitur II, 127. II) Senatorum priscae aetatis laudes, α) I, 204: *Pascebat suas ipse Senator oves.*" β) III, 771 - 772. 779 - 80. 783: *Restat, ut inveniam, quare toga libera detur Lucifero pueris, candide Bacche, tuo* (d. 17. Mart.) — *An quia, cum prisci colerent studiosius agros, et* patrio faceret rure *Senator* opus, — *rusticus* ad ludos populus veniebat in Urbem? — γ) Senatores iique vere *senes* omnes fuisse videntur qui, Roma a Gallis capta a. U. c. 363, necati sunt a victore, quorumque mentionem fecisse Martem in conventu Deorum finxit Noster VI, 363 - 364: „*Vidimus ornatos, aerata per atria, picta veste, triumphales occubuisse senes.*" Dignissima sunt, quae conferantur, ipsa Livii verba V, 41: „Gallos, — *patentibus* atriis principum, major prope cunctatio tenebat *aperta* quam clausa (h. e. plebis aedificia *obserata*) invadendi. *Adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros, praeter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam*, quam *vultus gravitasque oris prae se ferebat, simillimos Diis.*" (Quae quidem majestas „*datos fasces commendat eburque curule — et coronatis alta triumphat equis.*" Vid. V, 51 - 52.)

Senatus, us. Caussam nominis redditam lege V, 57 - 78. Cfr. voc. *Senator*. In eandem sententiam, quae l. l. legitur, Nestor, ab Agamemnone propter copias scienter in acie a se grandaevo dispositas collaudatus ita, ut adderet hic omnis exercitus Graecorum imperator: Εἰθ', ὡς θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν, ὥς τοι γουνατ' ἔποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη! ἀλλά σε γῆρας τείρει ὁμοίιον· respondet: Ἀλλ' οὔ πως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν. Εἰ τοτε κοῦρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ἱκάνει· ἀλλὰ καὶ ὣς ἱππεῦσι μετέσσομαι, ἠδὲ κελεύσω βουλῇ καὶ μύθοισι· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων. Αἰχμὰς δ' αἰχμάσσουσι νεώτεροι, οἵπερ ἐμοῖο ὀπλότεροι γεγάασι, πεποίθασίν τε βίηφιν. Vid. Iuc. in Iliad. Rhapl. IV, 310 - 325. 2) Nomen Senatus ab aetate repetitum se commendabat cogitatione *mitioris* h. e. sedatioris et lenioris ingenii, quale Senum esse sumitur. V, 64. [Quod quadrat majis etiam in nomen „*Patres.*" Quo nomine Romulus Senatum dici jussit. v. 71 - 72. Sic Telemachus, patris in Ithacenses *mite* saepius lau-

dans imperium, ſemper illud comparat cum *lentitate*, qua pater hoc nomine dignus patriam exerceat in ſuos poteſtatem. V. c. Odyſſ. II, 46 - 47: *πατέρ' ἐσθλὸν ἀπώλεσα, ὃς ποτ' ἐν ὑμῖν τοῖσδεσσιν βασίλευε, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν.* Cfr. II, 233 - 234. etc. 3) *Selecta pectora* (οἱ ἄριστοι) nominantur Senatores et *Patres* V, 71. 4) Muneris rationem his definivit verbis: α) Conſilio patriae ut ferrent opem. V, 62. β) ut jura darent populo. Ibd. v. 65. γ) ut curarent ſummae Urbis. v. 72. 5) Numerum Senatorum a Romulo definitum laudari putarunt interpretum plures verbis loci III, 127: „*Inde pares centum denos ſecrevit in orbes Romulus.*“ At vide not. Caet. 6) *decretorum Senatus* plurium fit mentio in Faſtis, ita vero ut *Patrum* fere nomine laudetur. (Sic etiam ubi ipſis Januarii Kalendis *Senatui* bene precatur his utitur verbis: *Dexter ades* (O, Jane!) *patribus tuis.* E decreto vero Senatus ſacrata fuiſſe leguntur α) templa Jovis et Aeſculapii. I, 290 - 294. β) matronis uſus *carpentorum* ereptus, mox vero reſtitutus eſt. I, 619. 620. 625. Vid. de hoc matrum *jure* (626) et *honore* (621) intpr. Op. illuſtr. ad loc. laud. γ) Auguſto nomen *Patris Patriae* datum. II, 127. Cfr. II, 637. δ) Senatus Romuleae plebi ſuſpectus necis. II, 497.) ε) E decreto Senatus, portento admoniti de impudico Virginum Veſtalium cum Equitibus commercio libri Sibyllini inſpecti ſunt. Quae, convenienter monitis acceptis, decreverit? vide expoſita pluribus in Not. ad IV, 157. ζ) Alio tempore alio portento admonitus, ejusdem carminis Euboici fatalia verba inſpici, inſpectorumque juxta effatum *Cybelen* magna pompa navi Romam deduci juſſit *Senatus.* Vid. Not. IV, 255. Sic cultus hujus quoque Deae Phrygiae Romae receptus eſt, [Recte irriſit Juvenalis innumerorum ſenſim ſenſimque Romae coli coeptorum Deorum abundantiam. Vid. Sat. XIII, 46 - 49.] η) Ejusdem vivacis carmine Sibyllae motus Senatus, ut Deorum placaret iram, *Veneri Erycinae* ac *Menti* templa vovit a. U. c. 535. Vid. Not. ad IV, 871. De aede *Menti* Deae *a Senatu* vota tum, cum Flaminius Coſ. bello Punico ſecundo ingenti clade ad lacum Traſimenum [Hodie *Lago di Perugia* in *Dep. di Traſimeno*] ab Hannibale adfectus eſſet, qua et ipſe periit, h. e. a. U. c. 536, cfr. loc. VI, 241 - 246. Vid. Ind. ſ. v. *Mens.* ϑ) Templum Deae Bonae in monte Aventino *Senatus* decreverat. Exſtructum dedicavit Kal. Maj. virgo e gente Claudia. Reſtituit vero Poetae tempore Livia. Vid. loc. V, 148 - 158. ι) Senatus poſtquam anno, quo peſſume defloruerant omnia, [in einem Jahre, in welchem nicht nur die Blumen der Gärten, ſondern die Bluth der Saaten, Oelbaume und Weinſtöcke auſserordentlich gelitten] corrigenda eſſe oblivia cultus Florae Deae (V, 311 - 312.) ſtatuerat, *vovit Deae, ut* bene floreret annus, *annua feſta.* Voti compos factus perſolvere vota Coſſ. L. Poſthumius Albinus et M. Popilius Laenas inſtituendo, ut quotannis inde ab a. U. c. 580. ludi celebrarentur Florales. Vid. Not. ad VI, 327 - 330. ια) Incendium commemorans, quo templum Veſtae bello Punico ſecundo conſumtum eſt, aptiſſime *Senatum* inprimis, propter *pignora imperii* in illo ſervata, ſollicitum finxit Poeta his uſus verbis VI, 437 - 438: „*Heu, quantum timuere Patres, quo tempore Veſta arſit et eſt adytis paene obruta ſuis!*“ ιβ) Anno U. c. 443, cum Tibicines, quorum ulus erat magnus in ludis, ſacris, et funeribus, aegre paſſi quod honos ademtus eſſet ipſis ab Appio Claudio, Aedili, ut volunt, in aede Jovis veſci, Tibur quaſi exulatum receſſiſſent, Plautius,

Collega Appli Claudii, arte effecit, si sequaris Poetae nostri narrationem, diversam eam a narratione Livii, non modo ut Romam omnium rerum nescii reducerentur, sed ut, quia *iniussu* Senatus (aliter Liv. Vid. Not. ad VI, 669.) intraverant Urbem, *Senatum fallerent specie numeroque.* Qua arte utrumque effecerit vid. expositum pluribus in omni loco, qui de Quinquatribus minoribus in honorem Minervae *a solis Tibicinibus* d. 13. Jun. celebratis agit VI, 651 - 710. Quae h. l. dedimus, ea sunt excerpta e Notis illustr. Fast. intpr. ad loc. laud. 1) Templum Mercurio positum *a Senatu* a. U. c. 258, dedicatumque d. 15. Maj. a M. Laetorio, commemoratur V, 669 - 670.

Septem. Hic quoque numerus, ut ternarius, superstitiosis vim, nescio quam, adjunctam habere sibi visus est, de qua multa Macrobius disputavit in Somn. Scip. I, 6. Item Censorin. d. D. N. VII - XIV. Poeta de sacris *Mutae* s. *Tacitae* Deae agens II, 576: Anus — *„septem nigras versat in ore fabas.“* Caeterum hoc sane paene sibi proprium habet vocabulum hujus numeri, ut in omnibus fere linguis similiter sonet, ita ut communis originis esse videatur. Inserta legitur de hac re commentatio libro menstruo: Die Berliner Monatschrift; at nescio cujus anni Volumini.

Septum. H. e. locus in campo Martio cancellis inclusus seu *septus;* si vero in alio loco comitia haberentur, extensis funibus definitus. Quorum septorum discrimina pro comitiorum diversitate diversa fuere. Sic in comitiis *curiatis* singula septa singulis Curiis h. e. triginta, in comitiis *tributis* septa singula singulis tribubus h. e. triginta quinque posita fuere; in centuriatis vero sex septis majoribus classes sex, totque minoribus quod essent centuriae, hae, h. e. 193. disclusae fuerunt. Vid. Intpr. ad Cic. p. Milon. 15. Cfr. Martial. II, 14. Ramlers Nachlese z. Mart. I, 20 - 23. Serv. ad Virg. Ecl. I, 34: *„Septa sunt loca in campo Martio inclusa tabulatis, in quibus populus Romanus suffragia fert.“* Hinc Poeta noster *dites comitiales* ita circumloquitur I, 53: *Est quoque, quo populum jus est includere septis.“* Syn. *Ovile.* Per *pontes* vero, seu *ponticulos* potius, eo transibant suffragiorum tabellas in adpositas *cistas* seu *cistellas* immissuri. Cic. ad Attic. I, 14. Cfr. Fast. V, 633.

Serpens. Vid. Ind. s. v. *Anguis.* Tertium hujus nominis sidus, quod insinuatum Ursae majori et Ursae minori ambit et cingit polum arcticum, *facete* ita commemoratur etiam in narratione de Phaëthonte temerario, infeliciter Solis currum et equos regere ausо Met. II, 175 sqq.: *Quaeque polo posita est glaciali proxima serpens, frigore pigra prius nec formidabilis ulli, incaluit, sumsitque novas fervoribus iras.“*

Servilius. (Publius Vatia.) *Isauricus.* Nomen viri ipsum non occurrit. Cognomen vero inter *comparatas* cum Octaviani cognomine, quo *Augustus* dictus est, his commemoratum legitur verbis I, 593 - 594: *Alter Isauras* aut Cretum *domitas testificatur opes.* Reliqua vide in Ind. s. v. Isaurus, a, am. Inter *Belli Piratici* memorabilia referenda sunt, quae praeclare gessit Servilius ab a. U. c. 674 - 679.

Servius (Tullius.) α) Natales viri. VI, 781 - 784: *Plebs colit hanc* [De templo et sacris Fortunae Fortis d. 25. Jun. celebratis agit Poeta], *quia qui posuit, de plebe fuisse fertur et ex humili sceptra tuliſſe loco.“* Item: *„Convenit et servis, serva quia Tullius ortus constituit dubiae templa propinqua Deae.“* Serva haec fuit *Ocresia Corniculana,* de qua vid. Ind. s. his vocabb. β) Jam

quale est insanabile hominis ingenium, postquam ad summam regiae dignitatis majestatem provexerant hunc virum eximiae naturae dotes, fortuna secunda et calliditas foeminae, obscaeno commento *divinam originem* Vulcano debitam adfinxerunt eidem, ut a coelo conceptum semina gentis habuisse vulgo persuaderent. Vid. loc. VI, 627 - 636. β) De eodem Ovid. VI, 624: „*Qui rex in nostra septimus urbe fuit.*" Titum Tatium Sabinorum regem a Romulo in regiae et dignitatis et nominis societatem admissum hic adnumerari regibus Romanis monuit illustr. Op. intpr. ad loc. laud. Id quod confirmari videtur verbis loci VI, 93 - 94. γ) Statua regis, et optimi et prudentissimi, cum posita in templo Fortunae, cujus ipse fuerat auctor, *injectis togis* lateret, de funestissimis et luctuosissimis miseri regis *fatis ultimis* pluribus exponendi opportunitatem praebuit Nostro, ut ita succi plenius et teretius redderet opus suum, quod per suam naturam exile et macilentum fuisset. Vid. loc. VI, 585 - 624. Caussae huic tertiae, cur ora regis multa lateant operta toga (580), praecedit duplex alia, *mythologica* altera (572 - 580.), altera adfectibus naturae certe congrua h. e. luctui de nece regis amati. (581 - 584.) Narrationem Livii de domesticis Servii Tullii rebus adversis, quae arte delineationis morum *contrariorum* tum Tulliarum tum Tarquiniorum inprimis se commendat, et illo suo in loco Ovidius mihi ante oculos habuisse videtur. Caeterum Servius Tullius regnavit ab a. U. c. 177. ad a. U. c. 217; h. e. a. C. n. 517 - 533. δ) De Matralibus: „*Hac ibi* (in foro boario) *luce* (d. 11. Jun.) *ferunt Matutae sacra parenti Sceptriferas Servi templa dedisse manus,*" VI, 481 - 489. ε) „*Lux eadem* (quae Matutae), *Fortuna, tua est, auctorque* (idem) *locusque*" ibd. v. 569. Templum igitur *Fortunae bonae* a Servio eodem d. 11. Jun. in foro boario item positum ibique dedicatum est. Jam in hoc templo conspiciebatur statua illa Servii Tullii *duabus undulatis togis operta.* Vid. Not. ad v. 570. Quae cum, templo flammis in cineres redacto, sola, quamvis *lignea*, mansisset integra (Vid. Not. ad VI, 625.) addidisse hoc miraculum fidem videtur sparsae narrationi: *Vulcanum Deum Servii patrem fuisse*, ortae inde, quod puero dormienti caput arserat. Liv. I, 39. Cfr. Nost. VI, 635 - 636. ζ) *Fortuna Fors* (non *Fortis.*) *in Tiberis ripa munera regis habuit* h. e. templum a Servio eodem Deae huic dedicatum. Vid. loc. VI, 773 - 784. Cfr. Not. Sacra fuit ei dies 25. Jun.

Sibylla. 1) De Annae Perennae festo geniali d. 15. Mart. celebrato agens, plebisque romanae ea occasione genio indulgentis mores festive verbis ad vivum pingens III, 531 - 534: *Sole tamen*, inquit, *vinoque calent, annosque precantur, quod fumant cyathos — invenies illic — quae sit per calices facta Sibylla suos;* h. e. potrices insatiatae bibendi cupiditatis. Verba Sibyllae in loco ab illustr. Op. edit. laud. sunt: „Nam jam mihi saecula septem acta vides; superest, numeros ut pulveris aequem, ter centum messes, ter centum musta videre" etc. De Oraculo Sibyllae Cumano cfr. Virg. VI, 9 sqq. 40 sqq. De consulto ab Aenea Oraculo, utroque et Ovid. et Virg. loco, sermo est. Sibyllae in Italiam adventum *posteriorem tempore* facit Liv. fatiloquae adventu Carmentae, matris Evandri Vid. I, 7. *Libri Sibyllini* ab ipsa saepe denominantur. Sic IV, 875: „*Carmine vivacis Venus est translata* (Eryce Romam) *Sibyllae.*" Item, cum Romani, prodigio *de ira Deorum* admoniti (Vid. Not. ad IV, 157.) a. U. c. 639. a vatibus consultis responsum accepissent, pudi-

citiam inceſtus flagitio violatam ejus rei cauſſam eſſe. *Cumaeam conſuluerunt anum* h. e. libros Sibyllinos inſpici juſſerunt. IV, 257 - 160. Iidem *Carminis Euboici fatalia verba* vocantur IV, 257. Item *carmen Euboicum* ſimpl. VI, 210. De cauſſa huj. cogn. praeter illuſtr. Op. inpr. ad Met. XIV, 155. cfr. illuſtr. Heyne ad Virg. Aen. VI, 2. Hiſtoriam Libr. Sibyll. habet Gell. N. A. I, 19. Dion. Hal. c IV, pag. 159 ſqq. Plin. H. N. XIII, 13. Scripti erant graece in verſibus hexametris. Locum, ubi conditi adſervabantur his deſignat verbis Dionyſ. Halic. Οὗτοι οἱ χρησμοὶ κείμενοι κατὰ γῆς ἐν τῷ ναῷ τοῦ καπιτωλίου Διὸς ἐν λάρναξι, ὑπὸ ἀνθρῶν δέκα φυλαττόμενοι. Vid. Antq. Rom. Libr. IV, p. 260. Cfr. Gell. loc. laud. Sed a. U. c. 670. cremati interiere una cum templo Jovis Capitolini. Caet. a nomine Sibyllae derivant Graecam vocem caſcam σιβυλλαίνειν h. e. ἐνθουσιάζειν. Vid. Diod. Sic. T. I. Libr. IV. p. 269. Edit. Hotom. Sibyllae vero nomen ipſum ab Aeolico Σιὸς Deus aut Σιὰ Dea (ut ἡ μεγάλη Σιὰ, Magna Dea. Vid. Ind. ſ. v. *Megaleſia.*) et βυλὴ h. e. βουλὴ, quae Deorum conſilia interpretatur; mulier fatidica, vates foemina.

Sicilia. Formam inſulae, Anglo-Britannorum, imperio, ſi non nomine, re certe hodie (1812) ſubjectae, his bene delineavit verbis Poeta IV, 419 - 420: *Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in aequor Trinacris,* [h. e. Sicilia] *a poſitu nomen adepta loci*" h. e. a τρίσι ἄκραις tribus promontoriis, in quae deſinunt ſinguli inſulae, Trianguli figuram referentis, anguli. Qui quidem anguli *terrae cornua prima ſuae* vocantur ibd. v. 480; nominibusque ſuis ita recenſentur in catalogo locorum a Cerere pererratorum, cum filiam raptam quaereret: Jamque *Peloriaden, Lilybaeaque, jamque Pachynon luſtrat* etc. Caeterum aptiſſime Poeta Siciliam dixit „*gratam Cereri domum*," (v. 421.) cum ſumma inſulae frugum, inprimis quae Cereri debentur, fertilitas eam a remotiſſimis inde temporibus fecerit horrea quaſi et granaria multarum gentium. De cauſſis, vitioſae adminiſtrandi eam rationi debitis, quibus impediuntur incolae, quo minus ſtudioſe et operoſe hodie ſolum colant; vid. illuſtr. Bartels in Itinerario ſuo inſcripto: Reiſe durch Calabrien und Sicilien. Caet. vel e numeroſis Urbium Siciliae, quae laudantur a Poeta in loco excitato, nominibus, colligi poteſt, verum fuiſſe quod dicit v. 421: „*Multas ibi Cererem poſſediſſe urbes.*" Ut hoc addam praeterea: in Homeri carminibus Sicilia vocatur Κυκλώπων γαῖα et ζείδωρος ἄρουρα. Odyſſ. IX, 106. Θρινακίη νῆσος. Vid. Odyſſ. XI, 106. XII, 127 ſqq. It. νῆσος τριῳμβρότου Ἡελίοιο. v. 269. 274. Locus omnis a v. 260 - 450. explicat verba Rhapſ. I, 7 - 9. Siciliae nomen ignorant carmina Homeri. De imagine quam mentis ſibi informatam habuerunt remotiſſimorum temporum homines de ſitu Siciliae regionumque circumjacentium vid. celeb. Voſs ad Virg. Georg. I, 471 - 473.

Siculus, a, um. De Arione celeberrimo artis et fidibus et voce canendi artifice II, 93: „*Nomen Arionium Siculas impleverat urbes.*" Methymna, oppido Lesbi inſulae patrio, navi in Italiam inferiorem et Siciliam devectus magnas ibi arte collegit opes. Caet. Plinius H. N. IX, 8. agens de Delphinis, narrat Arionem a Delphinum uno aliquo exceptum et ad litus Taenarium Peloponneſi [Bey dem Vorgebirge *Capo-Matapan* an der ſüdlichen Küſte der Inſel Morea.] devectum fuiſſe. Neapol. ad noſtr. loc. narrat: Arionem navi vectum, *cujus inſigne* Delphinus erat, et a nautis opibus haud dubie ſpoliatum, in Spartae dicto promontorio expoſitum fuiſſe. Jam, cum Corin-

thum inde profectus, rem Periandro (Corinthiorum regi, mortuo Olymp. XLVIII, 4. A. C. n. 585.) detuliſſet, nautas adventantes ſupplicio fuiſſe adfectos. Reliqua vid. in Ind. ſ. v. *Arion*. 2) De aede *Veneris Erycinae*: Templa frequentari Collinae proxima portae nunc decet: *a Siculo nomina colle habet*, h. e. Eryce monte Siciliae. IV, 871 - 872. Vid. loc. plenisſime illuſtr. a ſumme venerab. Faſtor. intpr. 3) Synon. voc. eſt *Trinacrius, a, um*, IV, 287 - 288.

Sidon. Fuit inter urbes Aſiae haud dubie longe antiquiſſimas. Commemoratur enim jam a Moſe h. e. ab auctore fragmenti geographici, quod Geneſeos Cap. X continetur. Vid. Cap. laud. v. 15. Quo quidem loco leguntur verba: *Et Chanaan genuit Sidona, primogenitum ſuum* h. e. aut: eum qui conditor fuit Sidonis urbis, aut: Sidoniorum i. e. Phoenicum omnino ſtirpis auctorem. Praeterea nec negligenda videtur notio propria vocabuli *Canaan*, quod denotat *mercatorem*. (v. c. Hoſ, XII, 8.) Quam notionem ſi reſpexeris, poterit loci ſenſus eſſe: *Mercatores omnium primam hanc condiderunt urbem*. Rectius vero a צוד venari, itemque piſcari nominis ratio et cauſſa repetitur. Quae quidem etymologia nominis confirmatur loco Juſtini (XVIII, 3.) laudato, tum ab illuſtr. Roſenmüllero in Scholiis ad Geneſ. Cap. X, 15., tum a ſumme venerando Schleuſnero in Lexico N. T. ſ. v. Σιδών. Quodque mireris, hodie denuo quadrat in locum illa Urbis originatio. Nam *a paucis iisque pauperrimis piſcatoribus*, teſtibus et antiquioribus et recentioribus Itinerariis, incolitur, *Saidque* dicitur. Menelaus ſeparatim Φοινίκην et Σιδονίους laudat Odyſſ. IV, 83 - 84. Telemacho vero dono dat κειμηλίων τὸ κάλλιστον καὶ τιμιώτατον, quod acceperat a Phaedimo *Sidoniorum rege* h. e. πρυτάνεα, qui totus erat argenteus a labris ſeu margine vero auro circumcluſus, ἔργον Ἡφαίστοιο h. e. artis omnibus numeris abſolutae opus. Vid. Ibd. v. 611 - 619. Herodotus laudat praeterea locum Iliad. VI, 289 - 296. Qui de palliolis agit artificioſiſſime *a mulierculis Sidonis* acu varie pictis e *Sindone* (Vid. Schleuſneri Lex. N. T. ſ. h. v.) haud dubie paratis; quae palliola Paris, cum Helena rapta Sidona delatus, inde Trojam ſecum attulerit. Tum addit II, 116: Ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη Αἰγύπτῳ· οἱ δὲ Φοίνικες, τῶν ἐστι ἡ Σιδών, ἐν τῇ Συρίῃ οἰκέουσι. Nam ut *Palaeſtina* ſic Phoenice quoque *pars Syriae* habita eſt. Quod quidem, ut de Palaeſtina jam e loco Herodoti laudato effici colligendo poteſt, ita diſertis verbis docet Appian. d. B. Mithr. Cap. CVI: Καὶ τὴν ἄλλην Συρίαν, ἥν τε περὶ Εὐφράτην ἐστὶ, καὶ Κοίλην καὶ Φοινίκην καὶ Παλαιστίνην λέγεται — ἀμαχεὶ [ὁ Πομπήιος] Ῥωμαίοις κατέστησατο. Sic hodie quoque *uno ſub nomine Soria* ſive *Soriſtan* eaedem a Turcis terrae comprehenduntur. Cfr. Ind. ſ. v. *Syrus*. Jam ab hujus urbis nomine duo vocabula derivata leguntur:

Sidonis, idis. 1) Sic a patria ſua dicte denominantur foeminae: α) Anna, Didus ſoror III, 649. β) Europa, Agenoris Tyriorum regis filia Cadmique ſoror. V, 610. 617. Tauri d. 14. Maj. exorientis ſignum coeleſte occaſionem praebuit Poetae intertexendi fabulam notiſſimam de amoribus Jovis et Europae. V, 603 - 620. Nam ex hac fabula multi repetierunt cauſſam nominis aſtri.

Sidonius, a, um. 2) Hinc *Sidonii*; h. e. Phoenices omnino, III, 107 - 108: *Quis tunc — ſenſerat — eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur Sidoniis, Helicen Graja carina notet?* Phoenices igitur, qui primi, patriae juxta mare mediterraneum poſitae agnoſcentes opportuniſſimum ad mercaturam ſitum et ad commercia cum exteris populis habenda

commoditatem, emensi sunt maris illius spatia, oculos, nocte navigantes, semper *in ursae minoris sidus*, ne de via aberrarent, intentos et fixos habuere, partim α) quia alto positum manet coelo mari mediterraneo innavigantibus, partim β) quia stellae sideris parum de loco suo moventur.

Sigeum, *i*. Promontorium Troadis ad Hellespontum cum cognomine oppido et portu. Hinc:

Sigeus, *a*, *um*. Cybele a Romanis a. U. c. 549. Pessinunte, Phrygiae urbe, petita et Pergami navi imposita, relictis Ponto Euxino, Bosporo Thracico et Propontide, deducitur per Hellespontum, ubi „*Rhoeteumque rapax Sigeaque litora transit.*“ IV, 279.

Silenus. Inter cultores et perpetuos Bacchi comites (I, 399. III, 745. 747 - 760.) 2) Senex *levis* h. e. glabro capite. III, 745. 3) Senior juventute Satyrorum in Venerem prona. I, 397. 399. 4) Inextinctae libidinis. I, 413. 5) Quem, quamvis senem, Naïadum urit nequitia. I, 414. 6) Bacchum sequitur pando semper vectus asello. I, 399. 433, III, 749. 7) Cybeles festis quae Dea Diis parabat, quamvis a nemine vocatus, adest. VI, 322 - 324. Vectus ad ea quoque festa asello suo. VI, 339. 8) *Piger* pandi tergo residet asselli. III, 749. Facetiarum plena est narratio a Poeta nostro, ut videtur, ficta de miseri sorte, cum dulcedine saporis mellium a Baccho repertorum illectus nimii eorum audaciorisque adpetitus has luat poenas α) ut spiculis a mille apibus compunctus turgentia habeat ora: β) ut doloris violentia, impotens sui factus, de asino decidat; γ) utque sui ipsius asselli calce, praeceps in terram delapsus, feriatur. δ) Quodque malis his miseri omnibus cumulum addit, ut lasciviae Satyrorum et ipsi adeo patri Baccho sic conspectus risui sit, claudicansque genu, ridendi materiem augeat. Vid. omn. loc. III, 744 - 760. Cfr. Ind. s. v. Satyrus.

Silvia. Numitoris Albanorum regis filia, Lausi soror. IV, 54. 2) Vestalis s. Vestae Albanae sacerdos. III, 11. Hinc parientem hac Deae castae ministra ostenta monstrosa. III, 45 - 48. 3) Romuli ac Remi e Marte mater. Vid. loc. class. de omni re ingenio Poetae egregie exornatum III, 9 - 51. Reliqua vid. in Ind. s. v. Ilia.

Silvius. Aeneae, secundum nostrum et Livium, nepos, Ascanii sive Julii filius, Latini secundi pater, Albae avus etc. de quo in catalogo Albae Longae regum Poeta IV, 41 - 42: *Postumus huic* (Julo.): *qui, quod silvis fuit ortus in altis, Silvius in Latia gente vocatus erat.*“

Sisyphus. Pliadum seu Vergiliarum, sideris in dorso Tauri, Zodiaci signi, referens originem mythologicam et nomina „*sapientissima*, inquit, *mortali, Merope, tibi, Sisyphe, nupsit* etc. IV, 175 - 176 Apollod. I, 9: Σίσυφος δὲ Αἰόλου κτίσας Ἔφυραν τὴν νῦν λεγομένην Κόρινθον, γαμεῖ Μερόπην τὴν Ἄτλαντος (καὶ Πλειόνης) etc. Ipsa igitur fata Deo erat. De Sisyphi apud inferos poena, ingens usque volvendi saxum, vid. Hom. Odyss. XI, 593 - 599. Qui vero fuerit, dum inter vivos esset, docet Glaucus Diomedem Iliad. VI, 152 - 153: Ἔστι πόλις Ἔφύρη [Corinthus. Quod quidem nomen Homeri carmina ipsum quoque norunt. Vid. Iliad. II, 570.] — ἐνθάδε Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γενετ' ἀνδρῶν, Σίσυφος Αἰολίδης etc. Caussam vero poenae in Orco perpetiendae fuisse Apollod. ait quod, rapta furtim a Jove Aegina Asopi filia, Dei apud patrem index exiterit. A Theseo occisus est, quia Isthmo potitus Corinthiaco Atticam exinde latrociniis infestaverat suis.

Sithones s. *Sidonii*. Sithoniam, unde Sithones nomen habuere, Herodotus *sensu angu-*

ſtiore dixit eam, quae circa ſinum Thermaicum [Hodie: *Golfo di Salonichi.*] has continebat a Graecis conditas urbes: Galepſum, Sermylen, Mecybernam, *Olynthum.* Vid. Polymn. ſ. H. c. 122. Plerisque vero in locis Veterum *Sithonia terra* eſt Thracia omnis, immo vel Macedoniae pars, ut in loco Poetae noſtri, qui, dum ſibi non eſſe hoc propoſitum ait, ut hymno celebret praeclare geſta Bacchi, his utitur verbis III, 719 - 720: *Sithonas et Scythicos longum enumerare triumphos et domitas gentes, turifer Inde, tuas.*" H. e. Sithonas i. e. Thracum et Indiae a te, Bacche, domitas gentes et de Scythis triumphos longum eſt enumerare. Plinius Thraciae populos omnes nominatim recenſens in Hiſt. Nat. L. IV, c. 11: „*Haemi adverſa*, inquit, *et in Iſtrum devexa* Moeſi — et *circa Ponti litora* Moriſeni *Sithonique Orphei vatis genitores obtinent.* (So wohnte dieſes Thraciſche Volk alſo zwiſchen dem jetzigen Gebirge Balkan, der Donau und nach Oſten bis an das Geſtade des ſchwarzen Meeres, folglich in dem Lande der jetzigen Bulgaren oder in der Bulgarey.

Sminthaeus. Cognomen Apollinis pro nomine ipſo; hoc vero pro Oraculo ejusdem, quod *ab Ilo*, Palladio h. e. armiferae coeleſti Minervae ſigno *Urbem in Iliacam* delapſo, conſultum eſſe legitur VI, 425. Cognomen accepiſſe Deus creditur a vocabulo Cretenſium σμίνθα ſ. ὁ σμίνθος mus (Videatur Strabo, XIII, p. 604.), quod hi coloniam [Teucrorum] deducturi reſponſum ab Apolline acceperint, ut ibi urbem conderent, ubi terra geniti ipſis obſtitiſſent. Ad Helleſponti igitur litora navi in terram egreſſi cum noctu mures clypeos adroſiſſent, Oraculi memores urbem, quam *Sminthiam* dixere, ibi condiderunt.

Sol. I) Phyſice ſpectatus, quatenus eſt corpus rerum Univerſitatis, quod α) motu ſuo diurno *ſpecioſo* a regionibus, ubi oriri ad regiones ubi occidere videtur et ab his viciſſim ad illas per partem coeli latentem temporis per *dies noctes*que digerendi, β) motu vero annuo eodem *ſpecioſo* ad occidua ad ortivam coeli plagam ejusdem temporis *per annos* diſtribuendi extitit cauſſa; cujusque γ) *luce* illuſtratur et *calore* foecundatur omnis nominatim orbis terrarum ſuperficies, quodque tandem δ) praecipuorum quatuor *anni* viciſſitudinum ortus origo et ratio, commemoratur in pluribus Faſtorum locis, ita tamen fere, ut *imaginibus mythologicis* rem exornet ipſam, utque verbis addat ſplendorem et gratiam conciliet dictis Poeta. 1) De rerum originibus agens Polyhymnia canit V, 11 - 15: *Poſt Chaos — Sol quoque cum ſtellis nulla gravitate retentus — exſiluit.* II) De ſpecioſo *per duodecim Zodiaci ſigna* motu annuo ab occidua ad ortivam coeli partem, quo extitit cauſſa temporis *per ſpatia annua* digerendi, III, 109 - 110: „*Quis tunc — ſenſerat* (Romuli aevo) — *ſignaque, quae longo frater* [Phoebus i. e. Sol] *percenſeat anno, ire per haec uno menſe ſororis* [Phoebes h. e. Lunae] *equos.* [*Lunares equos* hos dixerat in loco priori V, 16; poſueratque eos pro *Luna ipſa*, cujus ſolisque et ſtellarum de prima e Χάους elementis formatione ibi agebat. Ut vero ille locus Κοσμογονίας modum ſpectat, ſic noſter Περιοδῶν Solis et Lunae tempora tractat.] III) Qui condiderunt annum, ſpatio temporis eum definiverunt, quo Sol in punctum *brumae* h. e. in punctum ſolſtitii ſpecioſi *hiberni* degreſſa eodem revolvitur, indeque *principia* quoque anni capeſſiverunt. Quod quidem Poeta ornate his extulit verbis I, 163 - 164: „*Bruma novi prima eſt veteriſque noviſſima ſolis; principium ea*

piunt Phoebus et annus idem." Caet. comprehendi Fastorum sex libris adhuc reliquis *memorabilia coelestia* dimidiae anni partis, patet e Cancri *occasu cosmico matutino* statim ab initio et inter omnia sidera primum commemorato I, 313 - 314. ejusdemque *occasu heliaco vespertino* in iisdem libris ultimo fere loco versusque Operis finem laudato VI, 727. IV) Jam *moras Solis, quibus in sua signa redit* (III, 161.) ita definivit: 1) Capricorno relicto *Aquarii* stellas subit d. 16. Jan. I, 651 - 652. 2) Quas ubi percucurrit, *pisces* eum excipiunt proxime positi, ita ut hi a tergo solis lateant cumque eo et oriantur et occidant a d. aut 15. aut 21. Febr. II, 457 - 458. 3) *Arietis* vellera premere incipit a d. 23. Mart. III, 851 - 852. 4) *Tauri*, aut ut aliis placuit, *Vaccae* signum obvium adit d. 20. Apr. IV, 715 - 720. 5) In *Geminos* transit d. 19. Maj. V, 694 - 696. 6) Ex his abit et *cancri signa rubescunt* d. 18. Jun. VI, 725 - 727. (Hujus formulae, caeterorum exquisitae, verba non sunt premenda. Nam, non ubi incipiunt immergi solis occidentis radiis, quo quidem tempore *rubescunt*, sed quo jam sol medius esse incipit inter Terram Cancrique stellas, adisse hoc signum, seu *transisse in hoc signum* a Veteribus jam recte dicebatur Sol.) V) α) Duos plenos praeteriisse annos tertiumque in cursu fuisse significaturus his utitur verbis Poeta III, 575: *Signa recensuerat bis Sol sua, tertius ibat annus.* β) Menstruum temporis spatium plerumque quidem definiri solet, a nostro quoque Poeta, tempore, quo conficit Luna cursum per duodecim Zodiaci signa (Vid. III, 109 - 110. Cfr. Ind. s. v. *Luna.*) ornate tamen aeque ac vere hoc simplex, Rheam Silviam, gravidam a Marte *exactis decem*, postquam conceperat, *mensibus* peperisse Romulum et Remum, ita extulit III, 43 - 45: *Quo minus emeritis exiret cursibus annus, restabant nitido jam duo signa Deo: Silvia fit mater.* Illustranda est formula prior comparatis his illo: *spes erat in cursu* VI, 362. *Vox erat in cursu* V, 245. Cfr. alia loca ab illustri Fastor. intpr. laudata ad VI, 362. Itemque formulae adamatae Nasoni similes v. c. *tempora veris eunt* II, 150: It. *tertius ibat annus* III, 575 - 576. *Primus — mensis eat.* III, 76; et sic porro. VI) Omnium *maxume sublimis* locus est IV, 581 - 584. Nam ibi, quicquid per omnem globi terrestris superficiem longe lateque intra utrumque polum fit evenitque, *Sol videre* dicitur. Cfr. Ind. s. v. *Parrhasis* et s. v. *Helice.* Hinc Cereri Sol solus et primus, de filia erepta rogatus ut, qui miserae matri eam rapuerit, respondeat, ita respondet, ut certiorem eam *de filiae sorte* faciat erroribusque matris tandem diuturnis imponat finem. β) Magnifice hac quoque formula denotat *magnitudinem imperii Romani* h. e. ingentem finium ejus ambitum II, 136: *Hoc duce* (Augusto) *Romanum est solis utramque latus.* Cfr. Ind. s. v. *Romanus, a, um.* Formula, qua terminos (imperii) *Urbis* et *Orbis* (II, 684.) eosdem esse ait, alia sequitur v. 138: *Quodcunque est alto sub Jove, Caesar habet.* VII) Diurnum solis motum his declarat formulis: 1) *Ortus erat summo tantummodo margine Phoebus*, III, 361. 2) *Dum loquitur* (Numa) *totum jam Sol emerserat orbem.* Ibd. 367. 3) *Sed tibi, protulerit cum totum crastinus orbem Cynthius, imperii pignora certa dabo.* III, 345 - 346. Cfr. 353. 4) Mille feras Phoebe silvis venata redibat, *aut plus aut medium sole tenente diem.* II, 163 - 164. Exta parant, *medias sole tenente vias.* Ibd. 364: Accipit aerata juvenem (Sext. Tarq.) Collatia porta, *condere jam vultus sole parante suos.*"

II, 785 - 786. 5) *At pater Heliadum* (Sol) *radios ubi tinxerit undis* etc. VI, 717. 6) „*Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes, purpureum rapido qui vehit axe diem*,) h. e. simpl. post dies sex. III, 517 - 518. 7) Inter picturae tempestatis derepente coortae lineas prima est II, 493: α) Sol fugit [quod *de eclipsi* interpretantur, quam passus sit sol, quo tempore Romulus e medio sublatus est. Vid. Taubner, in suo Fastorum indice, s. v. *fugio*; qui e pluribus Veterum documentis hoc docuisse ait Neapol. ad nostr. loc.] et β) removent subeuntia nubila coelum etc. 8) „Hinc [e templo *Marti bis ultori* Romae ab Augusto posito] fera Gradivum bella movere decet: seu quis ab eōo nos impius orbe lacesset, seu quis *ab occiduo sole*, h. e. a regionibus, ubi iis, ad quos verba pertinent, occidit, domandus erit. V, 557 - 558. 9) Propter vim, quam caloribus temperatis grato exserit in corpus humanum modo sol *vernus*, vocatur *blandus* I, 157. 10) De vi ejusdem et eodem tempore, qua agit caloribus temperatis in naturae corpora III, 235 - 236: Quid, quod hyems, adoperta gelu, nunc denique cedit *et pereunt victae sole tepente nives*. 11) De solis aestivi ardore acri IV, 917 - 920: „Nec venti — nec imbres — nec gelu marmoreum — tantum nocuere Cereri (frugibus): *quantum, si culmos Titan incalfacit udos*. Tum locus est irae, Diva timenda, tuae." H. e. imaginibus remotis: Segetes paene maturae per aestum solis nimium robiginis morbo pernicioso adfici solent. 2) Inter luxus et mollitiei signa erant umbracula aureis pertexta filis. Hinc Hercules eo se redigi passus esse amoris adfectu narratur ab Omphale, *ut ipsius manus sustinerent umbracula, quae aurea rapidos pellerent soles* I, 311 - 312. 12) Formula exquisitior est, qua agriculturae beneficio hominibus a Cerere impertito sententiam extulit hanc simplicem: *coepisse arare* seu proscindere terram aratro *homines*. Effatur enim hoc sic IV, 404: „*Tum primum soles eruta vidit humus*." 13) II, 365 - 366: Romulus et frater pastoralisque juventus *solibus* et campo *corpora nuda dabant*. [De caussis agit Poeta, cur Luperci currant nudi per Urbem Lupercalibus. Inter originis ritus hujus caussas, quaeta repetitur a Romulo et Remo a v. 359 - 380. 14) De cultu solis inter Persas in loco agens, ubi de sacrificiorum cruentorum origine et more inter plurimos populos recepto agit „*Placat equo*, inquit, *Persis radiis Hyperiona cinctum* (Solem), *ne detur celeri victima tarda Deo*." Caet. de nominibus mythologicis *Solis* vid. Ind. sub vocc. *Apollo*, *Phoebus*, *Cynthius*, *Delius*, *Smintheus*, *Hyperion*, *Titan*, *Heliades*, Lunae frater (III, 109.) Syn. Cynthiae frater. (II, 92.) 15) Solis ab austro ad boream altissimum in coelo adscensum h. e. *tempus solstitiale* retulit ad d. 26. Jun. VI, 789 - 790.

Solimus, al. *Solymus*, i. „*Hujus* (Aeneae) *erat Solimus Phrygia comes exsul ab Ida, a quo Sulmonis moenia nomen habent*." IV, 79 - 80. Vid. Not.

Somnus, *Deus*. Numa motus malis et terrae et pecudum infoecunditatis ita ut de consulendo Fauni oraculo cogitaret, sic se praeparat ut geminas mactet oves. Quarum *prima cadit Fauno*; *leni cadit altera Somno*. IV, 653 - 654.

Sospita. Cognomen Junonis absolute positum II, 55 - 58: *Principio mensis* [Februarii], *Phrygiae contermina Matri* [Cybeles templo] *Sospita delubris dicitur aucta novis. Nunc, ubi sint, illis, quaeris, sacrata Kalendis, templa Deae? longo procubuere die*." Vid. Not. Caet. celeberrimum *Junonis Sospitae* templum etiam Lanuvii fuit. Vid. Cic. d. Nat.

Deor. I, 28. p. Mur. 41. Cultus Junonis Sospitae *Lanuvinae* Romanis cum Lanuvii civibus communis fuit. Milo, dictator Lanuvii, iter eo facturus *ut Flaminem Sospitae* prodiret, in via Clodium interfecit. Vid. Cic. Orat. p. Milon. X. XVII.

Sparte, s. *Sparta*. De Diis Deabusque tutelaribus singulorum locorum agens ut ostendat non mirum videri posse, si, juxta morem aliorum populorum, *Mars* Latio inprimis venerandus visus sit: *Junonem*, ait, *Sparte Pelopeiadesque Mycenae — colit.* III, 83. 2) Juno ipsa commemorans omnia loca, quorum tutela fuerat, quorumque incolae inprimis sancte eam coluerant, „*Poeniteat*, inquit, *Sparten — et veterem Latio supposuisse Samum.* VI, 47. 48. Cfr. Hom. Iliad. IV, 51 - 52. Hodie eadem Peloponnesi urbs vocatur *Misitra*.

Stator (Jupiter). „*Tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim ante Palatini condidit ora jugi.*“ VI, 793 - 794. H. e. d. 26. Jun. Videtur inter vetustissimi temporis monumenta fuisse Romae tum reliqua hoc Jovis templum; nam anno fere octavo p. U. c. voverat Romulus Jovi, Vid. loc. in Not. laud.

Sterope. Pleiones et Atlantis filia, fororque sex reliquarum *Pliadum*, quae, cum ipsa, astro in Tauri dorso nomen dederunt. *In amplexum venisse* Martis *seu concubuisse Marti* ferebatur. IV, 171 - 172.

Steropes, is. De Cerere errante: „*Hinc mare Trinacrium* (petit) *candens ubi tingere fervum Brontesque et Steropes Acmonidesque solent.*“ IV, 287-288. Sunt igitur nomina Cyclopum, quibus Sicilia patria erat terra. Causa nominum fictorum latet in significatione. Nam Βροντὴ est tonitru, Στέροπη fulgor. Ἀκμονίδης filius incudis.

Stimula. De Inone, Semeles sorore, cujus filium *Bacchum* ledula cura educaverat, miro modo Evandri temporibus in Latium delata (VI, 485 - 502.): *Lucus erat*, inquit, *dubium Semelae Stimulaene vocetur; Maenadas Ausonias incoluisse ferunt. Quaerit ab his Ino, quae gens foret.* Etc. (Ibd. 503-504.) Caet. quantopere haec sibi repugnent, extitisse jam Semelae sacratum nemus Bacchique cultrices in Latio, quo tempore soror Semeles et matertera Bacchi h. e. *Ino* eo delata est, per se intelligitur et alio jam loco observatum est.

Stola. De Veneris cultu agens praecipit „*ut rite Deam colant — quis vittae longaque vestis absit* h. e. meretrices. Vid. Not. ad IV, 133 - 134. Erat enim ea vestis propria *matronis* ad talos demissa (Horat. Epp. I, 2, 94 - 100.) et cui subsuta erat *instita* (Ibd. v. 29.) Utebantur tamen ea Quinquatruum minorum die tibicines. (VI, 654 et 688. Priori loco *stola longa*, posteriori *vestis longa* amictus hic decentior vocatur.) Lasciviae hujus hominum generis, quo carere non poterant in theatris, rebus sacris et pompa funebri, hoc indulsisse Romani videntur, ut ex omni narratione patet VI, 651 - 694. Nam *cultum novum*, quo Idibus Junii uti licuerit, ipse Poeta vocat l. l. v. 691.

Stultorum festa. Sic Quirinalia d. 17. Febr. celebrata (II, 475 - 512.) vocata quoque fuisse Poeta docet II, 513. Causam rei reddit hanc, quod, cum *Fornacalia* Curio Maximus indiceret (v. 527 - 528.), curia vero quaeque certa signaretur in tabellis nota, quo quisque sacra facturus in suam abiret, *stulta vero populi pars*, quae sua esset curia, nesciret, extrema *Quirinalium* die Fornacalia retulerit. (v. 513 - 532.) Inde forte prima originis *festi Stultorum* causa repetenda est, quod saeculo nono in Franco-Gallia a Clericis celebrari solitum Hist. Eccl. scriptores tradiderunt.

Stygius, a, um. Plute, *Jo-*

vis frater (IV, 584.) *tertia regna* h. e. *inane Chaos* (v. 600.) tenet et propterea a Noſtro *Jupiter Stygius* adpellatur, cujus *regiam* ſaepe viderit Mercurius *ψυχοπόμπος*. V, 448. 2 Juno expetens ſine conjuge mater fieri, Florae, auxilium ſi hunc in finem latura ſit ei, ſancte pollicetur celaturam ipſam auctoram auxilii lati et *Stygiae numen teſtificatur aquae*. V, 250. De Plutonis regno ejusque memorabilibus vid. Aeſch. Axioch. XIX - XXI *Stygiae vero paludis Dî jurare timent et fallere numen*. Virg. Aen. VI, 323 - 324.

Stymphalis, idis. Quicquid ad Stymphalum aut lacum aut montem, item ad flumen aut urbem *Arcadiae* hujus nominis pertinet. Hinc Poeta inter loca Arcadiae ſex nominatim commemorata, quae *pro* omni *Arcadia* omnino poſuit, quaeque teſtes facit Pana ibi praecipue cultum fuiſſe, ſecundum ordine laudat *Stymphalides undas*. II, 273.

Styx, ygos. Memorabile Phantaſiae humanae *de fluvio infernali* figmentum partim *ſignificationi* vocis partim *naturae* aquarum fontis ad Nonacrin in Arcadia originem debere videtur. Nam ab antiqua verbi *στυγέω* forma h. e. a *στύγω* exhorreſco, (Odyſſ. XIII, 400.) dictus videtur, quod idem etiam notat *terribile reddo quidpiam* (Odyſſ. XI, 501.) Sic *Cocytus* a *κωκύω*, ejulo (Odyſſ. II, 361.) dictus eſt; *Phlegethon* a *φλέγω*, aut forma *φλέγεθω*. I) Feralibus d. 18. Febr. celebratis Manes placandos eſſe *muneribus* monet placarique poſſe *parvis* addit: *Nam*, ſubjicit, *non avidos Styx habet ima Deos*. II, 536. II) De Lara, Larum matre, quae garrulitatis vitium poena linguae ereptae luerat, agens Jovem finxit haec juſſiſſe Mercurium: *Duc*, ait, *ad Manes — Nympha, ſed infernae Nympha paludis erit* h. e. paludis Stygiae ſtagnantis ſeu inertis. (Metam. II, 435.) III) *Jupiter huc veniet — nubila promiſſi Styx mihi teſtis erit*. Sunt verba Fauni et Pici, indigetum Latii numinum, ſancte Numae promittentium, ſe ſua arte deducturos de coelo Jovem, quo pignora certa tuendi et augendi dei imperii romani, quod tum ejus iram experiri videbatur. IV) „Matre ſatus Terra, monſtrum mirabile, taurus — parte ſuri ſerpens poſteriore fuit. *Hunc triplici muro lucis incluſerat atris Parcarum monitu Styx violenta trium*. De triplici muro ex Heſiodi Theog. v. 726. petito cfr. loc. Virg. Aen. VI, 549 - 551. Poeta vero novaſſe hoc videtur: Styga ipſum monitu Parcarum circumdediſſe triplici muro monſtrum, ita ut Deus aquarum exhibeatur. Caet. de Styge cujus *ἀπόῤῥωξ* Cocytus vid. Hom. Odyſſ. X, 514.

Sulmo. Urbs patria Poetae nec vel hodie ignobilis, nomine paululum mutato *Sulmona* dicta, ſitaque in regni Neapolitani provincia quae *Abruzzo citra* vocatur. Diſtat a Roma milliariis germanicis 22½ aut 23½. Inter *hiſtorica* argumenta, quibus utitur Poeta ut oſtendat multa immixta fuiſſe ſermoni latino verba graeca, nominatimque Aprilem ab *Aphrodites* nomine dici potuiſſe, eſt adventus quoque poſt bellum Troſanum Antenoris, Diomedis et Aeneae in Italia, quique hujus fuerit comes, *Solimi, a quo Sulmonis moenia nomen habeant*. IV, 79 - 80. Reliqua vide in Nota ab illuſtr. Op. edit. monita.

Summanus, Deus. „*Reddita, quisquis is eſt, Summano templa feruntur, tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras*. H. e. d. 20. Jun. a. U. c. 475. Martian. Capella (d. Nupt. Philol. 2.) ſub hoc nomine Plutonem quaſi *ſummum Manium* cultum fuiſſe ſtatuit. Simulacrum ejus in faſtigio Jovis Capitolini poſitum erat. Lapis antiquus exhibet inſcriptionem *Jupiter Summanus*. Gloſſae: Sumanus, Ἅιδης, Πλουτεύς. Praeter Not.

illustr. Op. Iatpr. cl. Ernesti in Clav. Cic.

Sunion. Notissimum in australem porrectum Atticae promontorium, in quod omnis etiam omnino Europa longissime in angulum inter orientem et meridianum solem positum exit, nisi malueris agnoscere in hac posteriori descriptione *Malvam*, Peloponnesi promontorium, in quod aptius etiam ea quadrat, quod vel verba Nesteris docent, qui illud prius ordine, hoc posterius fecit III, 278. 287. Poeta Cererem finxit in catalogo locorum pererratorum relicta Eleusine adiisse etiam *Sunium expositum* scil. tempestatibus marisque fluctibus. IV, 563. Distabat a Piraeeo portu deinceps commemorato milliariis germanicis fere $11\frac{1}{2}$. Reliqua vide in Not.

Sylla (Lucius Cornelius.) Dictator *probasse opus* templi, monentibus libris Sibyllinis, Herculi Custodi in Circo Flaminio positi et d. 4. Jun. dedicati legitur VI, 209 - 212. *Tituli* seu inscriptionis templi *verba* fuere ipsa, quae laudat Poeta: *Sylla probavit opus*. Dictator fuit a. U. c. 672. a. C. n. 84. Mortuus a. U. c. 676. a. C. n. 80.

Symaetheus, *a*, *um*. De Cerere Proserpinam filiam quaerente IV, 471 - 472: „*Liquerat Ortygien — quaque Symaetheas accipit aequor aquas.*" H. e. Litus Siciliae orientale. Vid. Not. ad loc. laud. Hodie Symaethum fluvium Siculi *Jaretta* vocant. Vid. Cluver. ab illustr. Heyn. laudat. ad Virg. Aeneid. IX, 584. Caeterum septimus est in continua paene serie laudatorum a Poeta Siciliae amnium et rivorum, quorum adiisse ripas Cererem propterea haud dubie finxit, quia florum copia et varietate laetae reperiuntur, quos lectum et carptum iviisse filiam mater ex comitibus filiae cognoverat.

Syphax, *acis*. Numidarum rex aut *Masaesylorum* potius, populi Numidarum Mauris contermini, quique in Hispaniae regionem, maxime qua sita *Nova Carthago* est (hodie *Carthagena* dicta urbe), spectant. Vid. Liv. XXVIII, 17. XXIX, 32 extr. Victus tandem (d. 24. Jun. a. U. c. 546.) et captus in Italiam missus est. Hic „*morte subtractus spectaculo mojis hominum quam triumphantis gloriae* Syphax est; Tibure (hodie *Tivoli*) haud *ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. Conspecta mors tamen ejus fuit, quia publico funere est elatus.* Haec Livius XXX, 45. Accidit res finitum post bellum Punicum secundum finitum h. e. a. U. c. 552. a. C. n. 202. Huc igitur pertinent verba Poetae nostri VI, 769: *Posteru tax melior. Superat Masinissa Syphacem.* Cfr. Ind. s. v. *Masinissa*.

Syracosius, *a*, *um*. In loco nobilissimo de Terrae forma et modo quo libere suspensam et libratam in aere sustineri cogitarunt Veteres haec quoque leguntur VI, 269 - 280: *Arce Syracosia suspensus in aëre clauso fiat globus, immensi parva figura poli.* Vid. v. 277 - 278. Summa dignissimum admiratione hoc ingenii artisque Archimedis opus, de quo Poeta loquitur, vel adhuc videri debere, nullus dubitabit, qui contulerit loca nostrum illustrantia e quibus illustr. Fastor. interpr. uberius exposuit de miranda illa mundi machina, cujus imaginem meditando et argumentando *menti sensim sensimque informatam*, ipsius rerum Universitatis architecti similis, spectabilem suo artis opere reddiderat Archimedes quondam aliis. Absolutius et perfectius ab aliis certe partibus spectatum ejusmodi artis opus nostra aetate confecerat Germanus, quod, emtum ab Anglo-Britannorum rege, Chinensium imperatori dono exhibitum est. (Vid. Schlichtegroll Nekrolog im Leben des Prediger Haan. Cfr. Die Gesandtschafts-Reise des Lord Macartney nach China, in den Jahren 1792 - 1793. übers. von

J. Ch. Hüttner. Zürich, 1799. E Schlichtegrollii vita viri laudati didici demum Haan fuisse artificem machinae ingeniosissime factae, quod fateri Anglo-Britannus neglexit, cum tamen plenissimam artificiosi systematis solaris ad instar horologii, juxta veri leges, moti et acti dederit descriptionem.

Syracusae, arum. Nobilissima Siciliae et in ea quidem insulae parte, quae soli obversa est orienti, sita urbs, temporibus Anci Martii a Corinthiis condita h. e. anno p. U. c. 122, a. C. n. 619. Barthelemy habet annum tertium Olymp. V; et annum a. C. n. 757. Inter eas est referenda, quae ab remotissimis temporibus ad hodierna nominis nobilitatem et celebritatem, quamquam non illam tam magnam priscorum temporum, retinuerunt. Hodie *Sirogossa* vocatur et sita est in parte insulae *Val di Noto* dicta. Poeta memorat tempus quo, postquam tertium jam annum urbem circumsederant Romani, tandem a Claudio Marcello capta est a. U. c. 540, a. C. n. 216, atque his hoc fecit verbis IV, 873. - 875: *Utque Syracusas Arethusidas* (h. e. Arethusae fonte inclutas. Vid. ind. s. v. *Arethusa.*) *abstulit armis* Claudius — carmine vivacis Sybillae *Venus Erycina* Romam translata est.

Syrtes, ium. Sic dicuntur in genere loca marium vadosa et arenosa, (leichte und sandige Oerter, d. i. Untiefen, Sandbänke.) a *σύρειν* trahere, quia ista fabuli congeries agitata a maris fluctibus atque procellis propter soli maris inaequalitatem nunc *trahitur* in profundum nunc denuo egeritur in superficiem aequoris. 2) Nominatim vero ita dicitur famosa *Syrtis duplex* cognominibus *majoris* et *minoris* distincta, Illa orae regionis Africae, quae Cyrenaica dicebatur, ex adverso (in der Nähe des Staats und der Stadt des heutigen *Tripoli*) posita; haec, Polybio auctore, a Carthagine CIↃCCC passuum abfuit h. e. ne tertia quidem milliarii germanici parte. Ipsam tantundem spatii ambitu explesse docet Plin. H. N. V, 4. A Poeta commemorantur in catalogo locorum a Cerere peterratorum, ut filiam inveniret raptam, his verbis IV, 499: *Effugit et Syrtes* etc.

Syrus. Caussa enarrata *mythologica* piscium binorum inter signa Zodiaci receptorum (II, 458 - 472.) in haec desinit verba v. 474 - 475: „*Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis, nec violant timidi piscibus ora Syri.*" Xenoph. Anab. I, 4, 9: Μετὰ δὲ ταῦτα Κῦρος ἐλαύνει — ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν — πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ προβάτων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀθύτειν οὐκ εἴων." Caussam *salutiferae* piscibus superstitionis reddidit aliam ac quam Ovidius retulit Diod. Sic. II, 4. 20. Vid. Scriptt. in Not. Laud. Caet. *Syria* jam in Genesi in *Aram Naharim* h. e. Mesopotamiam (hodie *Algesira*) et *Paddan Aram* h. e. Syriam proprie sic dictam divisa legitur. (Hodie *Soristan.*) Vid. Genes. XXIV, 10. XXV, 20. Cfr. loc. classf. de Syriae ambitu in Plin. H. N. V, 13. Ovidius, dum Euphratem [De cujus latitudine et profunditate cfr. praeter loca jam laudata in Ind. s. v. *Euphrates*, Xenoph. Anab. I, IV, 11.] Syriae laudat amnem, eundem *Palaestinam vocat aquam.* Vid. loc. laud. 463 - 464.

T.

Tacita, Dea. Numen Latii vernaculum, de cujus sacris magicis et, ut videtur, *privatis* agit locus II, 571 - 582. *Mythologicam* originem cultus hujus Deae, quae Lara Nais fuerat, *Lariumque* mater facta est, quaeque eadem *Dea Muta* dicta est, habes a v. 582 - 616. Vim habere hujus Deae cultum voluerunt hunc, ut *a garrulitatis ineptae* vitio deterreret

sexum inprimis foemineum; *ritus* vero superstitiosos, ut prospiceretur noxiis linguarum malignarum et calumniantium effectibus (v. 581.). Reliqua vid. in Ind. s. v, *Muta Dea* et *Lara*. De *Tacita* Numae, Camoenarum una et a nostra Dea diversa vid. quae praefatus est summe venerand. Fast. intpr. loco laud. II, 571 - 616.

Taenarius, a, um. Vallis Taenaria posita legitur a Poeta *pro inferorum regno* omnino IV, 612. Taenaros nimirum s. Taenaron fuit mons et promontorium Laconicae in Peloponneso [Hodie: *il Capo Matapan auf der Insel Morea.*], cui inerat spelunca (σπήλαιον, ἄντρον. Vid. Palaeph. Fab. 40.) notabilis, per quam aditum ad Tartara patere finxit, sibique mox vere persuasit Antiquitas. Hercules nominatim legitur per hoc *ostium* (τὸ στόμιον. Apollod. II, 5, extr.) descendisse ad inferna indeque attulisse Eurystheo Cerberum canem. Locus Poetae nostri pertinet *ad raptum Proserpinae* [Qui totius fere quoque Hymni Homerici in Cererem *argumentum* constituit]. Ceres nimirum a Sole certior factus, (IV, 83 - 84. Copiosior longe in his est auctor hymni laudati v. 62 - 90.) Plutonem, Jovis fratrem rapuisse filiam, adit Jovem qui misso in Tartara Mercurio declarat *nullam* liberandae inde filiae *dari conditionem*, quia tribus mali Punici granis jejunia solverit. Quo Fati decreto audito Ceres „*Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset filia — atque ita nec nobis coelum est habitabile, dixit; Taenaria resipi me quoque valle jube.*“ (Cfr. Hymn. in Cerer. v. 334 - 386. Quo tamen loco Mercurius ipse *carpento impositam* matri statim e Tartaro, ita volente Jove et Plutone obtemperante, filiam in conspectum advexisse fingitur. At ut haec ita et alia discrepant. Nec mirum, cum ingenio poetarum talia variare sinque cuiusque consilio accommodare permissum esset.

Tanaquil. Tarquiniis et summo quidem loco nata, nupserat Lucumoni, Damarati Corinthii, qui patria profugus civitate, Tarquiniis sedem fixerat, filio. Quocum, ducta ambitione, sublatis rebus Romam commigravit. (Liv. I, 34.) Quamque ne mente quidem spem concipere potuerant modi explendae honorum cupiditatis, eum, nacta post Anci mortem dignitate regia, habuere summum. Iam Tanaquil, regina facta, summa Servii Tullii, in regia nati *artibusque eruditi, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur*, extitit patrona. Rex vero ne indignum quidem judicavit, cui filiam desponderet suam. Atque inde inprimis colligit Livius (I, 39.) quae sunt cum loco Poetae nostri (VI, 625 - 636.) conferenda: „*Hic quicunque de caussa tantus illi honos habitus credere prohibet serva natum eum, parvumque ipsum servisse. Eorum magis sententiae sum qui, Corniculo capto, Servit Tullii* (patris nostri S. T.), *qui princeps in ilia urbe fuerat, gravidam, viro occiso, uxorem, cum inter reliquas captivas cognita esset, ob unicam nobilitatem ab regina romana prohibitam ferunt servitio: partum Romae edidisse in Prisci Tarquinii domo. Inde tanto beneficio et inter mulieres familiaritatem auctam et puerum, ut in domo a parvo eductum, in caritate atque honore fuisse: fortunam matris, quod capta patria in hostium manus venerit, ut serva natus crederetur, feciisse.*“ Caet. Tanaquil exemplum rarissimum feminae esse videtur, quae, quamvis summa inlignis rerum prudentia et ambitiosa, tamen nec malitiosae nec crudelis ingenii fuisse e rerum temporis civitatisque suae monumentis cognoscitur.

Tanitida, ae. Quum Ro-

maiorum sapientia et prudentia institutis *Caristiis*, d. 19. Febr. celebratis, *cariores* sibi reddere *omnes ac singulos sanguinis vinculo conjunctos* studeret, (Cfr. de *artiori colligatione societatis propinquorum* Cic. d. Offic. I, 17, 3 - 7.) Poeta sensu honesti vero ac facili, quo benignior natura eum aeque ac sensu pulcri acuto eximie ornaverat, abreptus solito commotionis animo precatur, ne ulli cognatorum societati, quae tum dapibus communibus sanguinis conjunctionem firmare velit, interfint *alieni animo a suis, quique male cupiant quibus bene cupere debeant.* Quorum in numero *fratres* recte et inprimis ponit, qui mutuo gaudeant dolore aut luctu, quo semet invicem adficiant summo. *Exemplo* vero usus nepotum Tantali notissimo h. e. Atrei et Thyestae, quam proposuimus sententiam ornate expressit his usus verbis II, 627: *Tantalidae fratres absint* etc. Caet. cum non facile alia aeque ac Tantalidarum gens inter mythico-historicas extaret miserabilior domesticis usque funestata parricidiis, propterea veteres Tragoediarum scriptores ad taedium audientibus et legentibus proposuerant delecta inde fabularum suarum argumenta. Hinc sugillat nominatim Persius poetam, qui Thyesten spectante adeo populo, cocta nati sui membra sibi ab Atreo fratre comedendum posita edentem exhibuerit; subsannatque miserum etiam histrionem, qui, personam Thyestae agens, saepius coenare coram spectatoribus hanc ollam coactus sit. Vid. Sat. V, 8 - 9. Respexit nimirum, quas memoria tenebat et mente amplectabatur Persius, leges ab Horatio poetis positas. Quarum in numero est haec quoque d. Art. Poet. 182 - 186: Non tamen, intus digna geri, promes in scenam multaque tolles ex oculis, quae mox narret facundia praesens. Nec pueros coram populo Medea trucidet, *aut humana palam coquat exta nefarius Atreus* etc. *Exta* sunt Thyestae fratris filii, interemti ab Atreo patruo vindictae studio, poenas propter incestos Thyestis amores quibus fratris Atrei maritam in adulterium pellexerat, sumturo.

Tantalides, ie. H. e. Agamemnon, Atrei filius; Pelopisque nepos et Tantali pronepos. Exemplis illustratura aeque atque demonstratura Flora Dea „*turbam coelestes esse ambitiosam et saepe Deos quem peccando* (h. e. cultum negligendo externum a Deo exspectatum) *fecisse iniquos*, (V, 298.) Dianam irae et vindictae studii primum et in duplici caussa *bis* (V, 305 - 308.) fecit exemplum, quorum posterius huc pertinet v. 301 - 308: *Respice Tantaliden; eadem Dea vela tenebat. Virgo est; et spretos bis tamen ultafocos!*“ Vid. Not.

Tarpeja. Spurii Tarpeji filia virgo. (Liv. I, 11.) Nominatim non commemoratur. Ianus vero fingitur in narratione qua continetur *caussa*, cur ipsi posuerint Romani *aram parvo conjugatam cum facello*, retulisse illam ad modum quo opem tulerit ipse Romanis, quo tempore *levis custos; armillis capta sabinis* (p. U. c. 7.) *ad summae Tatium duxerit arcis iter.* Iam vero haec ipsa *levis custos* est Tarpeja, atque arx, quae *Romana* vocatur a Livio l. l. ab ipsa, quae corrupta auro in eam acceperat Sabinos armatos, postea *Tarpejae* nomine dicta putabatur. Vid. Varro de Ling. Lat. IV, 7. Caet. idem Livius refert Sabinos, acceptos a virgine, *obrutam armis illico necavisse.* Tum vero, ornatu verborum vel superans Ovidium, quam hic sequutus est narrationem, praemisso tamen iudicio, quo ejusdem fidei dignitatem omnino tollit, his refert verbis: „*Additur fabula, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio laevo, gemmatosque magna specie anulos ha-*

buerint, pepigisse eam quod in sinistris manibus haberent; eo scuta illi pro aureis donis congesta.

Tarpejus, a, um. 1) De *Kalendarum Januarii mensis* solennibus agens inter religiosa refert haec I, 79: *Vestibus intactis Tarpejas iuv in arces* scil. sacrorum Jovi Capitolino faciendorum caussa. Vid. Not. 2) in egregia moribus Junonis omni ex parte congrua oratione, qua Poeta eam *Junii mensis* vindicasse sibi honores finxit; inter alia argumenta quibus caussam agit suam legitur haec etiam VI, 33-34: „*Si toris in pretio est, dicor matrona Tonantis; junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.*" Utroque igitur in loco *Tarpeji* cognomen *arcis* et *Jovis* ejusdem est significationis cum cognomine et Jovis Capitolini et arcis Capitolinae. Aliis vero in locis *arx* et *Capitolium* distertis verbis distinguuntur ita ut per hoc templum Jovis, per arcem vero munitus montis Tarpeji locus intelligatur. Jam aut inter utramque hujus montis partem intererat *asylum Romuli*, Vid. Not. ad II, 70, et Vejovis templum III, 429-432; aut in convalli inter Palatinum et Capitolinum montem, quod rectius statui posse videtur. Vid. de hac convalli loc. Liv. I, 12. collat. I, 8. Proximi erant idem montes Palatinus et Tarpejus Tiberini ripae australi. II, 68.

I) (Lucius) *Turquinius* cognomine *Superbus.* 1) Servius Tullius injuriam Tarquinii Prisci liberis factam eo, quod patris ipsorum regium occupaverat solium, quodam certe modo compensaturus, duas quas habuit filias juvenibus regiis, Lucio atque Arunti matrimonio junxerat. Quae tamen justitiae hactenus colendae studio aeque ac prudentiae rationibus congrua, ut videri poterat, agendi ratio in miserabilis viri vertit perniciem, culpa suae ipsius natu minoris maxume filiae, quae, *ambitione agitata monstrosa* (Vid. Liv. I, 46, a verbis: „*Angebatur ferox Tullia* etc." Add. mulieris, qua mariti instigat animum, orationem, quam Livio Rhetori non Historico haud dubie debemus cod. libr. cap. 47.) conquiescere non potuit nisi viro e medio sublato suo, ad sororis caedem compulso leviro cumque hoc, post ista commissa scelera, nuptiis lencito matrimonio. Jam omnibus sic praeparatis, cum ex ambitionis stimulis actae ac furibundae mente „*regia res scelus esset*" (VI, 595.) non dubitavit, quo cum marito scelere sibi juncto regni potiretur, *sidas patrio sanguine tinguere manus.* (Cod. libr. v. 596.) Vide ornatissimae excultam verbis narrationem Poetae ipsius de re hac omni VI, 585-624. Livium *Oratoris Rhetorisque* hac eadem in narratione eximia arte sustinentis partes in nonnullis post se reliquisse in aliis palmam non eripuisse videtur Naso *Poeta.* 2) Fastorum memorabilibus, quae a Kal. Januar. ad diem *qui ab extremo mensis Februarii sextus erat* (II, 685-686 H. e. d. 24. Febr.) notata erant, operose et ingeniose elaboratis et perfectis, incidebat Poeta in *Regifugium*, quod ad diem dictam Fastos signabat. Sic, quod nos *rerum vere gestarum ordinem* sequuti, primo loco posuimus, in fasto demum Fastorum carmine enarratum legitur, et, quod eandem illam ob caussam secundo loco commemoramus, e factis *et* fatis Tarquinii superbi repetitum, invenitur uberrime expositum jam in carmine secundo v. 686-852. *Exemplo* moniturus, ut videtur, quale fuerit ingenium, qualesque mores Tarquinii patris Sextique, filiorum trium natu aut minimi aut maximi (Vid. Not. ad v. 690.), ut inde magis *justa* pateret *caussa* ejectorum quondam a Romanis regum, praemisit Poeta narrationem *de Gabiis turpi arte* h. e. insidiose et crudeliter *captis.* (v. 690-711.) Crudelitatem, qua suae in gentis defaeviit cognatos, exemplo subsigni-

ficat ejus, qui, *finxit sapiens imitator* (v. 717.), Brutus audire non indigne tulit, *ut ab insidiis superbi dirique regis tutus esset*, (v. 718.). Cui quidem exemplo altera ineſt cauſſa fugacorum regum. Cui ſi adjunxeris notas propoſitas ſagaciſſimae in Bruto mentis et provida cura cauta et alte prudentiam diſſimulantis, *praeſagire* vides jam *jubere nos* Poetam, qui vindex injuſte et crudeliter actorum futurus ſit, (v. 711-716. 719-720. Cfr. v. 837-844. 849-850.) Tandem *ad proximam cauſſam* exactorum regum ſublatique regni tranſit h. e. ad notiſſimam *de pudicitia Lucretiae a Sexto Tarquinio vi expugnata* narrationem, qua artis poteſt dici ſpecimen exhibuiſſe hiſtorica largo ornatu poetico inſtruendi, ejusmodi vero inprimis, quo mores adfectusque humanos juxta veri leges uberius notaret. Locus omnis pertinet a II, 688-852.

II) (Sextus) *Tarquinius*. Proxime praecedentis filius. Morum patris ſimillimus h. e. proclivis ad malitiam, ſeu doloſus, perfidus, crudelis. Hinc *proles manifeſta Superbi* judicatur II, 601. Nam vim dolumque paravit tum civibus urbis Gabinae tum Lucretiae. Sic extitit regius hic juvenis cauſſa princeps odii Romanorum in regium nomen et imperium. Hinc etiam partes agit primarias in narrationibus, quae *Refugit* ſationes reddunt II, 685-852. Notabilis inprimis ars videtur, qua poeta in gliſcentis, *phantaſiae vi*, amoris adfectu declarando verſatur, qui mox in flagrantiſſimae erumpit libidinis vim et furorem. Vid. II, 761-784.

III) (Lucius) *Tarquinius*, Collatinus. Egerii filius, [Liv, I, 57.] h. e. ejus, qui ipſe *filius fratris Tarquinii priſci regis* in Collatia caſtra praeſidio relictus fuerat, [Vid. Liv. I, 38.] atque inde cognomen *Collatini* acceperat, quod ad noſtrum Tarquinium tranſiit, qui *Lucretiae erat maritus*. (Cfr. ſ. v. Collatinus.) Cujus quidem foeminae fata nobile reddiderunt viri nomen. Laude uxoris extitit miſerae exitii auctor II, 733-736. Propter adfinitatem Tarquiniorum poſt hos ejectos Conſulatu ſe abdicare et civitate cedere coactus res ſuas omnes Lavinium tranſtulit ibique exul vixit. Vid. Liv. II, 2.

Tartareus, a, um. Aeneas ad Annam Didus ſororem III, 619: *Ne refer* (ultima Didus fata). *Adſpexi non illo pectore digna vulnera, Tartareos auſus adire domos.* 2) Juno ad Floram V, 241-244: *Cur ego deſperem fieri ſine conjuge mater; et parere intacto, dummodo caſta, viro? Omnia tentabo latis medicamina terris; et freta Tartareos excutiamque ſinus* h. e. loca vel maxume recondita et abſtruſa rimabor quo inveniam medicamina propoſito apta. [Caet. *de Marte* ſine Jovis interventu *concepto* locus agit.]

Tartara, orum. Sol a Cerere de filia rapta conſultus ubi reſponderat, nuptam Jovis fratri (Plutoni) *tertia regna* tenere (Quam propter cauſſam et redditam in ſqq. a Jove ipſo Proſerpina haud dubie *Juno profunda* vocatur a Claudiano in Carm. d. r. P. I, 1-5.), Ceres adierat Jovem de injuria ſibi facta ut conquereretur. Qui poſtquam nequicquam inter alia fratris nobilitate, quae par ſit ſuae, eoque, quod poſſideat *inane Chaos*, tanquam regnum rerum tertium, Deae lenire mentem animumque ſtuduerat, Mercurium vocat. „*Tartara juſſus adit ſumtis Caduciſer alis; ſpeque redit citius viſaque. certa refert.*“ Vid. IV, 605. Quae igitur *tertia regna* et *inane Chaos* ante dixerat, ea *Tartara*, ut ornatui orationis, quae oritur e verborum idem ſignificantium copia, conſuleret, dixit. De Tartaro Jupiter ipſe ap. Hom. in Iliad. VIII, 13-16: „Quicunque Deorum auſus aut quaecunque Dearum auſa fuerit me invito ſuppetias ferre Trojanis Graecisve — *μιν ἐλὼν χόλῳ ἐς Τάρταρον ἠερόεντα τῆ-*

λε μάλ', οὐχι βάθυστον ὑπὸ χθονός ἐστι βερέθρον, ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός, τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Γνώσετ' ἔπειθ', ὅσον εἰμὶ θεῶν πάντεσσι πατάντων. Apollod. Bibl. I, 1: Τόπος δὲ οὗτος (ὁ Τάρταρος) ἐρεβώδης ἐστὶν ἐν Ἅιδου, τοσοῦτον ἀπὸ γῆς ἔχων διάστημα, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ Caet. haec Phantasiae humanae de Tartaro imago efficta a viris et variis exculta modis, qui ab omnis generis flagitiis sceleribusque deterritos sic lapienti consilio cuperent efferos et rudes hominum animos utrum ab Oriente in Occidentem an ab hujus ad illius regiones pervenerit, equidem non definiverim. Quod ad verbum attinet, omnia, quae ad ejus vim et notionem pertinent, diligentissime collecta invenies in illustr. Schleusneri Lex. N. T. s. v. Ταρταρόω. Caet. *Tartarus*, ut in locis laudatis Homeri et Apollodori sic apud poet. nostr. est vocab. *generis* h. e. significat *sedem tam miserorum quam beatorum post mortem*, regna inferni. Hinc etiam Aesch. Dial. III. h. e. Axioch. cap. 21: ὅσοις δὲ τὸ ζῆν διὰ πανουργημάτων ἡλάθη, ἄγονται πρὸς Ἐρινύων ἐπ' Ἐρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρταρου.

(Titus) *Tatius*. Sabinorum rex eorundemque dux in bello contra Romanos propter Sabinas raptas susceptio et gesto. Loca, quae belli hujus eventa varia memorant sunt I, 259-276. II, (170.) 177-230. VI, 91-96. Tatius ipse α) *Titi Oebalii* nomine celebratur I, 260. β) *Sensisse* Romulum fertur II, 135. γ) *Senex* Romanis ut succumberet permisit Juno. VI, 49-50. δ) Bello compositio hic ipse Tatius fortisque Quirinus *binaque* h. e. utriusque *regna cum populis coeunt suis*. VI, 93-94. Hinc *inter Romanorum reges* et ordine quidem *secundum* multi, ut poeta noster ipse, numeraverunt. Vid. Not. ad Fastor. VI, 624.

Tauromenos it. *Tauromenium* et *Taurominium*. Urbs Siciliae in orientali insulae litore sita. Legenda commendat Ernest. in Clav. Cic. quae de ea habeat Diod. Sic. XVI, p. 411. Nomine paululum mutato vocatur hodie *Taormina* in altissima sita rupe. Vid. Bartels Reise II, 99-133. Est in catalogo locorum, quos filiam raptam quaerens Cererem pererrasse finxit Poeta IV, 475.

Taurus. 1) Signum Zodiaci inter *verna* alterum. Cujus quidem astri partes constituunt α) *Hyades*, s. *Palilitium*; (Plin. H. N. XVIII, 26.) taurinae cornua frontis, ut vocantur VI, 197. Vid. Ind. s. v. *Hyades*. β) nominatim *Dodonis Thyene*, Agenorei fronte videnda bovis. VI, 711-712. γ) *Pliades* s. *Vergiliae* in dorso conspicienda Tauri. Vid. Ind. s. h. v. 1) Causam nominis *mythologicam* intexuit operi poeta V, 605-620. [Ut cum omni loco conferri poterit Hor. Od. III, 27, 25-76; ita simillima inprimis in verba definit uterque *de Europa* locus. Nam Horat. l. l. v. 75-76: „Mitte singultus; (sunt verba Veneris Europam consolantis.) bene ferre magnam disce Fortunam! — *Tua sectus orbis nomina ducet.*" Noster vero l. l. v. 618-619: „Te, Sideni (h. e. Europa Agenoris regis Sidoniorum filia, Cadmi soror.) Iupiter implet, *parsque tuum terrae tertia nomen habet.*"] 2) Translitum solis in hoc Zodiaci signum ad d. 20. Apr. retulit Poeta his usus verbis IV, 713-716: „*Postera cum veniet, terras visura patentes, Memnonis in rosets lutea mater equis;* (h. e. Aurora) *e duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen,* (H. e. ex arietis signo.) *sol abit: egresso victima major adest.*" H. e. subit stellas Tauri Caet. cum d. 20. Apr. exciperet *Palilium* dies, patet cur Hyades *Palilitium sidus* dici consueverint a Romanis, non quasi tum cummaxume micuerint, ut iguari rerum coele-

filium interpretes in hac similibusque cauſſis ſtatuerunt, ſed quia ſol tum *medius inter Hyadum ſtellas globumque*, in quo nos circa eum tanquam in navi vehimur et ferimur, efficit ut lateant eodem, quo ipſe, tempore emerſi et ſubmerſi ὁριζόντος circulo. 3) Abitum ſolis e Tauri ſigno Poetam retuliſſe ad d. 19. Maj. inde efficitur, quia *in Geminos* ſolis tranſitum ad hunc diem notavit V, 693-696. 4) Hinc recte ad d. 13. Maj. *Pliadum*, et ad d. 15. Maj. capitis Tauri h. e. Hyadum *ortus matutinus* relatus videtur V, 600-601. 604-605. certior vero ad d. 15. Jan. Vid. VI, 711-712. Nam ſol a d. 20. Apr. ſatis longe jam ortivam verſus plagam progreſſus videri potuit, ita ut mane *per horae circiter ſpatium* Tauri ſtellae fulſerint, antequam et ipſe mox oriens eas *denuo* conſpectui ſubtraheret. Lucidiſſime fulgentes Lipſiae conſpiciuntur Tauri ſtellae menſe Novembri extremo et primis Decembris diebus media nocte Meridianum Lipſienſem transeuntes ita ut Terrae pila media ſit inter Solem et ipſas. Caet. in idem tempus tranſitus ſolis in Taurum *aeſtatis initium* (in Italia quidem et Graecia recte ſic!) incidere ait l. l. v. 602.

Taygete, es, Atlantis et Pleiones filia, e numero ſeptem Pleiadum una. IV, 174. In amplexum Jovis ipſa itemque Maja ſoror, Mercurii mater, et Electra veniſſe narratur ibidem.

Tegeaeus, a, um, ſive *Tegeeus, a, um*. Ad Tegeen ſeu Tegeam, Arcadiae, mediterraneae Peloponneſi [Hodie: *Morea*] provinciae, urbem pertinens aut eo nulla aliqua ratione referendum. Hinc Herculi ex Hiſpania per Italiam redeunti hoſpitium fuiſſe narratur *domus Tegeea* h. e. Evandri Arcadis. I, 545. 2) Mater vero Evandri, Carmenta, *Tegeea parens* adpellatur, cui Deae factae *bina pro pueris virginibusque ſacra* facere juſſerit Senatus, I, 627-628. 3) Item *Tegeea ſacerdos*, quae Inonem Cadmi filiam et uxorem Athamantis hoſpitio benigne exceperit VI, 531-532. 4) Calliſto Lycaonis, Arcadum regis, filia etiam *virgo Tegeea* vocatur II, 167. Cui quidem loco ineſt narratio, quae cauſſam *mythologicam* continet *Urſae majoris* aſtri.

Telegonus, i. Tuſculum, Latii oppidum, hodie *Fraſcati* dictum, hoc verborum ambitu ornate notavit Poeta III, 92: *facta Telegoni moenia celſa manu*. Item IV, 71: *Et jam Telegoni, jam moenia Tiburis udi ſtabant etc.* Scilicet Telegonus, Ulyſſis e Circe filius, conſtanter Tuſculi conditor celebratur. (Vid. Strabo Geogr. Libr. V.) Adultioris nimirum aetatis factus cognoſcendi patris cum cupidus eſſet in Ithacam profectus eſt; jam cum ibi patrem neſcius occidiſſet (hinc *parricidae* nomen probroſum tulit ab Horat. Od. III, 29, 8.) relicta Ithaca in Italiam ſe contulit Tuſculique oppidum condidit.

Tellus, uris. (I, 671. Synonym. *Terra*. Ibd. v. 673.) 1) Dea. 1) Nam in loco *de Paganalibus* poſt ſementem factam celebratis (I, 657-704.) junguntur *Tellus et Ceres* ita, ut utraque *mater frugum* dicatur, quarum haec *locum*, illa *cauſſam* frugibus praebeat. (Contrariam ſententiam verbis efferre voluiſſe videtur, cum Tellus potius *locum* praebeat frugibus, Ceres vero *cauſſa*, mythologica nimirum, frugum ſerendarum et omnis omnino agriculturae extiterit.) Deinde jubentur pagani *farre*, quod ipſae largiantur iſtae Deae, et *gravidae viſceribus ſuis* utramque placare (v. 672.) Porro dicuntur eaedem Deae *officium tueri commune* et conſortes eſſe operum, *per quae querna glans victa ſit utiliore cibo*. (v. 673-676.) Tandem *precibus ad has Deas miſſis* deſinit in verba vates v. 696: *efficiantque ratas utraque Diva preces*. 2) Fordicidiorum d. 15. Apr. celebratorum ſacra cum hoc haberent *proprium*, ut, quoniam *gravi-*

dum tum erat pecus, *gravidaeque item femine terrae*, triginta *fordae boves* h. e. vaccae gravidae, seu victimae *plenae*, (IV, 629-640.) a singulis Curiis singulae, inactarentur, Poeta statim subjicit, cui *numini* placando instituta fuerint sacra ista, his usus verbis: *Telluri plenae* victima plena datur. Vid. l. l. v. 634. Progressus deinde ad narrationem *de origine originisque caussa* Fordicidiorum refert utramque ad tempora Numae. In quae cum incidisset annus, quo tum terrae tum pecudes irrita reddidissent vota agricolarum et pastorum (Vid. l. l. v. 641-648.) Numa a consulto Fauno responsum tulit: *Tellurem* esse placandam duarum morte boum, ita vero *ut sacris animas una necata daret duas*. Quod ambiguum responsum cum Egeria Numae interpretata esset sic: *gravidae* posceris exta bovis; Telluri proprium hoc sacrum mansit. Praegnantem suem hostiam eidem propriam fuisse docet e Macrobio illustr. Fast. intpr. ad v. 633. Cfr. loc. Horat. Epp. II, 1, 143. 3) Telluri etiam Deae fingitur per verba non circumspecta poenas dedisse Orion. Nam cum dixisset: „*quam nequeat vincere, nullam esse feram*" Scorpiona immisit Tellus irata, cujus ictu (sic nimirum interpretor mentem nimiae brevitatis studiosi Poetae) defensurus ab eodem Dianam periit. V, 539-544. Caet. Tellus Dea aedem Romae habuit. Liv. II, 41. Cic. Epp. ad Q. Fr. III, 1, 4. II) Reliquas notiones, quas adjunctas sibi et subjectas continet vocabulum *tellus*, patent e loc. sqq. I, 470: *a magno tellus* (Arcadiae) *Arcade nomen habet*. II, 515: *Non habuit tellus doctos antiqua colonos* (Non nisi de Latio aut Italia omni cogitasse videtur Poeta.) III, 613-614. Aeneas ad Annam Didus sororem: *per hanc juro, quam quondam audire solebas tellurem fato prosperiore dari*. [H. e. Latium aut omnis etiam Italia. Nam ibi jam, cum haec diceret ad Annam advenam, condiderat regnum.] IV, 64: „*Italia nam tellus Graecia major erat.*" h. e. Nam Italiae erat pars terra ea, quae Graeciae proprie sic dictae similis erat ita, ut adeo nominaretur Gr. maj. III, 82: *Vulcanum tellus Hypsipylea colit*; h. e. Lemnos insula. Eod. libr. 572: *Haec, inquit* (Battus, rex Melites insulae hodie *Malta* dictae), *tellus quantulacunque tua est*. β) Tellus cum adjuncta notione tum herbiferae et *terrae*, qua est *nutrix* nominatim hominum, tum *Deae benignae* IV, 395-396: Messis erant primis virides mortalibus herbae, *quas Tellus, nullo sollicitante, dabat*. IV, 299: *Sicca diu tellus fuerat; sitis usserat herbas* etc. IV, 939-940: *Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto tosta sitis tellus, praecipiturque seges*. γ) VI, 403-404: Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras, *nunc solida est tellus*, sed lacus ante fuit. δ) De cuncta orbis terrarum superficie V, 220-221: Prima *per immensas* sparsi nova semina *gentes*. Unius *Tellus* ante coloris erat. [Sunt verba Florae Deae de ornata a se, per variatos florum colores, terra agentis.] VI, 178: *Nec Tellus captas miserat ante feras*. (Icili Romam.) De luxuriosis Romanorum dapibus agit Poeta. Loco laudato simillimus est locus Horat. Epod. II. Loci vero classici ea de re sunt Horat. Sat. II, 4; et II, 8.

Temesaeus, a, um, Inter ritus superstitiosos, quos Lemurium diebus, a d. 9. Maj. *ad placandos Manes* celebrari coeptis, observare solebant Romani, quosque *plenissime* prodidit memoriae Fastis suis Poeta (V, 419-492.) legitur etiam hic a filio umbras paternas expiante observatus l. l. v. 441: *Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera*. Inde ab Homeri temporibus aera Temesaea nobilitata fuisse videntur. Nam Minerva, quae Taphiorum regis forma sumta in Ithacam pervenerat, ad Telema-

chum Od. A. 182-184: νῦν δ' ὧδε ξὺν νηῒ κατῆλυθον ἠδ' ἑτάροιδι πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον ἐπ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους (In Italiam, nomine hoc et facie vera tum incognitam. Cfr. illustr. Voss. tab. geogr. aeri incis. de imagine totius terrarum orbis, qualem tum menti informatam habuisse videntur carmin. Homerio auctores.), ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν· ἄγω δ' ἄιθωνα σίδηρον. Temesa, oppidum Bruttiorum in Italiae ora australi infima situm et ea quidem in regione, ubi hodie metallifodinae de *Stilo* oppido dictae. Vid. Bartels Briefe über Kalabrien p. 252. Cfr. illustr. Gierich ad Met. VII, 207.

Tempe. (Neutr. plur. num.) De convalli amoenissima proprie sic dicta et in Thessalia Olympum inter et Ossam sita haec habet Plinius H. N. IV, 8: vallis quinque millium passuum longitudine et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum nominis attollentibus se dextera laevaque leviter convexis jugis. Intus sua luce viridante adlabitur Peneus, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium concentu etc. — Quae e Graeco nostri temporis ea in regione nato accepi de singulari harum convallium amoenitate, ea, testis oculati, verba fere consentiebant cum descriptione Plinii. Hinc convallis istius nomine usi sunt et adhuc utuntur Poetae ad excitandam *imaginem regionis suo in genere perfectissimae* h. e. amoenitate sua et sensus et animos exhilarante Sic inter loca, per quae Persephones genitrix sollicito erraverit anxia cursu (Claud. R. P. I, 28.) sunt etiam *Heloria Tempe* h. e. loca *propter praepingue solum stagnantis Helori* (Hodie *Atellaro*) fertilissima et amoenissima circa ripas dicti Siciliae fluvii. Vid. Ind. s. v. *Helorius, a, um.*

Tempestas. 1) Dea, cui ante portam Capenam templum posuit post Corsicam insulam in potestatem Romanorum redactam L. Scipio Cos. a. U. c. 494. Vid. Not. ad VI, 193-194. Cujus quidem loci verba sunt: *Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, cum paene Corsis obruta classis aquis.* Cujus quidem rei memoriam quia templo posito conservatam cupierat auctor, propterea et propter astra, quae nominibus suis rerum notabilium ipsa quoque conservabant memoriam, quamquam ipsa non hominum sed Deorum opus, addit v. 195: *Haec hominum monumenta patent.* 2) Notio vocabuli primaria occurrit I, 495: „*Nec fera tempestas toto tamen horret in anno.*" Caet. vel additum epitheton *fera* docet in utramque partem per se h. e. de bona aeque ac mala coeli et aeris constitutione poni tempestatis vocabulum. Opp. *tempora veris* h. e. jucundissima; et omnis formula est sensu metaph. posita *de rebus adversis*, quibuscum conflictabatur Evander.

Templum. 1) Prima notio vocabulo huic subjecta his verbis comprehendi posse videtur: est locus editior quivis, unde *contemplari* h. e. oculis contueri quid possis. (Quadrat haec notio in loc Liv. I, 4, ubi ita legitur vocab. *templum*, ut respondeat definitioni propositae.) 2) Altera esse videtur: illa ipsa regio quoquoversus et quousque e loco quodam adspectabilis et vel non spectabilis est. Sic *coelum* a Cic. templum Dei, sic *mare* templum Neptuni vocantur. 3) Regio in aere s. coelo certa et definita ab Augure capta, terminando eam lituo, intra quam volatus et cantus avium, item fulmina, vim habent h. e., quae fieri aut non fieri velint Dii, significant. (I, 446-448. 4) Locus certis ritibus consecratus et ab usu communi vulgarive sejunctus. Qualia loca fuere α) *Rostra* Cic. p. Leg. Man. 24. β) *Curia* Id. p. Dom. 51. γ) *Praetorium.* Flor. II, 12. 5) Aedificium Deo consecratum, cujus locum, quam diu formula concepta templo h. e. aedi Deorum cujusdam tan-

tum effati fuerant, *fanum* dicebant. Vid. Liv. X, 37. Jam aedificia ista consecrata *augusta* dicta esse docet, ut notionem cognominis a Senatu Octaviano datum illustret, Poeta his usus verbis I, 609-610: *Sancta vocant augusta Patres.* Augusta vocantur templa, sacerdotum rite dicata manu h. e. usu vulgari et *profano* (VI, 439.) exemta h. e. sancta, *augusta* facta. Caet. ex notione, quae inhaeret vocabulo *templum*, sequitur, esse *vocabulum generis* i. u. sacella, delubra, aedes etc. templa quidem sint, differant vero *specie*. Atque sic accipiendus videtur locus in laudem Tiberii II, 63-64: *Templorum positor, templorum sancte repostor, sit superis, opto, mutua cura Tui!* Cfr. verss. praecedd. 55-62. Jam cum in Fastis dies dedicationis templorum diesque quatenus festa et fasta quidem tempora erant h. e. cultui hujus illiusve Deorum dedicata erant, diligentissime notatae essent, facile intelligitur causs. cur tot Deorum templa in Fastis commemorata legantur. Cfr. I, 7. 13-14. Quorum quidem nobilissima Poetae tempora erant *candida* (I, 90.) seu *nivea* (I, 63.) h. e. marmorea; it. *aurea* h. e. aurata (I, 17, 224; VI, 13.) gemmisque ornata (I, 203.). Refertam fuisse templis Romam antiquam et εἰδωλικὴν aeque ac novam et christianam (in qua tricenta viginti quinque numerantur) vel index nominum in Fastis laudatorum testabitur. Sunt enim fere haec: Templum 1) Jovis Capitolini (I, 75-86.), quod continebat tres aedes communibus parietibus et communi tecto, scil. Jovis, Junonis (VI, 73-74.), et Minervae; (Donat. Rom. Vet. II, 4.) ita ut esset *delubrum* proprie sic dictum. (Cfr. Not. ad II, 667.) 2) Jovis *Vejovis* III, 429-448. 3) Jovis *Statoris* VI, 793-794. Quod templum a Romulo votum (Liv. I, 12.) Senatus fieri demum jussit. (Liv. X, 27.) 4) Jovis *Invicti* VI, 650. 5) Jovis *Victoris* IV, 621-622. 6) Junonis *Monetae* eadem in arce Tarpeja VI, 183-190. 7) Junonis *Sospitae* II, 55-58. 8) Junonis *Lucinae* III, 247-248. (Cfr. II, 425-452. It. VI, 39-40.) Praeterea *centum* h. e. permultis Romae *Juno celebrabatur in aris.* VI, 55. 9) Templa *Aesculapii et Jovis* in insula Tiberina. I, 289-294. 10) De tribus templis *Jani* vid. Not. ad I, 258. 11) Templum *Juturnae.* I, 463. 12) Sacellum *Carmentae.* I, 629-630. Cfr. Not. ad v. 461. 13) Templa *Concordiae.* I, 637-650. VI, 637-658. Quinque Romae habuisse Concordiam templa monet illustr. Fast. intpr. ad l. l. 14) Templum *Castoris et Pollucis.* 705-708. Cfr. Not. De utroque numine cfr. loc. V, 693-720. (De aris Jani, Carmentae, Herculis et Pacis libr. I, commemoratis vid. Ind. s. his vocabb. et s. v. *ara.*) 15) Templum *Faunі* in insula Tiberina. I, 193-194. Cfr. Not. Jungendus locus e. ejd. libr. v. 267-452. 16) Templum *Quirini.* II, 511. Cfr. omn. loc. a v. 475-512. Add. VI, 795-796. 17) *Termini lapis* in ipso Jovis Capitolini templo. II, 667-676. 18) *Bellonae* templum. VI, 200-204. 19) *Bonae Deae.* V, 148-159. 20) *Fortunae Publicae* et *Primogeniae* templa diversa, ut putant, fuere. Vid. Not. ad IV, 313-367. Alterum commemoratur, *dedicationis die* certe diversum, V, 729-730. 21) *Fortuna* porro, fautrix et patrona Servii Tullii, due tulit ab hoc rege dedicata sibi templa. *Fortuna Virilis* dicta, ut videtur, quae in uno, *Fors Fortuna* quae in altero culta est templo. Vid. de utroque templo loca VI, 569-585. Cfr. 611-636. Cfr. loc. IV, 145-149. VI, 673-785. 22) Templum *Cybeles.* IV, 347-348. Vid. Not. 23) *Julii Caesaris.* III, 704. 24) *Veneris*, quae, ubique potens templisque frequentibus aucta, propter auxilium Trojanis latum et cum Anchise concubitum, ut Augustus *generis sui*

originem ad ipsam referre posset, lepide fingitur majus habere in Urbe Roma jus. IV, 117-124. De ejus *statua lavari solita* vid. 135-138. Templa habuit duo, eaque duobus sub cognominibus α) *Verticordiae*. Vid. Not. ad IV, 157. β) *Erycinae*. Eod. libr. 871-876. Cfr. Not 25) *Martis Ultoris* et *bis Ulti*. V, 551-596. 26) *Mercurii*. V, 669. 27) *Vestae*. VI, 257-282. 295-298. 28) *Summani*. VI, 731-732. 29) *Mentis*. VI, 241-246. 30) *Tempestatis*. VI, 193. 31) *Matutae*. VI, 477-481. 32) *Larum*. VI, 791-792. (Ara *Larum Praestitum*. V, 128. Caet. Mille *Larium signa* habuit Urbs. Ibd. v. 145. Ab initio vero *bina* tantum *Gemellorum* (Ibd. v. 143-144) istorum, quos Lara a Mercurio gravida partu ediderat. II, 615-616.) 33) *Herculis et Musarum*. VI, 797-802. 34) *Minervae Captae*. III, 856-859. 35) *Lunae*. III, 883-884. Vid. Not. Caet. templa omnium Deorum, Dearumque *Kalendis Januariis* patuisse (I, 181.) *Feralium* vero et *Lemuriorum* diebus clausa fuisse videntur. Vid. II, 563-564. V, 485-486.

Tenedos. Insula agro quondam Trojano nominatimque promontorio Sigaeo obversa, quae ab Homeri inde temporibus immutatum adhuc retinet nomen. Iliad. I, 38. Virg. Aen. II, 21-24. Milliari, et quod excurrit, germanico distat sive remota est ab ipsa Asiae minoris ora maritima. Est *in catalogo locorum*, quae navis, cui Cybele (a Romanis Pessinunte, Galatiae urbe, petita a. U. c. 549.) imposita erat, superatis Ponto Euxino, Bosporo Thracico, Propontide et Hellesponto, praetervecta missa legitur IV, 280.

Terentus, i. Locus in Campo Martio juxta Tiberim haud dubie depressior (hinc *vada Terenti*), cui insossa erat ara Plutonis et Persephones, quae ludis saecularibus, terra circum effossa, conspectui patebat. Historiam ejus habet Valer. Max. II, 4, 5. Ludi saeculares ipsi hinc dicuntur *ludus Terentinus* Auson. Idyll. XI, 34; et *ludi Terentini*. Varro ap. Censor. 6. Item tribus cognomen *Terentinae* hinc accepisse videtur. Alii volunt, ipsum Tiberim a ripae parte, quam juxta campum Martium, *terendo* aquis, maxume attriverit, *Terentum* fuisse dictum. Quae quidem interpretatio, vel propter locum III, 519-521. admitti posse videtur. Festus vero Verrium ait litteris haec mandasse: *Terentum ab eo dicendum fuisse, quod terra ibi per ludos saeculares Ditis patris ita levitur teratur ab equis quadrigariis*. Quem quidem locum debeo Schellero laudatum in Lex. L. L. s. v. *Terentus*. Caet. commemoratur locus a Poeta his verbis I, 501-502: *Fluminis* (Tiberini) *ille* (Carmenta) *latus* (australe), *cui sunt vada juncta Terenti, adspicit* etc.

Tereus. Rex Thracum, h. e. populi, eas olim incolentis Europae, quae Turcarum hodie subjecta est imperio, terras, quae *Rum-Ili* ab his vocantur, *Romania* vero a serioris aevi Graecis dicebantur. De fabula, quae hunc spectat regem, cfr. Ind. s. vocabb. *Itys*, *Philomela*, *Procne*. Propter atrocitatem facinoris, quo uxoris Procnes sororem Philomelam incesto vitiaverat stupro, stupratamque linguam exsecuerat, *a Caristiis*, qui sui sit similis moribus, *procul ut absit* precatur Poeta II, 629. Abominandae vero vindictae, qua Procne uxor Itys, filium puerum, ipsi comedendum adposuerat, effectum respiciens, Poeta (Eod. libr. v. 855-856.) simulque fabulam qua μετεμψύχωσιν Procne *in hirundinem*: „Saepe tamen, inquit, Procne, nimium properasse quereris, *virque tuo Tereus frigore laetus erit*. H. e. ornatu omni remoto: hirundines frigoris impatientes conspiciuntur saepe *non suo* revertisse tempore h. e. ante vera veris temporis initia, extremis men-

sis Februarii diebus. In epopen s. upupam mutatum eundem quoque referri posse viderentur verba, quibus Ceres amissam propter filiam conquesta esse fingitur „*ut amissum cum gemit ales Ityn.*" IV, 482. Nam paternus in Ityn amor moverat impiam matrem, quo *luctum summum pararet marito*, ut eum, quamvis ex ipsa natum, necaret; nisi obstaret Horatius, qui Procnen in hirundinem mutatam materni sensus amoris significare vocibus querulis suis, etiam hujus sub animantis forma, ait Od. IV, 12, 5-8: *Nidum ponit* (sub veris adventum), *Ityn flebiliter gemens, infelix avis et Cecropiae domus aeternum opprobrium, quod male barbaras regum est ulta libidines*, h. e. Terei.

Terminalis, *e*. Quicquid aut *fines et limites* aut *Terminum Deum* spectat et ulla ratione ad eorum alterutrum pertinet. Sic commemorantur *lapides terminales, pali terminales, arbores terminales, feriae terminales*. Hinc

Terminalia scil. *sacra* s. *solennia*. Quae quidem, sapientissimo consilio a Numa ita instituta ut *quotannis* repeterentur, impedie bant ut ne *litigiosus* fieret ager (II, 660.), inprimis cum sacra *eo ipso in loco* fierent a dominis *conterminorum agrorum* [Von den Eigenthümern angrenzender Ländereien oder liegender Gründe], ubi Terminus h. e. aut lapis aut palus aut stipes defossus erat. Vid. II, 641-644. Celebrabantur d. 23. Febr. (Ibd. 639.) Jam cum additus a Numa anno Latio Februarius mensium veteris anni etiam *ultimus* esset factus, patet aptissime vel *ante* vel *statim post* sementem factam et, congruenter quoque nomini, *ultima* quoque anni sacra celebrata fuisse Terminalia. Quod quidem ipse quoque Poeta noster docet II, 49-50: *Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni. Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.* Immoratur vates noster loco de Terminalibus, quae *stata* fuere sacra, a Libr. II. v. 639-684. Caeterum quae desunt in ornatissime contexto de feriis his religiosis loco ad plenam earum cognitionem, supplevit in notis operi attextis illustr. ejusd. intpr. Reliqua vide s. v. sq. Ornatissime contextum et vel pictoris arti qui commendaretur dignissimum dicerem locum, qui docet quales Termino honores sub dio habuerit *vicinia simplex* h. e. vicini agrorum domini et coloni cum suis. II, 643-654. De terminis imperii romani *primis* sacrisque ibi fieri solitis et sui temporis *novissimis* agit ita Poeta, ut finem sic imponat omni loco de Terminalibus. Vid. verss. 679-684.

Terminus, *i*. Per se et e prima sua notione est *id, ubi desinit esse hoc et incipit illud*. 2) Limes definiens seu disterminans duorum pluriumve dominorum agros. 3) Id unde agnoscitur limes seu finis v. c. saxum, stipes, lapis. 4) *Numen* dictis cultum sub signis, seu *Deus qui separat indicio arva suo*. II, 639-641. Cfr. v. 660. 662. β) Non arva vero solum, sed *populos* etiam *urbesque et regna ingentia finit*. v. 659. 5) Incorrupta Termini fides laudatur v. 661-666. Cujus quidem loci simplex sententia: signa terminorum si caute et diligenter custodiuntur, nec lites nec bella facile de terminis exoriri possunt; et *exemplo* nominatim illustrat quam funestorum malorum fines male signati *caussae* esse fierivé possint. 6) Sequitur narratio de Termino, qui, cum *nova Capitolia fierent*, exaugurari se non passus sit, ita ut templi Capitolini ambitu Poetae adhuc tempore contineretur. Vid. verss. 667-672. Cfr. Not. Quo inconcussae constantiae exempla edito cohortatur Poeta lepide *nec sine caussa* Terminum, ut eadem se probet et porro *invictum* a v. 673-678. Non sine caussa, inquam; nam Horat. conqueritur de summa injuria, qua hac ratione potentiores divites

igne patroni, adficiant pauperes, eosque clientes, *non sine indignationis summae adfectu*: „Quid, quod usque proximos revellis agri terminos et ultra limites Clientum salis avarus? Pellitur, paternos in sinu ferens Deos, et uxor et vir, sordidosque natos." Vid. loc. in Not. laud.

Ternarius Numerus. Pertinet huc hic numerus propter superstitionem Veterum, qua ei singularem quandam vim *in ritibus sacris* tribuisse patebit e loc. sqq. 1) Carmenta conspecta terra, cui olim Roma superstruenda erat, *pinea non sano ter pede texta* (h. e. contabulata navis,) *ferit*, I, 506. 2) Anus Tacitae sacra faciens *digitis tria tura tribus* sub limine ponit. II, 573. 3) In Terminalibus agricola senex *ter fruges medios mittit in ignes*. II, 651. 4) Ante demissum de coelo ancile laetum daturus augurium *ter tonuit sine nube Deus* [Iupiter], *tria fulgura misit*. III, 369. 5) Anna lacrimans sororia lictura moenia, iussis germanae Didoni datis: *terque, vale, dixit; cineres ter ad ora velatos pressit* etc. III, 563-564. 6) Claudia, de pudicitia suspecta et ideo Cybeles expetitura precibus testimonium criminationis calumniae, *ter caput inrorat, ter tollit in aethera palmas* etc. IV, 315. 7) Ceres Triptolemi corpus immortale redditura *ter manu permulsit eum; tria carmina dixit, carmina mortali non referenda sono*. IV, 551-552. 8) Mercurius Tartara a Iove adire iussus, quo Cereri filiam, *siquidem jejuna mansisset*, reduceret, spe citius redit Iovique refert: *Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis, punica quae lento cortice grana tegunt*. IV, 607-608. (Cfr. de jejunii vi loc. ejd. libr 531-536.) 9) Flora, Iunonem adiuvaret an non dubitans in consilio concipiendi sine mariti interventu: *Tet*, inquit, *valui promittere opem, ter lingua retenta est*. Ira Iovis magni causa timoris erat. V, 247-248. Sic Lucretia patri et marito narratura, quae passa sit *ter conata loqui, ter destitit*. II, 823. 10) Palilibus Poeta ipse de se: Certe ego transilui positas *ter* in ordine flammas etc. IV, 727. 11) Iisdem Palilibus Poeta pastores iubet suas ad Palen mittendas preces hoc cum ritu dicere: *Haec tu, conversus ad ortus, die ter; et vivo perlue rore manus*. IV, 777-778. Cfr. Not. 12) Lemuris inter alios ritus, quibus haeres, media nocte ut Manes paterni domo exirent, efficere studebat, est hic quoque: *Terque manus puras fontana perluit unda* etc. V, 435. 13) Dea Carna Procae infanti a strigibus male vexato opem latura: *protinus arbutea postes ter in ordine tangit fronde: ter arbutea limina fronde tangit*. VI, 155-156. Causa cur numerum ternarium Veteres *perfectissimum* habuerint, redditur haec: quia ipsi inhit principium, medium et finis. Vid. Not. Com. I, 10.

Terra. „*Pilae similis, nullo fulcimine nixa, aëre subjecto tam grave pendet onus*." VI, 269-270. Plura de forma Terrae rotunda, eademque *non orbis plani* sed *globi* referente figuram, item de ejus *volubilitate* et loco, quem in cuncta rerum universitate obtineat (*Medium mundi onus*, v. 276.), tandemque de causa cur, in aëre suspensa nec ullo fulcimine nixa, *librata* tamen sustineatur, vide praecepta a v. 271-280. Iam, quoniam *stat vi Terra sua*, propterea a *vi stando* Terra *Vesta* dicta putabatur, v. 299; Templumque Vestae *parem Terrae faciem*, quippe *in qua nullus procurrat angulus*, h. e. ab omni parte *rotundam* eandem ob causam habere putabatur. v. 280-281. 2) *Oceanus Terram liquidis, qua patet, ambit aquis*. v. 82. In h. l. obtinet notio Homerica de forma terrae orbiculari et *plana*. 3) Janus, formae reddens causam suae, modum quo digesta e Chaos massa soluta Terra sit, pluribus enarrat

I, 103-112. 4) Chaos, praeter Terrae, ſolis etiam et lunae itemque ſtellarum *uno globo* confuſa continuiſſe elementa opinatos eſſe Vett. patet e loco V, 10-20. „*Pondere terra* nominatim *ſuo ſubſedit et aequora traxit; at coelum levitas in loca ſumma tulit.*“ Ibd. v. 13-14. Jam immiſcuit aliud 5) *mythologicum* de perverſo coelitum *aequalitatis* ſtudio, quo omnia conturbata ſint *in regno* coeleſti, „*Sed neque Terra diu Coelo, nec caetera Phoebo ſidera cedebant: par erat omnis honos.*“ verſſ. 17-18. Hac ſub imagine mythologica phantaſiae vi concepta exhiberi videtur Terra etiam in locis, ubi *feros partus, immania monſtra, Gigantas, auſuros in Jovis ire domum*, edidiſſe narratur V, 35-36. Inter ſe vero permutatae et confuſae ſunt notiones Terrae *Deae* et Terrae, quae *elementorum ſuorum natura et vi* corpora innumerabilium formarum gignit et nutrit, e ſenſim vero mutatorum et diſſolutorum particulis diſſipatis recentes aliasque corporum ſpecies procreat. Jam cum *Terra* et *Tellus* ſynonima ſint vocabula (I, 106. 110. Quo loco tellus ſeu terra, tanquam *corpus* (v. 105.) ſ. elementum *peculiare*, diſtinguitur ab *aëre, igni* et *aqua*. I, 671. 673. Quo loco *cauſſam frugibus* praebere dicitur tanquam *Dea*. Cfr. v. 696. Hinc ipſa et Ceres *matres frugum* v. 671.) quae ad hanc, etiam ad illam fere pertinent loca. Vid. Ind. ſ. v. *Tellus*. Terrae *matri* Brutus, recte ſortem redditam interpretatus, oſcula dediſſe narratur II, 713-720. 6) Eadem Terra *matre* latus, (monſtrum mirabile!) Taurus, qui *parte ſui ſerpens poſtertore fuit* etc. Cfr. omn. loc. qui cauſſam *mythologicam* milvi fideris redditam continet III, 793-808. 7) Paganalibus Terra placanda erat *farre, gravida ſue* et *precibus*. I, 672. 676-676. Fordicidiorum vero die *bove, quae necata animas daret ſacris duas* h. e. bove gravida. IV, 665-666. Cfr. v. 670.

Teſta h. e. Urna. *Haec habeat media teſta relicta via.* II, 540. *Haec* ſcl. parva munera; nominatim 1) ſparſas fruges 2) in mero mollita farris grana 3) violas ſolutas. *Teſta haec habeat* h. e. Urna oſſibus cineribusque combuſti corporis admixta habeat parva illa, boni quoque odoris cauſſa, dona. Urnam eamque ficilem *teſtam* appellat. Propertius etiam Eleg. II, 12: „Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor, Accipiat manes *parvula teſta* meos.“ Argillaceae vero urnae pauperiorum, *aureae* et *argenteae* principum virorum, *marmoreae* et nutricis Aeneae fuit. Ovid. Met. XIV, 441. (Quem locum laudare omiſit Kirchmann. de Funerib. Romanor. L. III, c. 8.) *Teſta iſta* porro *media relicta* fuiſſe *via* narratur h. e. Urna illa, collectis cremati corporis reliquiis, in monumentum *ullam ad viam publicam* condita, media quaſi via, re peracta, relicta erat. Nam *juxta vias publicas* ſepeliri erat in votis Romanorum. V. Kirchm. d. Funerib. II, 22.

Teſtu. Indecl. Ut teſtu proprie eſt vas figlinum igne *teſtum* h. e. coctum, ita *teſtu* eſt operculum teſtaceum. Sic V, 509-510: *Stant calices. Minor inde fabas, olus alter habebant; et fumant teſtu preſſus uterque ſuo.* 2) II, 645-646: Terminalibus *ara fit* (ſubitaria et, ut videtur, juxta Termini ſignum ipſum ſub dio.); *huc ignem curto fert ruſtica teſtu* h. e. fracta in teſta.

Tethys, yos. Dea marina eaque ex antiquiſſimis. Hinc *cana* adpellatur II, 191. Item *Titanis* h. e. ſoror Titanum, filia Coeli et Terrae, (Heſ. Theog. 136.) fratrisque *Oceani conjux*. Hinc V, 81: *Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn. — Hinc ſata Pleione — Pleiadasque parit* h. e, quae parit Pleiadas. Pleiones igitur mater, Pleiadumque avia eſſe perhibetur. V,

19-22: *Saepe aliquis ſolito — Saturni — auſus de media plebe federe Deus; et latus Oceano quisquam Deus advena junxit; Tethys et extremo ſaepe recepta loco eſt* etc. Erat igitur *majorum gentium* Dea et reverentia, qua colebatur, inſignis. Eadem *Achillis* ferebatur *et Pelei mater*. Hom. Iliad. I, 348-430. 493-535.

Teucer, cri. Cretenſis. Qui Creta relicta primus in Troade regnavit. Exceptum hoſpitio Dardanum reliquit omnis terrae ſuae, inde *Dardaniae* dictae, haeredem. Vid. Not. ad IV, 31. Hinc v. 40: „*Unde domus Teucro Iulia tangit avos*" h. e. omnino: familia Auguſti refert originem ſuam ad *antiquiſſimos* Trojanorum reges. Caet. tum de Teucro noſtro tum de *Teucro Telamonio* vid. Apollod. Bibl. III, 12. Cfr. beat. Heyn. ad Virg. Aen. I, 619. 625.

Thalia. Difficultas expediendi ſe ex tricis opinionum *de cauſſa menſis Maji* h. e. unde acceperit hoc nomen, moverat Poetam ut Muſas ipſas ſententias fingeret rogaſſe ſuas. „Finierat voces Polyhymnia. Dicta probarunt Clioque *et curvae ſctia Thalia Lyrae.*" V, 53-54. Auſon. Idyll. XX: *comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.* Virg. Eclog. VI, 2: „*Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu noſtra, nec erubuit ſilvas habitare, Thalia.*" Ille igitur *dramaticae* poeſeos nominatimque *Comoediae* facit eam praeſidem; hic, nec *paſtoritii* carminis eam dedignari tutelam et fautricem dici, ait Taubm. obſervat. Θάλειαν a θάλλω, vireo, floreo, deinde omnino *vigeo*, dictam putari ab his propteres, quoniam Poetarum carmina *longo* per eam *floreant in aevo* (V, 377.); ab illis vero, quia artis etiam *plantandi* ſit inventrix. Nam θάλλω eſt etiam *pullulo*.

Thapſos, i. Eſt in catalogo locorum Siciliae, quae adiiſſe fingitur Demeter ſ. Ceres, ut raptam inveſtigaret filiam IV, 477. Peninſula fuit in mare procurrens orum verſus, et ab auſtrali parte *ſinum Megarenſem*, hodie *Golfo di Auguſta* dictum, includens, non ita multum remota a Syraculis. Vid. beat. Heyne ad Virg. Aen. III, 689. Quo loco epitheto *jacens* h. e. humilis, paene fluctibus par, natura ſitus peninſulae hujus deſignatur.

Theatrum. Feſta die Annae Perennae h. e. d. 15. Mart. qua genio indulgebat plebs, *inter ſigna laeti exhilaratique* animi recenſetur etiam hoc III, 535: „*Illic et cantant, quidquid didicere Theatris.*" 2) De ſede Ovidii in honoratiſſimo Theatri loco, h. e. in *Orcheſtra*, et alius in eodem loco, quam hic *Tribunus militum*, ille *Decemvir* paraverat vid. Not. ad IV, 377-386. 3) Cum *ludis ſcenicis* inprimis celebrarentur *Floralia*, notanda erunt inprimis loca quae ſequuntur; α) V, 189: *Circus* (Florae proprius. Vid. Not.) *in hunc exit* [h. e. ludi Circenſes in honorem Florae Deae jam extremo menſe Aprili coepti deſinunt eſſe hoc menſe i. e. menſe demum Majo.] *clamataque palma Theatris.* [i. e. ludi ſcenici, item acti Floralibus, aguntur primis adhuc Maji diebus. Cfr hanc ſententiam ſimplicem ornatioribus, quibus uſus eſt, extulerit verbis vid. explanatum in Not.] β) IV, 945-946: „*Mille venit variis ſlorum Dea nexa coronis; ſcena* (i. q. ſpectacula ſcenae in Theatro) *joci morem liberioris habet.*" Vid. Not. γ) V, 183: „*Mater, ades, florum, ludis* (ſcenicis etiam) *celebranda jocoſis.*" δ) Qui libr. eod. v. 292. *ludi* dicuntur, iidem *ſpectacula* vocantur v. 295. ε) *Laſcivia major Florae erat in ludis, liberiorque* jocus; cur vid. 329-354. Cfr. Not. ad v. 371. Pertinent huc inprimis verſſ. 347-348: *Scena levis decet hanc; non eſt, mihi credite, non eſt illa cothurnatas inter habenda Deas.* Cothurnatam h. e. Tra-

goediis aptam non esse Deam his etiam enunciat verbis: v. 351: *Non est de tetricis, non est de magna professis.* Caet. Ziegler. in Comment. *de Mimis Romanorum* (Prodiit in lucem Goetting. ap. Diederich 1788.) recte judicat p. 27: Mimos maxume respici, qui *obscoena jocantes* (Vid. loc. class. Trist. II, 497-516.) ludis Floralibus aptissimi fuerint. Cfr. de Mimorum natura et indole, certe ap. Graecos, Barthelemy Voyage du jeune Anacharsis en Grèce T. VII. (Vers. germ. p. 39) 4) *Ludi scenici* (omnium primi Romae spectati. Vid. Not. ad IV, 187.) *Megalesiis* celebrati, quibus Terentii etiam fabulae fere omnes aetas sunt, commemorantur l. l. his verbis: *Scena sonat ludique vacant.* (d. 4. Apr.) *Spectate Quirites; et, sora Marte suo litigiosa vacent.* (Cfr. I, 12. 73-74.)

Thebae, arum. Boeotiae urbs rerum graecarum gnaris notissima. Caussam, cur *draconigena* dicatur, vide expositam in Notis ad III, 365. Quod vero ea in urbe Phrixus et Helle victimae stetierint ad aras morti devotae atque inde a Nephele vitae periculo subductae sint, favere videtur sententiae Apollodori qui Βοιωτίας δυναστεύοντα facit Athamentem. Vid. Bibl. Lib. I. cap. 9. init. Item Tzetzes ad Lycophronis Cassandram eundem dixit Βασιλέα Θηβῶν. Vid. Fisch. in Not. ad Palaeph. Fab. XXXI. Nam hic quidem habet: Ἄθαμας ὁ Αἰόλου, τοῦ Ἕλληνος, ἐβασίλευσε τῆς Φθίας. Jam cum Phthiatis, Thessaliae pars, finitima esset Boeotiae et Ino, Cadmi filia, ipsius secundis nuptiis uxor, Thebana esset, potest videri regnum tenuisse Thebanum etiam post Cadmi mortem, Semele inprimis, Bacchi matre, fulmine extincta.

(II) *Thebae.* Asiae minoris urbs, *Eetionis opes.* Vid. Not. ad IV, 280. Cfr. Ind. s. v. *Eetion.*

Thebanus, a, um. Hymno Bacchum celebrare sibi *non* esse in propositis declaraturus, quae sit propterea *non* commemoraturus facta ejus, *praeteritionis* usus figura, etiam hac declarat Bacchi poena Pentheo inflicta, qua *qualis et quanta sit ipsi potentia* Deus probaverit III, 721: *Tu quoque Thebanae mala praeda tacebere matris* etc. Vid. Not. 2) De Matutae Deae, quae *Ino* fuerat, sacris expositurus ad d. 11. Jun. quo celebrabantur a matronis: „*Ite*, inquit, *bonae matres (vestrum Matralia festum) flavaque Thebanae reddite liba Deae.*" VI, 475-476.

Themis, idos. Varias recensens variorum opiniones *de Anna Perenna*, Dea Romanorum vernacula d. 15. Mart. *festo geniali* a plebe culta, *partem*, ait, *esse, qui* Graecorum *Themin eam putet.* III, 658.

Therapnae, arum. Urbs Helenae, Castori et Polluci natalis, in Laconum terris sita. Hinc

Therapnaeus, a, um. Flora Dea sibi laudi tribuens *primum*, quod tellurem, quae *unius* quondam coloris fuerit, *variam* fecerit variis eam florum distinguendo coloribus, *deinde* quod homines immortales reddiderit mutando eos in flores, primo inter exempla loco posuit *Hyacinthum*, his usa verbis V, 223-224: *Prima Therapnaeo feci de sanguine florem; et manet in folio scripta querela suo.* Vid. Not.

Theseus. I) Cujus quidem crimine *Corona Gnosis*, quae paulo insolentiori et negligentiori formula loquendi pro *Ariadne ipsa* posita est, *facta Dea est.* III, 480. Crimina vero, quorum nominatim insimulatur, sunt α) *ingratus* erga Ariadnen *animus*, quae dederat ipsi legenda fila, quibus e Labyrinthi Cretensis erroribus se liberaret. v. 462. β) *perjuria* ejusdem, qua conjux deseruerat eandem. v. 461. γ) *perfidia* v. 464; perjuria vero et perfidia junctim eandem ob caussam v. 473. δ) *Fallacem*

ipse Bacchus, Thesea culpans, vocaverat. v. 487. A Baccho quoque falsa et decepta *praecipue cupiti* Ariadne, *ostari Thesea, ne Bacchum consortem culpae gauderet esse suae.* v. 491 - 492. Caet. omnis mythus III, 464 - 516. consilio exornandi Fastos varietate narrationum aptissimus fuit, cum ad d. 8. Mart. *ortus coronae boreadis* notandus esset. II) Idem ille Theseus pater *devovit natum credulus ipse suum.* De qua quidem creduli patris injuria vid. illustr. Fester. intpr. ad VI, 737 - 738. Cfr. Iad. *f.* v. *Hippolytus, Virbius, Phaedra* etc. It. loca III, 261 - 265. V, 309 - 310.

Theseus, a, um. De *Thesea crimine*, quibus cerni existimatum sit in injuriis Ariadnae factis, quoque Ariadnae, Bacchum amatorem nactae, *utiliter* adeo *perfidus* visus est (III, 464.) dictum I. voc. praeced. *Theseus.* Caet. celeberrimus Barthelemy in Chronologg. Tabb. adjectis operi nostrissimo Voy. d. j. Anach. annum *nati Thesei* refert ad annum a. C. n. 1367; annum vero, quo exsul in Scyro insula insidiis perierit de praecipiti rupe in mare detrusus, ad annum a. C. n. 1305.

Thestiades, is. Poeta fingens Florae Deam secum communicare causses cultus sui Romae institui, mox vero neglecti, simplicitate ingenua fatentem induxit eandem: Deos [effictos illis ad similitudinem *studiorum adfectuumque* naturae hominum congenitorum, verarumque *bellorum in aeternum duraturorum* causarum:] *aeque* gaudere, si homines debitos eis solvant honores et bene iisdem tum cupere ac peccata condonare, *atque* dolere, doloresque adfectibus h. e. *irae et ultionis studio* abripi trahique, si cultum sui neglectum animadverterint. (V, 297 - 304.) Cujus quidem rei probandae causa excitat inter plura e mythis depromta exempla *Meleagri* quoque, *Thestii nepotis* exemplum. Reliqua vide in Not. ad V, 306. Cfr. Apollod. Bibl. A; n.

Tholus. α) *A pluvia vindicat* (templum Vestae) *imbre tholus.* VI, 282. 2) *Mox didicit curvo nulla* (Vestae simulacra) *fuisse tholo.* VI, 296. Vid. Not.

Thracc. Mare ea in terra a Junone partu editus narratur V, 267. Cfr. Not. Situs ejus definitur ab occasu Macedonia conterminus, ab oriente Propontidos mari (Mar di Marmora) et Hellesponto (hod. die Dardanellen) a Septentrionibus monte Haemo et ab austro mari Aegeo. Hodie fere *Rumilien.*

Threïcius, a, um. Juxta Graecorum Θρηΐκιος, α, ον efformatum nom. adj. Cum Thracia sedes quodammodo propria *Maenadum* h. e. Baccharum esset, propterea epitheton ab hac ipsarum sede repetitum subjunxit in loco, ubi, caeteroquin male, Cererem *doloris* sensu propter filiam raptam mentis inopem redditam, cum Maenadibus *comparat* vini voluptatisque stimulis in furorem actis. IV, 452.

Thyades. Sic *Bacchae Latine*, (VI, 507.) seu *Maenades Ausoniae* (ibd. v. 504.) tertio nomine veniendi caussa dicuntur in loco, ubi de Junonis implacabili vindictae studio sermo est, quo Inonem propter Bacchum, Semeles h. e. sororis filium, educatum persecuta sit. VI, 507 - 516. Caet. quam male haec cohaereant α) Bacchi cultrices in Italia fuisse, quo tempore Ino educatrix ejusdem in Graecia erat; β) Bacchi cultrices ejusdem educatricis in Italia in discrimen adduxisse vitam, per se patet. — Nomen accepisse volunt Thyades a verbo θύειν, quod, quocunque significatu acceperis, in Bacchas quadrare videtur. Nam est nunc *fabra facere* v. c. τὰ ἐπινίκια h. e. propter victoriam. (Plat. Symp. I, 6. Vid. Wolf. l. l.) τὰ εὐαγγέλια propter nuntium laetum. (Xenoph. H. G. I, 6, 27.) γάμους, propter nuptias. (Charit. II, 4. P. 59. lin. 7. ed. Bock:

Nunc vero est β) *cum impetu et quasi furibundum ferri.* Sic Odyss. XII, 408: Ζέφυρος μεγάλῃ σὺν λαίλαπι θύων. Cfr. v. 400. Porro γ) *fervere, aestuare.* Od. XI, 419: Δάπεδον δ' ἅπαν αἵματι θῦεν h. e. Occisis ab Aegystho Agamemnone comitibusque Agamemnonis solum omne cruore aestuabat. Tandem δ) insanire, *furere.* Sic ὀλοιῇσι φρεσὶ θύειν. Iliad. I, 342.

Thyene. Memorabilia inter d. 15. Jun. notatus legitur *Hyadum* ortus, sideris in fronte *Tauri* positi et his quidem nominatim verbis VI, 711: *Tertia lux veniat, qua tu, Dodoni Thyene, stabis Agenorei fronte videnda bovis.*" Cfr. V, 163-182. Quo quidem loco jam ad d. 2. Maj. Hyadum ortus relatus legitur. Caet. me doctioribus dijudicandum relinquo, utrum stella nominatim ea per *Thyenen* intelligenda sit, quam Arabes dixere *Aldebaran*, quamque *rubicundus* luminis, quo micat, color, insignem facit. Vid. Ind. s. v. *Dodonis.*

Thyreatis, idos. Exemplo illustraturus memorabili, *qualia quantaque incommoda nascantur aut nasci certe possint e finibus agrorum, regnorum* etc. neglectis h. e. *terminis* seu certis finium monimentis non positis, litigiosos inter Argivos et Lacedaemonios *terrae Thyreatidis* fines ex Historia in memoriam revocat ut, quam *luctuosae et funestae* ejusmodi lites fieri possint, ostendat. Vid. Not. ad II, 663-666. Cfr. Ind. s. voc. Othryades.

Thyrsus. Inter Bacchi insignia. Nam „*femineos thyrso concitat ille choros.*" III, 764. Taubner. in Ind. suo: telum fuit s. hasta ferrata, cujus mucro hedera ambiente tegitur.

Tiberinis, idos. Jovi Juturnae Nymphae capto amore et roganti Nymphas Tybridos ut, quo potiatur facilius ea, adsint sibi, „*annuerunt Nymphae Tiberinides omnes.*" II, 597. Caet. de *Dea Muta* Larium gemellorum facta matre, quae Lara, Naïs garrula fuerat, agit locus.

Tiberinus. Inter Albae Longae reges numero octavus recensetur IV, 47. „*Dicitur in Tuscae gurgite mersus aquae.*" v. 48. Hinc *Albulam, mersus in unda fluminis, Tibrin reddidit* h. e. flumini, cui ante nomen *Albulae* fuerat, impositum est nomen hujus regis. Vid. II, 389-390.

Tibris seu *Tiberinus.* *Deus fluminis* fictis Poetae precibus motus *arundiferum caput medio fluminis alveo effert, dimotoque ore raucis docet Poetam sanis,* quae de antiquissima regionis circa flumen facie et historia, nominatimque de caussa, cur quotannis triginta numero ad humanae formae similitudinem facta simulacra d. 15. Maj. solenni pompa de ponte sublicio *in Tiberim* mitterentur, cognoscere cupierat. Quo facto *subiit vivo rorantia saxo antra,* dumque hoc sit *leves cursum sustinent aquae.* Vid. loc. V, 635-662. 2) Piscatores *Deum* coluisse videntur, quippe cujus in honorem ludos celebrarent juxta ejus ripam in campo Martio, diem 7. Junii *festam* sibi hunc in finem deligentes. VI, 237-240. Utrum epitheton *lubrici,* quod l. l. ipsi tribuitur, Deum an *aquas* potius *fluminis* respiciat, indefinitum relinquam, cum Almo etiam *in Tiberin influens* lubrici ornatus legatur epitheto; IV, 337. 3) Idem ratione futurae imperii romani urbisque Romae magnitudinis futurus celebratur potentis parens aquae.

Tiberis s. *Tibris, is* et *idis,* it. *Tiberinus.* Inter orbis terrarum amnes propter Romam juxta ripas ejus sitam facile nobilissimus et notissimus. Olim *Albulae* nomen habuerat. II, 389. Caussam nominis mutati vid. s. v. *Tiberinus.* Propter cursum, quo, ortus in Apenninis montibus, defluit ex Etruria, aquae ipsius *Tuscae* vocantur, I, 500. IV, 48. V, 628. Ipse vero *flumen Tuscum.* IV, 294. It. *Etrus-*

cae aquae. VI, 714. De loco et modo quo in mare effluit haec habet Poeta IV, 291-292: *Ostia contigerat* (Cybele navi Pessinunte advecta) *qua se Tiberinus in altum divisis et campo liberiore natat.* Item v. 329-330: *Fluminis ad flexum mediante Tiberina priores ostia dixerunt; unde sinister abit.* V. Not. Virgilius locus, quo Aeneas cum classe per ostia Tiberina e mari subvectum narrat, opportunitatem praebuit (a Nostro in simili caussa et l. l. *et* I, 499-502. neglectam) ornandi eam cultiori descriptione. Vid. Aen. VII, 26-36. Tiberinus nominatim dicitur l. l. *fluvio interque lucum amoeno, vorticibus raptis et multa flavus arena in mare prorumpere. Arenosus* Tiberis vocatur etiam a Nostro I, 242. *Flavae* vero hujus amnis *aquae* dicuntur, constanti fere earum epitheto. Vid. VI, 228. Cfr. Virg. l. l. Horat. Od. I, 2, 13. in. I, 8, 8. *Densus vorticibus* idem, quo se in mare exonerat loco, esse affirmatur VI, 502. *Placidissima* vero unda aliis in locis alioque tempore. I, 241. VI, 223. Juxta ripam, (ubi *campum Martium amnis in latus urgebat aquis* III, 520.) celebrabatur *a piscatoribus* d. 7. Jun. festum VI, 237-240. Celebrabatur ibidem *haud procul a ripa* festum Annae Perennae d. 15. Mart. III, 524-525. Equiria item in Martio honorem tum prima. II, 859-860. tum altera d. 14. Mart. III, v. 517-520. *Exundasse* saepe Tiberim et *ejecta tenuisse unda campum gramineum* (III, 519; *gramen campi* VI, 235.) h. e. Martium docet idem locus v. 521. Cfr. Horat. Od. I, 2, 13-20. immo, quoties *hibernis tumebat aquis*, olim Velabra, Forum Romanum, locumque templi Vestae et Circi Maximi, docent II, 391-392. VI, 395-415. *Advena* h. e. aliunde, e terris exteris seu peregrinis adveniens vocatur idem amnis II, 68. III, 524. Caes. ripa ejus utraque, *Urbe vetustior,* (V, 635.) *sparsae* olim, h. e. ante urbem conditam, *pascebat oves,* (ibd. 641.) quo tempore Evander *aquas fluminis remis tersit.* Itemque non nisi *sparsae per loca sola casae* ibi conspiciebantur I, 502. *Incaesumque vero silva* virebat ad dextrum Tiberis latus, ubi postea Roma erat; solum ad sinistrum situm latus, quod *littus Etruscum* vocatur ab Horat. Od. I, 2. 14. incolebat Janus. I, 241. Paludosum omnino et juncis, canna arundinibusque obsitum fuisse propter crebro redundatas Tiberis aquas solum ripae australis, cui postea Roma superstructa fuit, patet, e loco memorabili VI, 401-415. Caes. juxta ripam dextram seu meridionalem fuere: 1) *lucus asyli;* II, 68; 2) *vada Terenti.* I, 501; 3) *Campus Martius,* montibus Capitolino et Quirinali interceptus. III, 519. 4) Vestae templum Numaeque regiam inter Capitolinum et Palatinum montem haud procul abfuisse a ripa Tiberis docet loc. Horat. laud. Od. I, 2, 15-16. Hinc factum est haud dubie ut *purgamina templi Vestae* ab amnis dicti aquis in mare deferri dicerentur a Poeta d. 15. Jun. VI, 228. 713. Cfr. Not. ad loc. prior. 5) Templum Fortunae Fors, aut Fortis, *in Tiberis ripa,* utrum ad laevam an ad sinistram dubitatur, *munera regis* (Servii Tullii) habuit. VI, 776. Jam d. 25. Jun., honoribus Deae laudatae habendis sacra, inter praecipua juvenum oblectamenta haec fuisse testatur Poeta: α) *celeri decurrere Tiberim cymba;* β) ipsas habere cymbas *floribus coronatas;* γ) *convivia celebrare in linitribus* sic adornatis et decurrentibus; δ) multaque nominatim vina per medias bibere aquas. Vid. loc. laud. 777-780. ε) Tandem in eadem Tiberis ripa, et *calida* quidem, qua locus *humebat aqua* insigni, erat templum Fortunae Virilis. IV, 145-156.

Tiberius. Spectant hunc Romanorum imperatorem verba loci, quo, occasione delati a Senatu

cognominis *Augusti* ad hunc inde jam nominatum principem, disputavit *de vi et potestate* delati cognominis I, 615-616: *Auspicibusque Deis tanti cognominis heres omine suscipiat, quo pater, orbis onus.* 2) Carmenta Evandri mater ab Aeneae ad Augusti tempora, omnibus praeteritis rebus reliquis romanis, delata vaticinatur I, 531-534: — — *Penes Augustos patriae tutela manebit. Hanc fas imperii frena tenere domum. Inde nepos*, (Tiberius, nepos Julii Caesaris divi) *natusque Dei*, (h. e. Augusti per adoptionem filius) *licet ipse recuset, pondera coelesti mente paterna feret.* Haec igitur quatuordecim, ut minimum sumas, annis post Christum natum scripta sunt. 3) Frater *Neronis Claudii Drusi*, (laudes viri carmine vere Pindarico celebravit Horat. Od. IV, 4; mortem vero carmine elegiaco doluit auctor incertus per Consolationem matris h. e. Liviae Augustae. Cfr. Fast. I, 597.) cujus nomen cum suo nomine inscripsit templo Castoris et Pollucis a se dedicato. VI, 707-708. 4) Germanici, cui Ovidius Fastos scripsit, *per adoptionem*, Augusto ita volente, factam, *pater*. I, 10. cum, quem natura dederat, modo laudatus *frater* Tiberii, hicque adeo per agnationem *patruus* esset. 5) *Templorum positor*, eorundemque longo die labefactorum *repostor*. II, 59-64. Noluit igitur Tiberius in eam incurrere reprehensionem, qua hominem luxuriae dapum deditum eamque luxuriam excusantem, quod ita opulentus sit, ut *divitias habeat tribus amplas regibus*, Horatius tenet, dum eum ita increpat Sat. II, 2, 104-105: *Quod superat, non est melius quo insumere possis? — Quare templa ruunt antiqua Deum?*

Tibia. Quum *Minerva* omnium fere artium tum liberalium tum illiberalium vel *inventrix* vel certe cultorum earum, si nec ipsius cultus ab illarum artium cultoribus negligeretur, *fautrix* haberetur, propterea, ut Quinquatrus majores *ab omnis generis artificibus*, (III, 815-834.) ita Quinquatrus minores nominatim *a tibicinibus solis* d. 13. Jun. in honorem Minervae *tibiae inventricis* celebrabantur. Ex phantasmate multum adamato et in Fastis frequentato a Poeta, (cujus rectam interpretandi rationem ipse communicavit lectoribus VI, 3-8. Cfr. sqq.) Minerva ipsa Poetam, rogata ut ipsi adsit, ut reliqua omnia (VI, 652. 655-656.), ita *tibiae inventricem cantusque tibiae auctorem fuisse* se docet a libr. laud. v. 696-710. De tibiae vero usu apud Romanos α) *in sacris*; β) *in scena*; γ) *in funeribus* egerat jam ante v. 659-660. Cfr. v. 667-668. De *materia et structura ejus* agit v. 697. (Cfr. intpr. ad Xenoph. Oecon. I, 10-12.) De *modo instandi eam* v. 705. De tibiae usu *in theatris* historice agit Horat. Art. Poet. v. 203-215. Reprehendit nimiam earum longitudinem. (Cfr. Noster VI, 698.) Quo loco epitheto *longae* tanquam huic instrumento proprio notata legitur. — Tibia alia fuit a priori diversa, quae Cybeles sacrorum die, d. 4. Apr., praeter tympanorum et cymbalorum sonos et tinnitus audiebatur. De ea Poeta IV, 181-182: „*Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu flabit.*" It. v. 189-190: „*Quaerere multa libet: sed me — terret horrendo lotos adunca sono.*" Cur *Berecynthia tibia*, cur simpl. *lotos adunca* et *inflexo tibia cornu* dicatur, vid. expl. in Not. ad l. l.

I) *Tibicen.* Artifex scil. canendi tibia. VI, 664. „*Temporibus veterum tibicinis usus magnus et in magno semper honore fuit.*" Eod. loc. v. 657-658. 1) Antiquissimus nimirum a Numa jam receptus *in sacris*. Vid. loc. Plutarch. laud. ad v. 683. Nec ullum sine tibicine sacrificium fuit. Cic. Dom. 47. Liv. IX, 30. Qui quidem unam tantum tibiam, testibus monimentis antiquis, inflabat et maximam quidem partem propterea adhibebatur, ut in aurem sacrifi-

omnis caneret, ne quid audiret quo sacra turbarentur. Tibia vero in sacris adhibita dicebatur *praecentoria* seu *incentiva*. Solin. 2. Tibicen vero ipse *praecinere sacrificiis* s. *sacris*. Vid. Liv. IX, 30; X, 5. 10. Quem locum Noster ante oculos habuisse videri potest; ut in aliis narrationibus (v. c. de Lucretia, de caede Tullii, de Fabiis) eundem sequutus est Historicum ex dimidio Poetam. 2) Aeque fere antiquus tibicinum usus fuisse videtur in *funeribus*. Nam legg. Tabb. XII. jam cautum erat: *Tibicinibus funeris aceferre jous esto*. Vid. Tab. X, leg. 7. Jam cum sumtuosiores haud dubie pompas funebres fecisset nimius tibicinum mercede conducendorum (VI, 661.) numerus, propterea *Aedilis* a. U. c. 445, „*pompam qui funeris irent, artifices solos jussit esse decem*.“ Vid. l. l. v. 663-664. Cfr. Not. 3) Tertius tibicinum usus fuit *in scena* statim cum ludis scenicis ipsis a. U. c. 388. s. 389. receptus. Nam inde ab eo tempore histriones *impletas modis saturas, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant*.“ Vid. Liv. VII, 2. Cantu nimirum tibicen histrionum actionem moderabatur, quoque unumquamque adjuvaret ab uno ad alterum se convertebat. Cfr. Ernest. in Clav. Cic. s. v. Tibicen, et, quem sit accurate egisse de tibiis *dextris* et *sinistris*, *paribus* et *imparibus*, in ludis scenicis adhibitis (v. Titulos Comoed. Terent.) Salmas. ad Vopisc. Carin. c. 19. p. 826. et ad Solin. p. 84. Caet. triplicem tibicinum usum attigit Poeta in l. l. Vid. voc. *Tibia*. 4) Tandem usus eorundem fuit jam priscis temporibus *in epulis*. Vid. illustr. Op. intpr. judicium de varia lectione VI, 667, ubi pro *scena* alii *coena* legi voluerunt. Jam cum sine ulla dubitatione in rebus maxume seriis, quales sunt *sacrae* et *funebres*, non posset non in religionem venire, *si tibiarum cantus*, cui tanquam ritui antiquitus recepto et sacro adsuetae erant omnium aures, *desideratus esset*, non mirandum est vel gravitate argumenti, in quo tractando operam collocabant suam, haud quaquam indignum duxisse Historicos plures narrare *secessionem Tibicinum a. U. c. 443. in oppidum Tibur factam* [Nach Tivoli durch das Thor *San Lorenzo*, wie jetzt Tibur und die *Porta Tiburtina* heissen.] tanquam rem magni momenti, quoniam, ut et ipse Livius ait, *ad religionem pertinere* visa est. Ovidius vero, cui gratissima quaevis materies, quae largam variandi opus suum et ridendi occasionem praeberet, hanc in enarranda astutia, qua delusa est turbae canorae levitas, invenit. 665-695.

II) *Tibicen*. H. e. columella in aedificiis, qua rustici aliique tecta sua fulcire solebant. IV, 695: *Haec* (colona s. rustica) *modo verrebat stantem tibicine villam*. Sunt verba loci, lectu jucundissimi, inter lineas picturae sedulitatis vitae rusticae, nominatimque domesticorum negotiorum colonae cum duro viro parce viventis. Caet. Juvenalis etiam commemorat *tibicines* inter adminicula ruinam minitantes sustinendi aedes, Sat. III, 193: *Nos urbem colimus tenui tibicine fultam magna parte sui*. H. e. Romam, cujus pleraque aedificia vetustate labantia nec nisi *tenuibus* trabibus suffulta vitae usque pericula minantur.

Tibicina, *ae*. Singula pro pluribus ut simulatis h. e. pro tibicinibus veste muliebri indutis posita legitur VI, 685-688: *Plautius — admisceri alios* scil. tibicines; *et ut hunc tibicina coetum augeat, in longis vestibus* (h. e. in *stola longa*. Vid. v. 654. Cfr. Not.) *ire jubet*. H. e. ut tibicinae viderentur choro tibicinum immixtae esse etc.

Tibur. Latinorum quondam oppidum, *Anienis* aquis, quae *perfluebant* illud, (Horat. Od. IV, 3, 10.) hactenus nobile et-

iamnam, quatenus praecipites ex alto dejectae, Καταρράκτου (Strabo Geogr. p. 164.) conspectum praebent artificum manu per tabulas aeri incisas nobilitatum. Quae quidem tabulae inscriptae esse solent: La Cascada di Aniene de Tivoli; *der Wasserfall bey Tivoli*; quod est hodie oppidi nomen. Hinc patet cur epitheto *udi* ornaverit Poeta Tibur in loco ubi *a Graecis* conditum ideo sit, ut non mirum esse doceat multas *grajo nomine* res a Latinis dici. Nam IV, 71-72: „*Jam moenia*, inquit, *Tiburis udi stabant*, *Argolicae quod posuere manus*." Vid. illustr. Fast. intpr. ad loc. laud. 2) Juno Junii mensis nomen a suo repetendum esse contendens „*inspice Tibur*, inquit, — *Junonale leges tempus*." Tibur h. e. Fastos Tiburtes s. Tiburtinos. 3) Roma eo recesserant *Tibicines*, aegri passi quod ipsis a Censoribus privilegium vescendi in aede Jovis, quo gaudebant, ademtum esset. VI, 665-666. 669. 682.

Tiro. III, 787. Sic dicebatur *puer*, (v. 772.) cujus aetas jam media esset *inter puerum et juvenem* (v. 773-774.) ita ut *pater* ipsi (v. 775.) *vestem liberam vitaeque liberioris iter* (v. 777-778.) dari curaret. (Nec *de aetate tironis*, si vel de ea aliunde non constaret, dubitare permitteret narratio non *fictis* sed *veris* adnumeranda Phaedri in Fabellis III, 10.) Quae quidem vestis libera erat *toga* scil. *pura* (v. 788.) seu *libera*. (v. 771.) Noster de Liberalibus h. e. Bacchi *mellitum repertoris* luce festa agens, quae erat d. 15. Martii, hac occasione inquisivit in caussas quare eadem *dies tirocinii*, h. e. qua sumebatur toga virilis, esse soleat. Attulit vero ejus rei *caussas quatuor* a libr. laud. v. 771-788.

Tirocinium. Cujus quidem *dies* (vid. Not. ad III, 787.) eadem, quae *Liberalium* fuit. *De originibus tirocinii* apud Romanos scripsit libellum peculiarem summe venerandus Boettigerus. Qui quidem libellus prodiit Vimariae, 1794. 4. Laudatus vir illustris in monumentis priscae artis Italicae caussas et origines ritus sapienter instituti inprimis indagare studuit, atque etiam Poetae nostri sententiam quartam de caussa, cur *Liberalibus* toga daretur, examinavit p. 10-12.

Tiryns, *this* et *thos*. Argolidis in Peloponneso oppidum, locus Herculi natalis. Nam ibi Alcmene decepta a Jove, qui mariti Amphitryonis sumserat speciem, ex hoc Deo διὰ αὐτὸν ἐλθόντι καὶ τὴν μίαν τριπλασιάσαντι conceptum enixa est Herculem. Apollod. II, 4. Plautus in Comoedia *Amphitryonis* nomine inscripta lepidissime finxit servum *verum* Amphitryonis *veri* ad fores domus domini sui adstantem mirari, quid sit tandem, quod stellae immotae manere nec occidere velle videantur. Jam ab illo oppido natali suo Hercules saepissime ab aliis etiam scriptoribus adpellari solet.

Tirynthius. In Fastis nominatim nunc *hospes Tirynthius* I, 547; nunc *juvenis Tirynthius* II, 305; nunc *Tirynthius heros* II, 349; nunc ut *heros* absolute (I, 543.) ita et *Tirynthius* simpliciter vocatur V, 629.

Titan. Id. q. *Sol*. Juxta mythum, Hyperionis, unius *Titanum*, filius. Hinc et ipse tum *Titan* (accurate loquenti *Titanides*) tum *Hyperionides* et *Hyperion* v. c. Odyss. I, 24. Cfr. 8. Inter formulas mire in Fastis variatas, quibus dies vel praesens vel futurus vel praeteritus notatur, est etiam haec I, 617: *Respiciet Titan actas ubi tertius Idus* h. e. d. 15. Jan. *Idus* praeteritae, nisi sine sensu apto formulam esse dixeris, *abactae* per προσωποποιΐαν speciem quandam et a tergo Titanos relictae ab eo *respici* dicuntur. Ipse vero quoque formula insolentiori, qua et hodie Poetae utuntur (Die dritte Sonne, der dritte Mond) *tertius* vocatur. 2) „*Proximus Hesperias Titan abiturus in undas*,

gemmea purpureis cum juga demit equis etc." II, 73-74. 3) „*Ter jungat Titan terque resolvat equos* etc." H. e. tribus exactis diebus. IV, 180. 4) „*Nec venit tantum Cereri* (frugibus maturescentibus) *nocuere, nec imbres, nec si marmoreo pallet adusta* (Ceres) *gelu: quantum, si calmos Titan incalfacit ustus.*" (Per *robiginem*, aestui solis tributum fegetis morbum.) IV, 917-919.

Titanes, *um*. Post Centimanos et Cyclopas a Coelo e Terra geniti. Quorum quidem nomina, quae Apollodorus refert (Bibl. I, 1.), fuerunt: Oceanus, Coeus, Hyperion, Crios, Iapetus, omniumque natu minimus *Saturnus*. Qui quidem a Jove filio *regnis pulsus concitat iratus valldös Titanas* (fratres) *in arma*. III, 796-797. Titanomachiam eleganter descriptam dedit Hesiod. Theog. v. 629-734. Cfr. Virg. Georg. I, 276-283. Apollodorus vero Terram ipsam narrat concitasse non contra Saturnum sed contra maritum, h. e. Coelum, natos sibi Titanas in arma, aegre passam quod natu priores Cyclopas pater in Tartarum detruserit.

Titania, Sententiam simplicem hanc: *diebus tribus post* aut *exoriente tertio post hanc die*, quam ornate Poeta pro cognitione tum familiari rei antiquariae, e qua explicanda est, expressit formula hac: „*Cum Phrygis Assarici Titania fratre relicto, sustulit immenso ter jubar orbe suum*" per se patet. Vid. IV, 943-944. Cur *Titania* et *conjux fratris Assaraci* dicatur *Aurora* vide expositum pluribus in Notis.

Titanis, *idos*. Cognomen *Tethyos*, Oceani et sororis et maritae. V, 81. Nam *Titanidas* Coeli et Terrae filias has recenset Apollod. I, 1, 2; *Tethyn*, *Rheam*, *Themin*, *Mnemosynen*, *Phoeben*, *Dionen*, *Thyan*. Caet. l. l. de *Pleiadum* origine agit Poeta, quas neptes Tethyos et Oceani fuisse docet.

Tithonius, *a*, *um*. Inter formulas mira ingenii dexteritate variatas, caeterum aetati inventorum mythorum seu phantasiae aetatis mythologicae debitas eas, quibus *dies* designat mensium anni alia aliqua re memorabiles est etiam haec III, 403-404: „*Cum croceis rorare genis Tithonia conjux coeperit et quintae tempora lucis agat*" h. e. oriente die ab hinc quinto mensis Martii. 2) *Tithonium* utique et simplicius nominasse volunt Nostrum *Aurorem* IV, 943. At praetulit cum aliis illustr. Fast. Edit. lect. *Titania*. Cfr. vocab. sq.

Tithonus. 1) „*Proxima prospiciet Tithono nupta* (h. e. Aurora) *relicto Arcadiae sacrum Deae.*" I, 461. H. e. Prima, quae instat, dies, i. e. d. 11. Jan. Carmentae sacra erit. Cfr. Not. 2) Pro eo ut dicat „ubi illuxerit dies, quae erit d. 11. Jun." sive „dici posteri matutino tempore" Matralia a Matronis Romanis celebrabuntur his *idem* significantibus formulis duobus usus est VI, 473-474: *Jam, Phryx, a nupta quereris, Tithone relinqui* (h. e. ab Aurora. Cfr. Odyss. V, 1-2. Virg. Aen. IV, 584-586.); *et vigil eois Lucifer exit aquis* etc. 3) Assaraci frater cur Tithonus Aurorae (Haïs) maritus dicatur IV, 943, vid. expl. in Not.

Titiensis s. *Tatiensis* scil. equitum centuria ab Tito Tatio Sabinorum rege ita adpellata, postquam non modo commune sed concors etiam regnum duobus regibus h. e. Romulo et Tatio fuit. Vid. Liv. I, 13. Caeterum annus Romuleus in *decem* menses digestus et a Martio coeptus ansam praebuit Poetae ostendendi ex omnibus fere dicti conditoris institutis rei publicae romanae, *numerum denarium magno tunc in honore fuisse*. (III, 122.) Jam inter haec instituta publica fuere etiam *centuriae* tres equitum ab eodem conscriptae. Vid. III, 131-132.

Titus. Janus causam redditurus, cur stet sacratus *non nisi in*

nuo Jano h. e. aedificio fornicato, per quod e foro in vicos et e vicis in forum transitus patebat, „*protinus Oebalii retulit arma Titi*“ h. e. caussam repetiit a bello a Sabinis contra Romanos gesto. Vid. I, 260 sqq. Cfr. Not.

Tmolus. Lydiae mons, nobilis α) Pactoli fluminis *auriferi* (Vid. Intpr. ad Horat. Epod. XV, 20.) fontibus; β) Croci odori *suaveolentia*, (Virg. Georg. I, 56.) tandemque vini *generositate*. (Ibd. II, 98.) Hinc Tmoli vineta exquisitiori formula *Bacchi* dixit *nemus* Poeta II, 313. Exornavit eundem montem praeterea 1) *antro*, quod *tophis et pumice vivo laqueatum* fuerit; itemque 2) *rivo garrulo* in primo antri limine. Caet. Omphale Lydiae regina l. l. fingitur eo loco Hercule eam comitante constitisse, ut Baccho *repertori vitis* pure ibi pia faceret sacra. Vid. v. 529-530. Omphalae vero „τὴν ἡγεμονίαν τελευτῶν ὁ γήμας Τμῶλος κατέλιπε.“ Apollod. II, 6, 2. Ab hoc Tmolo Lydiae rege mons nomen accepisse videtur. De vinetis Tmoli loc. cl. extat ap. Plin. H. N., V, 29. Nomen montis non contractum est *Timolus* et *Tymolus*.

Toga. Qua quidem veste Romanis *propria* pacisque *insigni* statua Servii Tullii in Fortunae Virilis aede cooperta conspiciebatur. VI, 570. 579-580. 584. 613-624. *Multa* toga tecta fuisse ora regis ideo ait v. 580, quia *duabus* togis statua obvelata erat iisque *undulatis*. Vide notata ad omn. loc. a v. 569-656. *Romanum amictum* togam dixit h. e. Romanis *non communem* cum aliis gentibus et populis v. 623. 2) De *toga libera*, quae eadem *vestis libera* in loco laudando vocatur, Liberalibus h. e. d. 17. Mart. modo maxime solenni data *tironibus* h. e. pueris XVI. annos natis data vid. III, 771-788. Eadem etiam dicebatur *pura*, itemque *virilis*. Cfr. Ind. s. v. *Tiro* et *Tirocinium*.

Tolenum, flumen, purpureo mixtis sanguine fluxit aquis d. 11. Jun. a. U. c. 663, a. C. n. 93. Nam eo anno et die periit a Marsis victus in bello Marsico s. Sociali P. *Rutilius* Lupus Cos. VI, 563-567. Caet. *Tolenum*, qui fluvius idem etiam *Tolenus* et *Tolentus* dicitur, ex Marsis originem ducens, agros Sabinorum irrigavit. Vid. Cellar. Not. Orb. antq. I, p. 777.

Tonans. Non sine caussa idonea frequentasse hoc Jovis cognomen et vel simpliciter pro Jove ipso posuisse videtur Poeta. Inter publica nimirum opera ab Augusto imperatore exstructa fuit etiam *aedes Tonantis Jovis in Capitolio* h. e. ad ortum brumalem in quatuor *montis Capitolini* partium ea, quae *clivus* Capitolinus dicebatur in regione Urbis octava. Vid. P. Victor. Suet. Octav. 29. Caussam consecrandae aedis idem Suetonius l. l. narrat fuisse hanc: „*quod liberatum se viderit periculo, cum, expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur praestrinxerat servumque praelucentem exanimaverat.*“ Cfr. Dio Cass. Libr. LIV. *Cantabri*, populus Hispaniae, incoluere eam fere provinciam, quae hodie *Biscaya* nominatur. Ab expeditione in Cantabros (*indoctos*, ut ait Horat. Od. II, 6, 2, *juga ferre romana*.) a. U. c. 729, a. C. n. 25. suscepta, rediit anno a. C. n. 24. (Celebrat hunc reditum Hor. Od. III, 4.) Post quod quidem tempus necesse est sumatur exstruendam curasse magnificam illam *Tonantis* aedem Augustum. Nam *magnificam* eam fuisse testantur ruinae et vel plures columnae integrae, quas nuperrime Romae inventas denuoque erectas novimus. Cognomine igitur *Tonantis* Jovis, Augusto auctore sic crebrius usurpari, et absolute quidem, coepto de Jove, Noster etiam adfectavit saepius uti. 1) II, 69-70: „Ad penetrale Numae, *Capitolinumque Tonantem inque Jovis summa caeditur arce bidens.*“ Disertis verbis templum Jovis Tonantis *in clivo Capitolino* constitutum sic distinxisse mihi videtur a templo

Jovis Capitolini simpliciter sic dicti a parte montis, quae κατ' ἐξοχὴν *Capitolium* (itemque *arx*, VI, 367. porro *arx Jovis*, I, 85; IV, 635. Reliqua loca vid. laud. in Not. ad h. l.) dicebatur et Septentriones spectabat. Jam ad hunc *Jovem* simpliciter *Capitolinum* dictum pertinere mihi videntur verba: „*inque Jovis summa caeditur arce bidens*" scil. d. 1. Febr. 2) Ceres, a Sole certior reddita filiam nuptam Jovis fratri, Jovem adit et „*questa diu secum sic est adfata Tonantem.*" IV, 686. 3) Juno propter summam generis inter Deos nobilitatem excelsissimamque loci, quem inter Superos obtineat, dignitatem Junii mensis vindicans honorem. „*Si torus in pretio est*, inquit, *dicor matrona Tonantis, junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.*" VI, 33-34. Cfr. ad N. 1. 4) Expositurus cur Jovi quondam sub cognomine *Pistoris* aram posuerint ita incipit VI, 349-350: „*Nomine quam pretio celebratior, arce Tonantis, dicam, Pistoris quid velit ara Jovis.*"

Tophus. Lapidis asperi seu scabri (Virg Georg. II, 214.) genus, quod facile in arenam dissolvitur. [Der Toffstein.] Cum a Nostro fingantur *antra tophis laqueata* fuisse, quae Omphale regina cum Hercule subiit, (Vid. II, 315.) tophus Poetae certe tempore *inter ornamenta Lacunarium* fuisse videtur. Caet. Virgilius l. l. agros, qui topho et creta constent, inter *jejunos* refert, qui serpentibus tantum dulcem ferunt victum et curvas latebras praebeant.

Torquatus. Cognomen Titi Manlii, cujus ut comparando vis extenuetur *vel ipsa verba* hunc in finem delecta faciunt I, 601: *Ex uno* [nomine] *quidam celebres, — torquis ademtae — titulos — habent.* Attenta tamen per se Poetae mens tenetur l. l. studio illustrandi quam fieri possit luculentissime cognomen *Augusti* Octaviano datum per institutam illam cum multis cognominibus aliis comparationem. Ceterum res, quam spectat locus, accidit ad *Anienen* fluvium, qui hodie *il Teverone* vocatur, et in Tiberim, hodie *il Tevere* dictum, haud procul a Romae parte orientali influit. Ibi enim et *quarto quidem milliari* ab Urbe, quae regio jam *trans* Anienem sita erat, consederent Galli a. U. c. 392; a. C. n. 364. Quorum quidem unum cum provocatus occidisset, torque homini detracto cognomen invenit Titus ille Manlius *Torquati*. Laudabilior fortasse est adolescentis *erga patrem pietas*, cujus exemplum memorabile relatum legimus a Cic. d. Off. III, 31.

Trabea. In Fastorum carminibus commemoratum hoc vestimenti genus ubique adjunctam habet *regiae dignitatis* notionem, ut apud Livium I, 41: „*Servius cum trabea et lictoricus prodit.*" H. e. cum insignibus regiis. Sic Romulus „*trabea decorus* h. e. amictu ornatus regio conspiciendum se praebuisse post mortem Proculo fingitur, II, 503. Porro *trabeae Quirini* h. e. Romulo *quondam regi*, quia de re romana optime meruerit, templa data dicuntur d. 29. Jun. Vid. VI, 797. (Rectius instaurata ab Augusto. Vid. Dio Lib LIV.) Idem, inter coelites ad solium Jovis regale vocatos (VI, 353.) tum, cum a Gallis Romani in Capitolio obsidione et fame premerentur, *lituo pulcher trabeaque* pro Latio multa loquutus esse fingitur, VI, 375-376. Tandem notionem imperantis et *ex imperio annua jura dantis* h. e. leges *de temporibus digerentis*, habet sibi adjunctam nom. adj.

Trabeatus. Caussis enim *probabilibus* redditis, cur annum suum *decem fecerit mensium* Romulus, ex caussis colligit et conficit I, 37-38: *Hoc igitur vidit trabeati* (h. e. regnantis) *cura Quirini* etc. Quod reliquum est ut observetur de trabea: 1) *Nomen* accepit haud dubie a *latis* quibus distincta erat varii, h. e. punicei et albi, coloris virgis

ſpecimen trabium referentibus. 2) *Formam* habuit ſeriori certe aevo *tegarum*. Hinc a Graecis Τηβέννα ut toga ipſa dicitur. Vid. Dionyſ. Halic. II, p. 129. VI, 351. Utroque loco ait colorem trabearum puniceum ſ. coccineum eſſe (Scharlachroth.), Priori vero loco *de trabeis Saliorum* ſacerdotum agit, quibus amicti d. 1. Mart. ancilia per Urbem ferebant; poſteriori vero *de trabeis Equitum romanorum*. Cfr. intpr. ad Perſ. Sat. III, 29. 3) Qui igitur poſt reges exactos *in* uſi ſint patet e proxime ante dictis. Quibus addi poſſunt *triumphatores*, auro nonnunquam ornatas eas habentes.

Traſimenus, *a*, *um*. Littora Traſimena, VI, 770. Juxta littora lacus Traſimeni, [hodie: *Lago di Perugia* v. de loci ſitu *Bartels Reiſe* I, 240. a quo Napoleon Magnus partem ditionis, quae Papae fuerat, ſunt anni paucis abhinc, dici juſſit.] ab Hannibale d. 23. Jun. a. U. c. 535. Romani poſt pugnam trium fere horarum (Liv. XXII, 6.) nobilem (Id. ibd. c. 7.) fuſi fugatique ſunt. Cladem inter paucas (h. e. funeſtiſſimas) P. R. memorata Livio judice fuit. Quindecim enim millia Romanorum in acie caeſa ſunt; decem millia ſparſa fuga per omnem Etruriam, diverſis itineribus Urbem petiere.

I) *Tribunus plebis*. Cum inter numina *vernacula* a Romanis Idibus Martiis *Anna* quaedam *Perenna* coleretur, nec tamen ſatis conſtaret, quae ea fuerit, inter plures ſententias eaque maxume inter ſe diſcrepantes fuit etiam haec, *quam a veri fide non diſſidere* ipſe Poeta ſtatuit (III, 661 - 674.): Pauperculam fuiſſe anum ſuburbanis ortam Bevillis, quae tum, *cum plebs nullis etiamnum tuta Tribunis*, (H. e. ante annum U. C. 260.) *in ſacri conceſſerat verticem montis*, inopiaque victus fame laboraret, devinxerit ſibi, ſubveniendo huic inopiae, gratum plebis animum ita *ut, pace domi facta, ſignum ponerent Perennae*, Deamque eam, re in facto poſita oblitterata vetuſtate, (hoc enim ſupplendum videtur) colerent.

II) *Tribunus militum*. Eadem erat *inter pedites* (h. e. in legione) dignitate, qua *inter equites* erat praefectus equitum. Creabantur modo a populo, modo ab imperatoribus. Vid. plura Livii loca hanc in rem laudata ab Eneſt. in Clav. Cic. ſ. v. Tribunus. Sic a Julio Caeſare imperatore creatus fuiſſe videtur, qui de ſe IV, 581 - 582: „*Dum mihi Caeſar erat, ſub quo meruiſſe Tribunus glorior. Officio praefuit ille meo.*“ Ex eodem loco diſcimus honorem adjunctam ſibi habuiſſe hanc dignitatem *Tribuni militum*, ut *ſedem* in Theatro, et, ut Lipſius et Taubmerus locum ceperunt, *in Quatuordecim* quidem, ut vero illuſtriſſimus vir, ſummo venerandus Gierich interpretatur, ut *in Orcheſtra* occuparent. Tribunus nimirum juxta Ovidium ſedens et una ſpectans ludos die Megalenſiorum tertia, h. e. d. 6. Apr., converſus ad eum inter reliqua dixiſſe fingitur l. l. v. 383: „Hanc ego *militiae* ſedem, tu *pace* paraſti.“ Caet. de omni ambitu officiorum Tribuni militum vid. Lipſ. de Milit. rom. II, 9. Suberant ipſi ducibus et legatis; ipſis vero Centuriones; Romuliique tempore eorum tres fuere.

Trinacris, *idis*. Antiquiſſimum Siciliae inſulae nomen, quae Κυκλώπων γαῖα ab Homero etiam vocatur Odyſſ. IX, 106, 166, Θρινακίη vero XI, 106; XII, 127. Item: (Ἠελίοιο) βοῦς νῆσος ἀμύμονα. XII, 261. Poeta noſter de ea, ſede *Cereri* adamata IV, 419 - 421: „*Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in aequor* (h. e. promontoriis, Peloro, Lilybaeo et Pachyno, protenſa jacet in mari; *terrae cornua prima ſuae* dicuntur v. 480.) *Trinacris; a poſitu nomen adepta loci. Grata domus Cereri; Multas ibi poſſidet urbes.*“ Trinacris igitur a Τρισὶ ἄκραις ſ. ἄκροις h. e. extremitatibus et ſummitatibus i. e. promontoriis. Cfr. Ind. ſ. v.

Sicilia. Mythos *Aetnam* montem spectantes vid. I, 573-574. IV, 491-496. Cfr. II, 461. It. Hom. Iliad. II, 782 sqq.

Trinacrius, a, um. H. e. *triquetrus, a, um.* Hinc *tellus triquetra* h. e. Sicilia. Horat. Sat. II, 6, 55. Cybela e Ponto Euxino navi devecta post plura loca praeterita et relicta „Veneri sacra Cythera (hodie *Cerigo*) petit." *Hinc mare Trinacrium,* (Siculum) *candens ubi tingere ferrum Brontesque et Steropes Acmonitesque solent.* IV, 286-288. Quam qui regionem his etiam designavit verbis v. 473: Liquerat Ceres — „*antraque Cyclopum positis exusta caminis.*" Cfr. Not.

Triptolemus, i. Ante omnia suaserim ut cum loco Poetae nostri *de Triptolemo* IV, 502-562, compararetur locus auctoris hymni homerici *in Cererem* a v. 87-314. It. a v. 475-482; quo pateat in quantum utriusque Poetae discrepet narratio. Sic qui puer ab auctore Hymni *Demophoon* vocatur, idem est Nostro Triptolemus. Celeus, qui *quatuor* pater filiarum laudatur (v. 105-110.) in Hymno, filiam parvam eamque *unam* habuisse in Fastorum l. l. (v. 511.) narratur. Hymni auctor Celea facit Ἐλευσῖνος θυοέσσης κοίρανον (v. 97.); filiaque hujus reguli, quae natu maxima (v. 110.) et venustissima (v. 146.) erat, Cererem, quae aniculae formam sumserat, his, ut eam edoceat de patria, adfatur verbis v. 149-155: Ταῦτα δέ τοι σαφέως ὑποθήσομαι ἠδ' ὀνομήνω ἀνέρας, οἷσιν ἔπεστι μέγα κράτος ἐνθάδε τιμῆς, δήμου τε προὔχουσιν, ἰδὲ κρήδεμνα πόληος εἰρύαται βουλῇσι καὶ ἰθείῃσι δίκῃσιν. Jam sequuntur nomina procerum terrae, inter quos Triptolemus. Vid. Not. ad v. 507. Apollodorus autem (I, 5, 2.) dum de Demophonte eadem tradit, quae Hymni auctor, Metanirae filium alium natu majorem dedit *Triptolemum*, cui Ceres δίφρον κατασκευάσασα πτηνῶν δρακόντων καὶ τὸν πυρὸν ἔδωκεν, ᾧ τὴν ὅλην οἰκουμένην δι' οὐρανοῦ αἰρόμενος κατέσπειρε. Apud Nostrum nuda at grata verborum simplicitate omnia complectens beneficia, quae ab ipsa accepta Triptolemus quondam impertiturus sit generi humano, matri Ceres haec vaticinatur: „*Iste quidem* (filius tuus, Triptolemus) *mortalis erit; sed primus arabit et seret, et culta praemia tollet humo.*" Caeterum ut Poeta placuisse sibi inprimis videtur in adornandis descriptionibus *morum et vitae generis rusticorum,* sic ut fere omnes, ita et nostra (IV, 507-560) monstrat, non alias ex sententia magis eidem procellisse. Quod in laudem morum ipsius admonitum velim. Cfr. loci de Terminalibus, de Hyrieo Orionis patre etc. Quis vero Philemonem et Baucida ignorat? (Metam. VIII, 630 sqq.)

Tritonia. Minervae, (a Graecis simili cognomine Τριτογένεια dictae) cognomen, quod pro nomine ipso positum legitur VI, 655. Graecum inprimis favet interpretationi, quae Deam sic dictam conjicit ab Aeolum vocabulo Τριτώ, *caput*, quod capite Jovis nata creditur. Vid. b. Heyne ad Virg. Aen. II, 171. Latinum vero cognomen, quod proprie ab adj. *Tritonius, a, um,* at in foem. gen. absolute posito factum est, ita ut aut *Dea* aut *virgo* (Aen. XI, 483.) subintelligatur, favere videtur interpretationi eorum, qui a flumine Africae juxta *Syrtem minorem* (Hodie: *Golfo de Sidra.*) in mare mediterraneum exeunte, seu potius a palude ejusdem loci, *Tritonis* item *Tritonia* dicta, nomen repetunt. Ibi enim natam esse ajunt. Vid. Pompon. Mela I, 7. Alii aliter.

Trivia. Dianae cognomen, quod, aeque ac proxime praecedens Minervae, proprie est foem. nominis adjectivi; cujusque caussa aeque incerta esse deprehenditur. Occurrit I, 389: „*exta canum vidi Triviae libare Sapaeos et quicunque tuas accolit, Haeme, nives.*" Maxume vero

quatenus *Hecate* erat h. e. Dea inferna seu Proserpina, h. e. Dea Manium, et *Trivia* dicta videtur in triviis noctu obvia, canibus ululantibus; (Horat. Sat. I, 8, 33-38. Theocr. Pharmac. h. e. Idyll. II, 10-13: „Ἀλλὰ Σελάνα φαῖνε καλόν. Τὺν γὰρ ποτεείσομαι ἄσυχα δαίμον, τᾷ χθονίᾳ δ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.") et canes victima Deae propterea grata haberi possunt. Doctiores causas nominis attulit Varro d. L. L. VI, 2. Excerptum dedit locum Scheller in Lex. s. sub voc. *trivius, a, um.*

Triumphus, i. Interpres desiderii pacis maximae certe sui temporis Romanorum partis fuisse videtur Ovidius, cum scriberet I, 711-713 sqq.: *Frondibus Actiacis comptos redimita capillos Pax ades, et toto mitis in orbe mane. Dum desunt hostes, desit quoque caussa triumphi* etc. Sententia simplex: Victoriam ad Actium partam pax quam maxume diuturna sequatur, ex animo precor. Verba vero „*dum desunt — — triumphi*" aut omnino otiosa judicanda, aut ex sensu Poetae probabili non vero ex stricto verborum capienda esse videntur et ita quidem: desint hostes, si vel tum defutura sit *caussa triumphi* h. e. opportunitas bellicam parandi gloriam. Nam addit v. sq.: *Tu* (o Pax!) *ducibus bello gloria major eris* h. e. gloriam, quam quaerunt duces nostri, invenient *majorem pace dehinc tuenda*, quam bello gerendo triumphisque bello parandis. 2) Artis aut simpliciter *poeticae* figmentum est, aut opus respicitur aliquod artis vel *pictoriae* vel *sculptoriae*, quoties *fluminum numina* traditisse dicuntur victoribus populorum earum terrarum, quas praetereunt perfluuntve, *famulas triumphi caussa aquas*, ut Rhenus Germanico I, 285-286. 3) In loco notabili *de majestate*, (Von der Würde oder Hoheit) quam *Numen* fecit Poeta, (V, 23-52.) *sine cujus tutela omnia misceantur et perturbentur in societate humana* seu vitae communitate, nec pretium meritis et reverentia debita solvatur parentibus, senibus, pueris virginibusque et magistratibus, est tandem ultimo positum loco hoc: *Illa* (Majestas) *coronatis alta triumphat equis.* H. e. Pompa triumphalis hunc spectat finem, ut dignitas eminenter excellens virtutis bellicae praemium ferat justum et agnoscatur ab omnibus. Vid. v. 52. 4) Ut majorem, cogitatione *optime meritos fuisse selectosque senes*, quos Galli interfecerint, miserationem sortis eorum luctuosae moveat Poeta, eos *triumphales* adpellat *senes.* VI, 364. 5) Postquam in Fastorum carminibus pertexendis ad d. 18. Jun. ventum erat, notatam invenit eam *victoria insignem*, quam a. U. c. 324. A. Postumius Tubertus de Volscis Aequisque reportaverat, cujus *triumphum suburbanum* notabilem reddiderant *equi nivei*, quibus vir ille victor primus usus esse videtur. VI, 721-724.

Troezen, enis. Urbs Argolidis maritima in Peloponneso cum portu, quem Πόγωνα nominat Herod. IX, 42; quam Hippolytus Thesei filius Athenis profectus petiisse narratur, cum ab equis monstro marino consternatis curru excussus et lacero corpore raptus misere periit. VI, 739. Eadem in urbe Athenienses deposuerant, cum Themistocle auctore a. M. 3605; a. U. c. 275. Athenas Persis occupatum reliquissent libertatem Graeciae *classe* defensuri. Vid. Herod. Uran. Cap. 41. Cfr. Cic. d. Offic. III, 11.

Troja. Sexaginta annis ante eam urbem eversam praedixisse fingitur Carmenta Evandri mater ipsa modo ex Arcadia in Latium delata: α) adventum Aeneae I, 519, β) bellum contra Turnum *ob Laviniam* gestum v. 520. γ) Pallantis filii Evandri et, quod inde sequitur, *nepotis* Carmentae ipsius funestam in bello illo necem, ab Aenea Turni, nocis auctore, morte vindicatam v. 521-

552. 3) *Trojae victae et eversae* per Romam conditam et potentissimam orbis terrarum factam urbem *instauratio* quasi ei *summum in ipsos victores* h. e. Graecos, *nactum imperium*. Loc. eod. v. 523-526. 2) *Vestae* (Ἑστίας) *ignis* (et omnino cultus) ab Aenea *Trojae ereptus favillae* et Latio illatus. III, 423. Qui quidem ignis cum esset inter *imperii Romani pignora* (v. 422.), *dignissima Trojae veteris praeda*, qua gravis Aeneas tutus ab hoste fuerit, vocatur. v. 423-424. 3) *Palladium*, aliud imperii Romani pignus, item quondam *e Troja*, cujus imperii pignus fuerat, parum sub Priamo servatum in Italiam delatum, ubi *res Romana* (VI, 424-435.) fuit, quam Romae Vesta ipsa quoque in aede sua tueri narratur. Vid. omn. de Palladii fatis loc. VI, 419-436. 4) Caet. Troja ipsa vocatur *urbs Iliaca* (v. 422.) et *moenia nova ab Ilo facta* (v. 416.) i. u. opp. *Dardaniae urbi*. Vid. Not. Condiderat nimirum Ilus urbem, Ilium ab ipso, Trojam a Tro patre dictam. Quamquam a patre campestris regio, Mysia utraque, majori et minori, intercepta, nomen *Troadis* et *Troiae* proprie acceperat; *Ilion* vero urbis nomen erat in ea regione conditae a filio, Ilo. 5) „*Pro Troja, Romane, tua Venus arma ferebat* etc.“ IV, 119. Est hoc *a grati animi sensu* repetitum inter causas, quibus motos vult Romanos, ne *titulo mensis secundi* Deam spolient (v. 115.) h. e. ne Aprilis mensis nomen ab alio quam Ἀφροδίτης nomine repetitum velint. (v. 61-62.) 6) Capys, inter Albae longae reges a patre accepisse dicitur *recidiva vocabula Trojae*. IV, 45.

Trojanus, a, um. 1) Coelestes duas *Trojano* (h. e. Paride) *judice* vicit Venus. IV, 121. Melius fortasse abesset a loco versus hic, quippe qui nullo apto nexu cohaerere videatur *cum re de qua sermo est* h. e. de meritis, propter quae Venus *majus habeat jus in Urbe* h. e. Romae imprimis colenda sit nominatimque honore dicti a Dea mensis Aprilis. 2) *Pax Trojana* h. e. facienda inter Graecos et Trojanos, cujus suasor inter eos commemoratur qui sue in Italiam adventu *Graja nomina* Italae intulerit terrae IV, 75.

Tros, otis. A nomine *Aprilis* mensis repetens occasionem Poeta *gentis Juliae parendi sibi favorem* (IV, 19-22.) summa nititur contentione, ut probet esse illum a Romulo in honorem Veneris a *nomine Deae graece* (IV, 61-80.) ita dictum annique sui ordine *secundum* factum, quia *in stemmate* matrem generis sui eam invenerit. Ut hoc ostendat Poeta, operosior est in recensenda serie regum primum Trojanorum (Ibd. 29-38.) deinde Albanorum (Ibd. 39-58.). Jam inter Trojanos est *Tros* (v. 33.) Erichthonii filius, Dardani nepos, Jovis et Electrae pronepos, pater vero ipse Ili, Ganymedis et *Assaraci*. Assaracus vero avus fuit Anchisis et proavus Aeneae et *Venus* mater ejusdem. Ab *Julo* vero seu Ascanio Aeneae filio originem repetiit suam *gens Julia*, quae eadem Poetae tempore *Caesarea* et *Augusta* dici coepit.

Tuba. Instrumentum musicum, cujus proprius ab initio fuit et praecipuus postea quoque mansit usus *in bello*, cujusque raucum [Plin. H. N. XI, 51.] terribilemque sonitum fortasse non male imitatus est Ennius verbo factitio: *taratantara*. Inventores instrumenti bellici fuerunt *Tyrrheni*. Virg. Aen. VIII, 526; aut *Tyrrhenus*, Herculis filius. T. Calpurnius Siculus docet *Numam primum jussisse, silentibus armis, inter sacra tubas, non inter bella sonare*. Ed. I, 65-68. Hinc Noster I, 715: „*cantetur-que fera, nil nisi pompa, tuba.*“ Sensus: Sempiterna jam dehinc pax non necessariam bello tubam reddat; sicque usus ejus tantum in *pompa* h. e. in solennibus civilibus et sacris. Nam quamquam pompa inprimis *de funerum fa-*

stu dicitur et strepitu (VI, 665. De ingenti in foro propter cornuum *tubarumque* usum strepitu, quoties plura ibi concurrerent funera, lepidissimus est locus in Horat. Sat. I, 6, 43-44.), tamen loco nostro *laetas* potius pacis pompas quam tristes funerum intelligendas esse ipsa docet contexta oratio, v. c. *Florales* Juv. VI, 249. 2) De tubis, (quae *canorae* vocantur III, 849. item *purae* V, 726.) *lustratis* vid. Ind. s. v. *tubilustrium*.

Tubertus Postumus, seu *Aulus Postumius Tubertus*, Dictator, de Volscis Aequisque d. 17. Jun. a. U. c. 324. triumphavit. VI, 721-724. Cfr. Not.

Tubilustrium. Duplex e Fastis cognoscitur solennium fuisse genus; alterum quo ultima sacrorum Minervae die, h. e. quinta, *tubae* lustrabantur *canorae* (H. e. d. 23. Mart. Vid. III, 849-850. Quod fortasse Minervae *bellicae* in honorem tum factum est, cum tubae usus *in bello* esset plurimus et paene proprius.); alterum vero quo, in honorem Volcani *inventoris*, tubae lustrabantur. (D. 24. mens. Maji. v. V, v. 725; quo loco et vocabulum in num. pl. *tubilustria* occurrit.)

Tullia minor. In delineandis moribus hujus feminae misera ambitione ita laborantis, ut omnia jura divina aeque atque humana prae ardentissimo studio satiandi eam contemneret aut susque deque haberet, imitatus Poeta videtur Livium I, 46. Vividissimis vero, ut Poeta, Historici morum delineationem instruxit coloribus, ut ornatiorem et pleniorem redderet tabulam. 1) Tullia igitur regia virgo [Servii Tullii filia natu minor] nupta regio juveni Arunti Tarquinio [Tarquinii prisci filio] haud ante ambitionis satiandae spem se nactam rata, quam *sorore* et *marito* e medio sublatis; quoniam ipsius impares fuerant moribus, sororis nupserat marito Lucio Tarquinio [*Superbi*, postea quam rex factus erat, cognomine famoso] *propter morum similitudinem* adamato. Dictis illustrantur verba VI, 587: „*Tullia, conjugio, sceleris mercede, peracto* etc." Cfr. Not. Quibus exstimulaverit conjugem parricidiis emtum dictis, ut *patrem grandaevum* de solio regio deturbaret vid. a v. 589-596. Qua vero amentia, omni sensu pietatis immo humanitatis exuta in patris caesi corpus saevierit, hoc selectis enarratum legas verbis a v. 601-610. Tandem subjungitur *commentum*, eo haud dubie consilio sapienter excogitatum, ut detestarentur et exhorrescerent majis Romani mores referentes similitudinem morum Tulliae a v. 611-624. Explicatur vero ex commentitio miraculo: cur *in templo Fortunae*, d. 11. Jun. consecrato, conspiciatur *signum* Tullii *duabus coopertum togis undulatis*. Cfr. v. 570-572. 580.

Tullius (Servius). Qui rex Romae urbis *septimus* fuit e sententia Ovidii VI, 624. Propter natales humiles plebi et servis grata fuit hujus regis memoria. VI, 781-784. Ipse eandem ob caussam Fortunae plura posuerat templa. V. Not. ad IV, 145. It. ad VI, 569. Cfr. Ind. s. v. *Servius*.

Turnus. Triplex festorum dierum genus inprimis laudabile inter reliqua a Romanis instituta propter consilii gravitatem dici meretur α): *Floralia* [Das Fest für das Gedeihen der Bluth und der Blumen, V, 183-379.] β) *Robigalia* [Das Fest zur Abwendung des Brandes, einer Krankheit der Feldfrüchte, IV, 905-942.] γ): *Vinalia*; quae cum d. 23. Apr. celebrarentur, haud dubie *Veneris festum* (IV, 877. Cfr. 863-876.) dici potuerunt, quia eodem, ut videtur, tempore *dedicatum est* templum *Veneris Erycinae*. At Vinaliorum instituendorum caussam *historicam*, quae huc pertinet, si spectaveris, *Jovis fuit dies* (IV, 878.) nec quondam nisi *vindemia peracta* demum celebrata (Eod. loc. 897-900.) h. e. medio non vere sed auctumno. Atque sic res se habet, ut nunc video. Nam Plinio auctore *duplex* Vinaliorum festum fuit,

alterum celebratum d. 23. Apr. alterum vero d. 19. Aug. [Hist. Nat. XVIII, 29.] Causam tutur *historicam* originis Vinaliorum *posteriorum* ad priora retulit Poeta celebrari coepta haec. sine dubitatione omni quo *bene* defloresceret vites et incolumes manerent ab intemperie aëris. Turnus vero Rutulorum rex hoc modo *Vinaliorum* instituendorum praebuit occasionem: Cum bellum suscepisset propter *Laviniam* contra Aenean, et Mezentius pacta proximae vindemiae musti parte auxilium se laturum Turno promisisset, Aeneas contra re audita *Jovi* e Latio palmite musta vovit. Sic orta *Vinalia mense Augusto celebrata*, at non de quibus Noster agit, illa mense Aprili instituta. Caet. *varie* a variis res narratur. Vid. Not. ad loc. laud. v. 887. 2) Idem Turnus *Pallanta*, Evandri filium, Carmentae nepotem in pugna interficit, Pallas vero *non humilem* caedis suae nactus vindicem, cum Turnus vicissim eadem in pugna ab Aenea interficeretur. I, 519-522. Cfr. Not. Num vero rationibus chronologicis haec conveniant, dubitaverim; cum Evander LX annis ante bellum Trojanum in Italiam venerit. Vid. Not. ad I, 500. et ad IV, 65. 3) Turni soror *Juturna* fuit, Nympha fluvii et lacus Latii. I, 463-464. Cfr. II, 585 sqq. 4) De *Ardea*, Rutulorum urbe, in qua Turni regia (Virg. Aen. VII, 411-414.) cfr. Fast. loc. II, 721 sqq.

Tus sive *thus*, *ris*. Usitatissimum odorum *suaveolentium* genus, quo ignibus in ara aut altari accensis suffiebatur. (Vid. Not. ad I, 75.) Inter suffimina vero erat *pretiosa* quippe e longissime remotis petita terris. Nam e Sabaeorum terra [Jetzt das Land des Imam von Jemen im glücklichen oder fruchtbaren Arabien.] subvecta per sinum Persicum (ut hodie a *Moscat* urbe cum portu ad hunc sinum) in ostia Euphratis hinc vero in Syriae et Phoeniciae portus cum aliis mercibus deducta a Romanis in Italiam devehebatur. Vid. illustr. Fastor. intpr. ad I, 341. Bacchius primus per expeditionis Indicae occasionem Jovi *tura* dedisse laudatur, quae, epitheto ab animatis ad res inanimatas translato, *captiva* vocantur III, 731. *tura* vero I. l. (ut I, 341.) definite pro indefinito *sumtuosa* et *exquisita* posita sunt, ut reliquae utroque in loco memoratae res Diis oblatae. Thuris patriam esse *Arabiam*, nec alia ulla in terra gigni contendit Plin. H. N. XII, 14. Idem Sabaeos Arabum *propter tura* clarissimos dixit VI, 28. Virgilius vero idem ait his usus verbis Georg. II, 117: „*Solis est thurea virga Sabaeis.*" Cfr. I, 57. Hinc aptissimum esse epitheton cognoscitur, quo Poeta Arabes ornat, ne nudum ponat eorum nomen, *turilegos* eos vocando, IV, 569. Male vero Indum dixit *turiferum* III, 720. Ex notione tamen de ambitu Indiae tum obvia defensam lege formulam in Not. Caet. quamquam hoc constat esse thura coagulatas aut spissatas guttas arboris aut fruticis Arabiae, granorum (Hinc *turea grana* IV, 410. et tura tria II, 573.) formam referentes, tamen vel recentissimi Hist. Nat. auctores ingenue fatentur se non satis compertam habere rem de thure Veterum et Arabes ipsos ex Aethiopia petere et petisse videri, cum tanta copia non suppetat Arabiae, quanta exportari solita sit. Fruticem ipsam esse Linnaei *lunierum turiferam* seu Phoeniceam (Die Weihrauchstaude) monet illustr. Voss ad Georg. l. l. Unde nomen acceperit hoc resinae naturam referens suffimenti genus non satis constat. A Graecorum verbo θύω h. e. suffio repetunt, qui thus scribunt. Miram originationem vocabuli attulit Taubnerus, qui a *tundendo* repetit, quia guttae, quae deciderint in glebas et cum glebis congelatae *tundendo* separentur. Saepissime vero commemoratur inter *signa honoris* qui Diis haberi solebat: 1) Jano omnium primo *tura* merumque *ferebant* I, 172. 2)

Tura pacalibus *ni addant* flammis, exhortatur Poeta sacerdotes I, 719. H. e. flammis in ara *Pacis* sacra accensis. Vid. Not. ad v. 709. 3) Diis generis bonis *tura dare* Cariſtiis cari inter ſe propinqui jubentur II, 631. 4) *Divino honore* a Romanis colendum jam eſſe Romulum ſignificat formula: *Tura ferant* placentque novum pia turba Quirinum II, 507. 5) Feralibus — *Ture vacent aree*; ſtentque ſine igne foci II, 564. Sacra facere diebus triſtibus, quales *Ferales*, erat igitur mali ominis. 6) Sacra facient Deae Tacitae anus *digitis trita tura tribus* ſub limine ponit etc. II, 573. 7) Veſtae cultores monet ut cratera *turaque* Iliacis ponant in focis h. e. ut mero et thure eam placent III, 417. 8) Latias matres nurusque immo meretrices quoque (IV, 133-134.) docet Poeta, quare Fortunae *tura* Virili dent eo loco, calida qui humeat aqua. IV, 145-146. *Parvo* nimirum *ture* rogata vitium nudi corporis tegit ceſatque item viros. Ibd. v. 149-150. 9) Cereri Deae colonos exhortatur ut *in veteres turea grana* dent focos et, *ſi tura abſint*, ut unctas accendant taedas. IV, 410-411. Ex quo quidem loco adparet non in triviis rem fuiſſe obviam *tura*. 10) Flamini Quirinali ſacra facturo Robigini a dextra fuit *meri patera turisque acerra*. Tum *tura focis vinumque dedit*. IV, 933-935. 11) Mercurium alloquens, „Te, inquit, quicunque ſuas profitetur vendere merces, *ture dato*, tribuas ut ſibi lucra, rogat.“ V, 671-672. 12) Mars in concilio Deorum a Jove convocato multa conqueſtus de fortuna Romanorum ſuorum, qui Gallis fere ſoccubuerant, tribuensque hoc Deorum culpae res humanas nil curantium, addit: ignorare hoc vero homines *nil opis in cura ſupereſſe Deorum et data ſollicita tura perire manu* VI, 369-370. Pereunt vero tura, ſi α) Dii non placantur, β) nec opem ferunt ſacris factis expetitam. Caet. de uſu turis in ſacris egit Briſſon. d. Form. I, 38, 39. Jam ne in putidae nimis diligentiae reprehenſionem incurram, hoc admonitos lectores velim, Faſtorum carmina inprimis verſari in *rebus ſacris* explicandis; hinc in Indice quoque diligentiſſime colligenda videbantur, quae (res) ſpectant ſacras. Cfr. Ind. ſ. vocc. *ara* et *focus*.

Tuſculum. Nomen hoc ipſum oppidi prope a Roma diſſiti, quod nec hodiernum nomen *Fraſcati* ignobile fecit, non occurrit. A conditore vero repetita denominatio ejus bis occurrit: „*Tempora conſtant iuter — Albanaque — factaque Telegoni moenia celſa manu*.“ III, 91-92. H. e. tempora digeſta ſunt eandem ad legem apud Albanos et Tuſculanos; isdem utuntur Faſtis; nullum intercedit diſcrimen inter Faſtos utriusque civitatis. 2) Inter teſtimonia *hiſtorica*, quibus verum eſſe quod poluerat („*Grajo ſermone multa notari in ſermone latino*“) probare contendit, eſt hoc quoque: *Et jam Telegoni jam moenia Tiburis udi ſtabant* h. e. a *Graecis* longe ante Romam conditam Tuſculum et Tibur etiam condita erant. IV, 71-72. Cfr. Not.

Tuſcus, a, um. Tuſciam ulla aliqua ratione ſpectans, aut ab hac Italiae terra (quae, pauci abhinc ſunt anni, *Toſcana* erat) dictum. Synonyma ſunt: *Tyrrhenus, a, um*; et *Hetruſcus, a, um*. 1) „*Jamque* [Evander] — *Tuſcis obvius ibat aquis*.“ I, 499-500. Sermo eſt de Arcadis laudati adventu in Italia. Tibridis vero aquae *Tuſcae* vocantur, quia per Tuſciam ſeu Etruriam in Latium h. e. a boreali regione in auſtralem devolvuntur. Syn. *Etruſcae Tiberis aquae* VI, 714. 2) „*Omnis Eques, mixtaque cum plebe Senatus obvius* (Cybelae) *ad Tuſci fluminis ora* venit h. e. ubi in occidentem ſolem converſus ante Tiberis ſe *in altum dividit et campo libertore natat*.“ IV, 293-294. Coll. v. 291-292. 3) „Tiberinus Albanorum rex — *dicitur in Tuſcae*

gurgite mersus aquae." IV, 47-48. Quo casu Tuscae aquae nomen priscum, quod *Albulae* ipsi fuerat, in Tibridis mutatum putabatur II, 389-390. 4) „*Tuscum rate venit in amnem ante pererrato falcifer orbe Deus.*" H. e. Saturnus coelitibus a Jove regnis pulsus. I, 233-234. 5) Mezentius *dux Tuscus* vocatur IV, 884; idem vero *rex Tyrrhenus* v. 893; ejusque copiae auxiliares, quae adoptaverat Turnus, *opes Hetruscae* v. 880. Cfr. Not. ad. h. l. 6) Vejentibus a generosa Fabiorum gente iterum ac saepius pulsis *Tusco sanguine terra rubet.* II, 212. Eorundem Vejentium agmen *Tyrrhenum* adpellatur v. 208. Cfr. Ind. s. v. *Fabius.* 7) Bellona h. e. Bellonae aedes *Tusco sacrata* narratur *duello* et d. 4. Jun. VI, 221. Quo tempore nimirum omnes duodecim Etruriae seu Tusciae populi in Romani nominis excidium conjuraverant cum Samnitibus, Umbris et Gallis. Vid. Flor. I, 17. Liv. X, 18-37. Bellum coeptum est geri a. U. c. 442; a. C. n. 312. Antiquissimum rerum statum, quo tempore res Etruscae florentissimae fuerunt, inprimis navales, et ambitu finium *Galliae Cisalpinae* pars continebatur ita ut *Mantua* esset metropolis, cognosces e Virg. Aen. X, 163-214. Validissimae Tusciae urbes, quae *Etruriae capita* a Livio nominantur, nec hodie interierunt. Volsinii enim sunt *Balsenna*, Perusia hodie *Perugia* et Arretinum *Arezzo.* Liv. X, 37.

Tychius. De Quinquatrubus majoribus d. 18. Mart. in honorem *Minervae* celebratis agens Poeta (III, 809-850.) omnibus *in arte aliqua* vel liberali vel illiberali s. vel ingenua vel sordida et sellularia occupatis commendat *ne cultum illius Deae negligant;* nam *si vel artis suae leges omnes* optime teneant, tamen *invita Minerva* certissime peccaturos in legibus illis *per artis suae opera* in usum collocandis. Quam quidem sententiam ornatis his extulit verbis III, 823-824: „*Nec quisquam invita faciat* (d. i. möchte wohl machen) *bene vincula plantae Pallade, sit Tychio doctior ille licet.*" (Verstünde oder kennte er die Regeln seiner Kunst noch besser als ein Tychius.) Rectissime videtur b. Heydenreich definivisse *quid sit ars?* Cujus quidem viri definitio in nostrum locum quadrat. Ait enim: „*Kunst ist der Inbegriff der Ausübungssätze, welche zur Erreichung einer Absicht erfordert werden und zu ihrer Anwendung eine Fertigkeit erfordern.*" Aesth. III, 2. Caet. historice loc. nostr. explicat. lege in Not.

Tydeus, ei. Oeneos Calydone in Aetolia regnantis, ex secundis nuptiis cum Periboea, filius, Diomedis Graecorum longe fortissimi pater. Propter caedem, incertum cujus (Apollod. I, 8. 5.), fugere coactus exul se contulit Argos, ibique filiam Adrasti, Deipylen, uxorem duxit. Expeditione vero contra Thebas, cfr. Iliad. IV, 370-410. cum socero suscepta a Menalippo vulneratus periit. Corroborat Tydeos aliorumque virorum exilii mala passorum *exemplis* Evandri nati sui animum Carmenta mater, eumque non modo exemplis sed argumentis etiam selectis solatur I, 479-496. Caet. Tydei filius *Diomedes* commemoratur inter Graecos qui colonias in Italiam (Appuliam) deduxerunt IV, 76. Frater vero *germanus* Meleager inter exempla *vindictae studii et irae* Deorum, si negligantur V, 305. Cfr. Not. ad v. 304. Cfr. Iad. s. v. *Oetides* et *Thestyades.*

Tympanum. De Gallis, Cybeles sacra seu Megalesia celebrantibus d. 4. Apr. „*Ibunt semimares et inania tympana tundent.*" IV, 183. Vide Notam de hoc instrumento musico ex Asia, ut videtur, Romam translato. Pertinent ad sonum ejusdem verba Vers. 213: „Aera Deae comites *raucaque tympana* movent. (Hoc est) Cymbala pro

galeis, *pro scutis tympana* pulsant." Item *de coriis* quibus tympanorum orbes intenti fuerunt et modo pulsandi eos Vers. 342. „*Et feriunt molles taurea terga manus.*" E pellibus asinorum tamen, ut nunc, tympanorum coria plerumque fuisse patet e fabella lepida Phaedri 3, 20, 7. Triplex vero instrumentorum musicorum genus in Cybeles sacris memoratur: 1) *Tibia Phrygia inflexo cornu* IV, 181. Vid. Not. Quae eadem *horrendo lotos adunca sono* vocatur v. 190. Hinc patet *qui Phrygii sint modi*, quos tibia ista dare dicitur v. 214. Item cur inflata tibia *furiosa* censeatur v. 341. 2) *Cymbala* quae ex aere facta concavae erant formae ita ut cymbalum cymbalo repulsum h. e. concussum tinnitus daret acutos. Vid. Not. ad v. IV, 184. Cfr. v. 213. Cymbala ferebant etiam Bacchi comites, Satyri. Vid. Not. ad III, 737-740. 3) De tympani vero alio eoque maxime diverso significatu vid. Intpr. ad Aristoph. Plut. v. 476.

Tyndarida, ae. Castor et Pollux, ut ab Oebalo avo, Laconicae rege, *Oebalidae* adpellantur V, 705; sic a patre Tyndaro *Tyndaridae fratres* vocantur eod. loc. v. 700. Sorores gemellae e Leda ipsa quoque natae fuerunt Helena (Hom. Iliad. III, 236-242.) et Clytaemnestra. Sidus vero coeleste inter Zodiaci signa praeclare fulgens, quod nomen accepit a *Geminis* scl. fratribus, Castore et Polluce quatenus ad d. 19. Jun. *Solis transitus in illud* commemorandus erat, occasionem praebuit Poetae enarrandorum ultimorum utriusque Fatorum a Libr. V, 697-720.

Typhoeus et *Typhon.* (Eustath. ad Iliad. II, 782. Τὸν δὲ Τυφωέα τοῦτον οἱ μεθ' Ὅμηρον Τυφῶνα καλοῦσι.) Postquam Terra primum Titanas, deinde Gigantes Coelo pepererat; victos vero a Diis tum illos tum hos viderat, postremum, ira majis etiam incensa, *cum Tartaro* rem habuisse fertur, e quo immanissimum omnium procreavit monstrum, *Typhona*, cujus plenam verbis pictam imaginem exhibet Apollod. I, 6, 2. E quo quidem loco patet phantasiam humanam non facile aliud monstrum effinxisse quod cum hoc Typhoeos possit comparari. Est enim vere horrendum et ingens. Mythum vero de eo esse inter *physicos* referendum non equidem dubitaverim, ita ut de terrae motu ingenti de eruptione ignium e terra montibusque ignivomis atque furentibus procellis inprimis in Asia minori cogitandum esse videatur. Significatio verbi Τύφω ipsa quoque confirmat hanc interpretationem. De qua videantur intpr. N. T. ad Matth. XII, 20. Sic etiam Eustathium statuisse video. Nam l. l.: ἡ γὰρ ἀλληγορία, inquit, Δία (per Jovem Typhona rebellem oppugnantem) μὲν τὸν ἀέρα νοεῖ, (aëra subsignificat) Τυφωέα δὲ πνεῦμα ὑπόγεων πυρόεν καὶ καυστικόν. Cfr. beat. Heyne ad Virg. Aen. IX, 715-716. Ter in Fastis commemoratur: 1) De caussa agens cur *Piscium* nomine inter Zodiaci signa sidus micet „*Terribilem*, inquit, *quondam fugiens Typhona Dione — Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo*" — quocum, postquam prosiluerat in Euphratis aquas, *a piscibus* servata est *gemellis*. II, 461-474. Quae reliqua sunt loca, illustrantur narratione Apollodori l. l.: Jove porro persequente Typhoëa in Thraciam ibique, circa Haemum, montes totos in Jovem jaculatus hosque in semet retorsos habens fulminum ictibus, multum sanguinis vomit in Haemum, qui inde nomen accepit suum (ab αἷμα). Porro vero per mare Siculum aufugiturus Jupiter *montem Aetnam* in eum conjecit. *Hinc* per fulmina missa oriri adhuc flammarum eruptiones. [Homerus vero, quique hunc sequutus Poetam Virgilius *Inarimen* aut terrae in Cilicia tractum sepulturae locum faciunt. Vid. Excurs. beat. Heyn. ad loc. Virg. Aen. IX,

715.] Itaque Nostr IV, 491-493: „*Alta jacet vasti. super ora Typhoeos Aetne, cujus anhelatis ignibus ardet humus.*“ 3) Cacus frustra *solitis* usus armis ad Herculem debellandum „*patrias male sortis ad artes* (H. e. ad Vulcani ignipotentis) *confugit et flammas ore sonante vomit. Quae quatiss profiat, spirare Typhoëa credas et rapidum Aetneo fulgur ab igne jaci.*“ I, 541-547.

Tyrius, a, um. 1) I, 489-490: „*Tyrias — quondam pulsus ab oris Cadmus in Aonia constitit exsul humo.*“ Immigravit ex Asia in Europam h. e. e Phoenicia in Boeotiam Cadmus anno a. C. n. 1594 (Sic Barthelemy Voyage etc. T. VII.); Evander vero e Graecia in Italiam h. e. ex Arcadia in Latium immigravit anno a. C. n. 1254. (Sic Gatterers Vers. ein. allg. Weltgesch.) Temporum igitur rationi convenienter etiam Poetam finxisse videmus Evandri matrem consolantem h. e. tranquillantem *argumentis* animum filii tum aliis *exemplis* virorum mala exilii molesta magno passorum animo. Jure vero inter ea exempla primum videtur obtinere locum Cadmus. 2) Europa *Cadmi sonor*, (propter quam a Jove raptam Agenor pater filium, ut eam per omnes orbis terrarum latebras quaereret, excedere patria coegit) *Tyria puella* nominatur V, 605. Quo quidem in loco caussa sideris *Tauri*, quod est inter duodecim Zodiaci signa; repetitur a Tauro, cujus simulaverat formam Jupiter, cum e Phoenices litoribus in Cretam insulam tergo per maris undas vehetet. Vid. omn. loc. V, 603-620. 3) *Tyrii Carthaginis conditores, diffugerunt* postquam Dido ipsa, sua manu usa, conciderat, Numidae vero regnum recens conditum invaserant atque Iarba Maurus capta potitus erat domo. IV, 555. 4) Anne, Didus soror, Aeneae domum intrat, (qui *Latinorum* jam Aboriginibus Trojanisque mixtis in Italia stabiliverat regnum, Laviniamque Latini natam duxerat, III, 601-602.) *Tyrios induta paratus* h. e. vestita magnifice at insolentia et novitate vestitus oculos omnium in ipsam fixos morans et tenens.

Tyrrhenus, a, um. Syn. *Etruscus, a, um*; et *Tuscus, a, um.* Cfr. Ind. s. h. voc. Caussam, cur Tusciae incolas Graeci primo, deinde Romani quoque dixerint *Tyrrhenos* fuisse constat, quia famam sequuti, incertam eam, sibi persuaserant *Tyrrhenum* Atys, Lydiae regis, filium in Etruriam Lydorum deduxisse coloniam. (Circa annum a. C. n. 1354.) Herod. I, 94: „Smyrna (emporio inter Asiae minoris, quae *Natolia nunc* vocatur, *hodie* quoque nobilissimo) provecti κατὰ βίου τε καὶ γῆς ζήτησιν —, ἔθνεα πολλὰ παραμειψάμενοι, ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικούς. (Umbri vero tum in Etruriam propagatum tenuere imperium) ἔνθα σφέας ἐνιδρύσασθαι πόλιας καὶ οἰκέειν τὸ μέχρι τοῦδε. Ἀντὶ δὲ Λυδῶν μετονομασθῆναι αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βασιλέως τοῦ παιδὸς, ὃς σφέας ἀπήγαγε· ἀπὸ τούτου, τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς.“ Hinc Horat. in Sat. I, 6, 1-2: „Non quia, Maecenas, *Lydorum quidquid Etruscos incoluit fines* nemo generosior est te — naso suspendis adunco ignotos etc.“ Cfr. Od. III, 29, 1. Quo quidem in loco idem Maecenas blando alloquio „*Tyrrhena regum progenies*“ vocatur. Falsa vero esse, quae ab Herodoto tradita proposuimus, idoneis Wielandus argumentis ait docuisse auctorem *disquisitionis de originibus diversorum Italiae populorum* francogallice scriptae et insertae Operi nostrissimo: Histoire de l'Acad. d. Inscr. et d. B. Lettr. T. X. Edit. duodenis propos. — Occurrit vero hoc nom. adj. in Fast. II, 207-208: Fabii illi 306, qui susceperant in se onus belli Veientini „*destrictis ensibus — Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.*“ Ov-

γενεανῶν seu Βηΐων πόλις erat Tyrrhena et τῆς Τυῤῥηνίας quidem πρόσχημα h. e. propugnaculum. Vid. Plutarch. Camill. §. 9. 2) Bacchi laudes hymno celebraturus inter res praeclare gestas *subitos* quoque *pisces Tyrrhenaque monstra diceret*, quod vero non carminis sui esse opus Poeta ait III, 723 - 724. Post Phoenices antiquissimis temporibus inter Italiae populos Etruriae incolae omnium maxume nomen suum longe lateque illustrasse videntur *navigandi arte artisque usu*. Rem, quam respicit Noster l. l., his narrat verbis Apollod. III, 5: „Βάκχος βουλόμενος ἀπὸ τῆς Ἰνωΐας εἰς Νάξον διανομισθῆναι Τυῤῥηνῶν ληστηρίοις ἐμισθώσατο τριήρη. Οἱ δὲ αὐτὸν ἐνθέμενοι Νάξον μὲν παρέπλευσαν, ἠπείγοντο δὲ εἰς Ἀσίαν ἀπεμπολήσοντες· ὁ δὲ τὸν μὲν ἱστὸν καὶ τὰς κώπας ἐποίησεν ὄφεις, τὸ δὲ σκάφος ἔπλησε κισσοῦ καὶ βοῆς αὐλῶν· οἱ δὲ ἐμμανεῖς γενόμενοι κατὰ τῆς θαλάττης ἔφυγον καὶ ἐγένοντο δελφῖνες. 3) Vinalium *posteriorum* d. 19. Aug. celebratorum originis causam reddens, quo loco *de prioribus* d. 23. Apr. celebratis agit, Aenean per alloquium Jovi musta Latii his voventem fecit verbis IV, 893-894: „*Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi* (H. e. Mezentio, cujus opes *Etruscas* dixerat v. 880. ipsum vero *ducem* nominaverat *Tuscum* v. 884.) *Jupiter! — e Latio palmite musta feras.*“

Tyrus. Cujus quidem et Sidonis incolarum sortem, quamquam divitiarum mercatura quaesitarum abusus mores hominum haud dubie corruptos reddiderat, ἀνεκτοτέρην in futura tamen fore vita pronunciavit auctor statorque religionis nostrae ab ipso dictae, quam aut *histrionica arte* summam pietatem morumque integritatem simulantium aut propter religionis male intellectae fervorem *odium generis humani* nutrientium Judaeorum. Vid. Matth. XI, 21-22. Maxime notabilia de hac urbe, quae summam debemus N. F. interpretum doctrinae et diligentiae, collecta invenies in Schleusneri Lex. N. T. s. v. Τύρος. Caeterum nobilissima haec antiqui aevi urbs, quae Phoenicum maxume illustravit nomen, bis capta et diruta legitur α) a Nabuchodonoforo Babyloniorum rege anno a. C. n. 580; et β) ab Alexandro M. Macedonum rege anno a. C. n. 335. Nihilo minus vel Voluminis sacri loc. laud. docet opum abundantia aeque haud dubie denuo floruisse ac propter luxuriam perditam flagitiosque mores male audivisse tempore vitae Christi. Commemoratur III, 631. Quo quidem loco Annam Didus sororem Laviniae uxori commendans Aeneas „*Orta Tyro*, inquit, *regnum Libyca possedit in ora* etc.

V.

Vacuna. Inter *indigetes* Romanorum referenda Dea est haec, ut Pales, Carna et aliae plures, cui agricolae post collectas fruges operum *vacui* inprimis sacra fecisse narrantur. Schol. ad Hor. Epp. I, 10, 49: Vacuna *in Sabinis* Dea, quae *Jub incerta est specie* formata. Varro in Rer. Div. L. I. Minervam [*Victoriam* Acro Fabr.] dicit, quod *eae* maxime hi gaudeant, *qui sapientiae vacant*. Noster simpliciter VI, 305 - 308: „*Ante focos olim longis considere scamnis mos erat et mensae credere adesse Deos. Nunc quoque, cum fiunt antiquae, sacra Vacunae, ante Vacunales stantque sedentque focos.*“ Cum Dea cognomine *antiquae* Poeta insignem fecerit, nec miremur fanum Vacunae *putre* (mürbe, morsch, verfallen) vocari ab Horat. Epp. I, 10, 49. Quocunque vero sensu locus Horatii capiatur, hoc certum manere videtur: α) significare voluisse Poetam, se *vacuum* a negotiis, *otioque* rure indulgentem scripsisse Epistolam; β) templum Vacunae, si non eo fuerit consilio, ut declararet novo modo at satis lepide sententiam propo-

tam, diversum fuisse a templo, quod respexit Ovidius, quodque Romae in regione Urbis XIV fuisse ajunt, vel ex eo patet, quoniam rure degens laudatam scripsit Epistolam Horatius. Cfr. de Vacuna loc. Plin. H. N. III, 12. Quosque Taubnerus laudavit Rosin. Antq. Rom. II, 19; p. 244. et Neap. ad Fast.

Vacunalis focus h. e. ara, ante quam steriſſe et consedisse dicuntur sacra Deae facturi. Vid. VI, 308.

M. Valerius Corvinus. Hujus quoque viri cognomen, quo a *corvo* Corvinus dictus est, eum memoratur in finem, ut Octaviani Caesaris summus tituli splendor, quo *Augustus* dictus erat, majis quasi mentes animosque feriret. Torquati vero et Corvini laudibus de proposito et ita, ut hoc invidiosae malignitati tribui posse videretur, detrahere studuisse Nostrum, ex verbis ipsis suspicatio moveri et oriri potest I, 601-602: „*Ex uno* (nomine) *quidam celebres, aut torquis ademtae aut corvi titulos auxiliaris habent.*" Caet. caussam historicam cognominis *Corvini* pluribus exposuit illustr. Fastor. intpr. ad l. l.

M. Valerius Maximus Messala. Illustris Fastorum interpres verba loci posteriora I, 595: „Hunc Numidae faciunt, *illum Messana superbum*" non intellecta vult *de cognomine* celeberrimae Valeriorum gentis a dicto Valerio (Cos. a. U. c. 491.) propter *Messanam* liberatam *Messalarum* dictae (Plin. H. N. 35, 4. Macrob. Saturn. I, 6. Senec. de brevit. Vit. 13.), sed cum Polybio et Floro factum illud ad Appium Claudium, cui *Caudex* cognomen fuit, retulit, ita ut verba *superbum faciunt* simpliciter forent: *illustrem* reddiderunt. Messalarum nomen certe paene in proverbium abierat apud Romanos, si quem a nobilitate generis summa summisque divitiis designare vellent. Vid. Horat. Sat. I, 6. 42. Perſ. Sat. II, 72. Multum tribuit favori et judicio Messalae amici Hor. Sat. I, 10, 85. Caussa patet ex ejd. Art. Poet. v. 371. Cum contemtu *magni* Messalae lippa propago quamquam cum significatione *maximarum ejus opum* commemoratur a Perſio l. l. Laudes Messalae quem Horatius inter fautores suos nominat, cecinit Tibullus IV, 1. Cfr. I, 3. Stemma gentis dedit celeb. Ruperti in Tabb. geneal. editis Goettingae 1794.

Vedius Pollio. Nomen viri ipsum in Fastis non legitur. Quod vero maxume *luxuriae insanae opulentorum Romanorum in extruendis aedificiis vel privatis* memorabile legitur exemplum in Fastorum Libro sexto, v. 639-648, aeque memorabili ab Augusto *Censuram agente* notatum modo, respicere hominem illum illius nominis docuit e Seneca intpr. Fastor. illustr. ad l. l. Caeterum Suetonius Porticum Liviae refert (Vit. Octav. c. 29.) inter opera, *quae sub alieno nomine fecerit;* videturque ea, si locum satis difficilem recte capio, ornasse aedem Concordiae magnificam a Livia ipsa d. 28. Jun. dedicatam. Nexum enim justum alias omnino desidero inter v. 637-638: *Te quoque* etc. et inter v. 639-640: *Disce tamen* etc. Diversa vero aedes Concordiae l. l. commemorata fuisse videtur ab aede Concordiae commemorata I, 639; cum haec d. 16. Januar. dedicata legatur. Quod ad rem ipsam attinet, Sallustius etiam confirmat, si non de ea re satis aliunde constaret, verba Poetae nostri de aedibus privatis Vedii Pollionis „*Urbis nimirum opus domum unam fuisse.*" Nam in Belli Catilinarii cap. 12: *Operae pretium est,* inquit, *cum domos atque villas cognoveris in Urbium modum exaedificatas, vitere templa Deorum* etc. Villarum in urbium modum exaedificatarum exemplum fuisse videtur villa Clodii, de qua Cic. p. Milon. 31: „*Vos enim jam, Albani tumuli atque luci — vosque*

Albanorum obrutae arae, sacrorum P. R. Sociae et aequales — imploro atque testor, quas ille praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat etc." Versabantur vero in illo fundo Clodii, ut Cicero ipse ait, facile *mille hominum valentium* h. e. operariorum, servorum Clodii et architectorum. Vid. Orat. laud. cap. 20.

Vejens, tis. Quidquid a *Vejis*, opulentissima quondam et potentissima Etruriae urbe, nomen habet. (Vide de Vejis Ind. s. v. *Fabius* et *Camillus* item *Cremera.*) Hinc *Vejentia arva*, in quibus *ter centum Fabii ter cecidisse duo* narrantur et Idibus quidem Februar. a. U. c. 275. II, 195-196. Livius retulit cladem, qua gens Fabia uno superstite impubere, periit omnis ad d. 18. Jul. Vid. Not.

Vejovis. Cognomen Jovis ipsius, in cujus vim et potestatem accurate et docte inquisivit Poeta ipse III, 435-448. Jovi *juveni* seu *non magno* e sententia Poetae sacratum igitur fuit d. 7. Mart. templum, a Romulo quondam ante asyli locum in convalli inter arcem Tarpejam et Capitolium exstructum. Cfr. Not. ad v. 429-434.

Velabrum, et *Velabra, orum.* Memorabilis in Topographia Romae urbis locus isque *duplex.* Quorum alter locus Velabrum *minus* dicebatur et regioni Urbis octavae adnumerabatur; alter vero Velabrum *majus* regionis undecimae partem constituebat. Inter utrumque intererat *forum piscarium*; minus attingebat *forum boarium*; majus vero ripas Tiberis. Hinc factum est haud dubie ut nunc plurium numero *Velabra*, nunc vero, quia utrumque locum sibi conterminum pro uno haberent, rei singulae numero *Velabrum* dicerent. Inter Aventinum a Tybride remotissimum et Palatinum atque Capitolinum montem litem fuisse planitiem hanc docet illustr. Fabr. intpr. ad locum, ubi *qualis quondam natura et ingenium loci* fuerit animum finxit docentem se Poeta VI, 405-414. Deprellior nimirum juxta ripas amnis laudati per ejectas hujus abundantis aquas paludosus et salicibus cannisque dense obsitus fuerat. Inundata *lintribus quondam innavigasse Velabra* jucundissima rei imagine proposita significarunt tum Poeta noster (VI, 407-408.) tum Tibullus Eleg. II, 5, 33-38. Propertius vero de Herculis adventu in locis ubi postea Roma fuit IV, 9, 3-6: *„Venit ad invictos pecorosa* (alii: nemorosa) *Palatia montes et statuit fessos fessus et ipse boves, qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque nauta per urbanas vehitabat aquas."* Inde Cacus in antrum montis Aventini abstraxerat boves, quem versus *forum boarium* situm fuisse patet e verbis Herculis aeque ac unde ita dictum putaverit Propertius l. l. v. 19-20: *Arvaque mugitu sancta boaria longo nobile erit Romae, pascua, nostra, forum.* Caet. tum triumphantes Capitolium adscensuros curru praetervectos esse *Velabra* patet e Sueton. Jul. 37; tum Pompam Circensem *Velabra duxisse* h. e. e Capitolio per Velabra et Forum processisse in Circum docet Nolter l. l. Circus vero erat inter montem Aventinum et Palatinum. Quale vero hominum genus circa Velabrum habitaverit, quidque venale habuerit docet loc. Horat. Sat. II, 3, 229. Nam ibi satis lepide nepos h. e. helluo juvenis, vix dum patrimonio mille talentorum accepto *edicit — ut cum Velabro omne macellum mane domum suam veniat;* cui se liberalissimum et gratissimum donis largissimis praebet. *Cum Velabro omne macellum* vero est: cum institoribus omnis edulionum et luxuriae instrumentorum generis, cetarii, fartores etc. Cfr. Wieland. ad l. l.

Venus. Inquisitio in causam, cur Romulus *secundum* anni sui

menſem, qui poſtea *quartus* ordine fuit (IV, 13.) *Aprilem* dixerit, *Veneri* primarias partes dedit in Faſtor. Libr. IV. Romulus nimirum in digeſto a ſe anno menſes cum conſtituiſſet eſſe decem, *Veneris ſecundum* feciſſe h. e. a Venere *ſecundum* dici anni ſui *menſem* voluiſſe putatur, *quoniam hanc generis ſui principem habuerit.* Vid. I, 39-40. Cfr. verſſ. 27-38. *Aprilis* nimirum eſt menſis hic Romulei anni *ſecundus Grajo ſermone notatus* (IV, 61.), quippe quem operoſe contendit a Veneris *nomine graeco* h. e. a nomine *Aphrodite* nomen accepiſſe ſuum, cum ipſa ab ἀφρῷ *ſpuma maris* dicta a graecis perhibeatur v. 62; IV, 61-86. *Quo vero conſilio* magno etiam opere adſtruxerit ſtemma Romuli, (Ibd. 31-60.) cujus hunc gnarum finxit et hinc motum ut *Venerem*, gradibus multis in gente repertam, *alterius vellet menſis habere locum* (Eod. libr. v. 27-28.), facile patet e loc. laud. v. 19-22. Porro *cauſſa* quoque facile perſpicitur, cur *Aprilis menſis memorabilia* expoſiturus *carmine Faſtorum quarto* Deam ſtatim ab initio, ut adſit ipſi annuatque coeptis, *tutiori* Deae tum per ſcripta tum per facta *peculiari quodam modo*, roget, ab eaque precibus enixe contendat. Reliqua vide in Ind. ſ. v. *Aprilis.* 2) *Geminorum mater Amorum* alloquii ſtatim ab initio vocatur IV, 1. Non cogitandum eſſe de diſcrimine eximio Ἔρωτος οὐρανίου et Ἔρωτος πανδήμου Platonis in Sympoſ. Cap. VIII-XI, jam admonuit Intpr. Faſt. ſumme venerand. ad l. l. 3) Piſcium ſidus, quod eſt inter *verna* Zodiaci ſigna, *grato Veneris animo* munus debere illud legitur II, 459-474. Si Typhonis ſpecus in Cilicia cum Curtio (de Reb. Alex. III, 4.) quaeſiveris, ratio inventa erit, cur *Euphratis in Syria piſces* periculo a Typhone imminenti ſubduxiſſe Venerem cum filio narrentur. 4) Summae Veneris laudes repetitae *a ſaluberrimis effectibus*, quarum *per amorem* vimque, quam *voluptas ſumma* cum amore conjuncta exſerat in res creatas omnes, ſit extetque auctor. IV, 91-128. Lucretii locum ſplendidum de Veneris vi et poteſtate imitando expreſſiſſe res erit manifeſta qui locum Lucretii ab Edit. celeberr. jam laudatum contulerit cum loco Noſtri. 5) Cum *formoſum* Veris tempus *formoſa* Venere digniſſimum ſit nec ejdem aptius ullum, (IV, 135-132.) inde quoque efficitur *Aprilem* menſem a Romulo in honorem Veneris hoc accepiſſe nomen. Diſputatio N. 4. et N. 5. eſt contra eos inſtituta, qui ab *aperiendo* (Libr. laud. 85-90.) Aprilem dictum volebant. Noſter vero „*Ver*, inquit, *aperit* quidem *tunc omnia*; at vel propterea Venus Dea longe omnium potentiſſima jus habet praecipuum quo vindicet hoc ſibi tempus.“ 6) Cur *Cytherea* cognomen habeat vid. in Ind. ſ. h. v. 7) Cur *Dione* uſurpetur, (II, 461. V, 309.) eum *mater ipſius* ex varia de ortu Deae narratione proprie ita dicatur. Vid. Not. ad V, 309. Cfr. Ind. ſ. h. v. 8) Kalend. April. Romae Venus ſub cognomine *Verticordiae* culta eſt. ita tum a matronis tum *a meretricibus*. (Quod miréris, cum *ab corde ab impudicitia avertendo* cognomen acceperit Venus illa.) *ut ſtatua Deae tota*, demto ante a corpore pretioſo ornatu, *lavaretur*, deinde vero, reſtituto ornatu, flores nominatimque roſae ipſi ſpargerentur ſupplicibusque verbis placaretur. IV, 133-162. 9) Vinalibus *prioribus* d. 23. Apr. celebratis *in honorem Veneris* (cum *poſteriora* vindemiae, ipſius tempore d. 19. Aug. *in honorem Jovis*, ut videtur, celebrarentur.) monet et exhortatur Poeta *vulgares* inprimis *puellas* ſeu *profeſſas quae* poſcere Venerem ſua tum maxume interſit. Vid. IV, 863-870. Caet. Ovidius Vinalia prioſa et poſteriora confudit et miſcuit perperam,

quae Plinius accurate distinxit H. N. XVIII, 29. 10) De templo duplici, altero *extra Collatinam Portam* ad viam Salariam, altero *in Capitolio* Veneri *Erycinae* dedicatis, deque *tempore* diverso et *caussis* dedicationis templi utriusque vide, quae disputavit illustr. Fast. intpr. ad IV, 871-876. 11) Vulcano nupta IV, 153-154. 12) Aeneae *parens*, quod nomen *haud dedignata est commune habere cum Anchise* h. e. Aeneae ex Anchisa mater. IV, 35-36. Hinc ipsa et Mars *parentes Romuli* IV, 57-58. Hinc Marti continuata est suo h. e. Martis mensem excepit mensis Veneris. v. 130. Cfr. v. 60. 13) *Coronam* quae hodie in coelo inter astra fulget a polo arctico non ita longe remota, Venus, a Vulcano marito ex *auro* factam *gemmisque Indicis* distinctam maritaeque dono exhibitam secundum alios Ariadnae ipsi doti dediſſe narratur, secundum Nostrum vero Baccho, qui Ariadnae demum eam dederit tandemque transformatae coronae gemmae ut micarent inter stellas effecerit. III, 513-516. 14) In deliciis Deae propter suaveolentiam et adspectum sunt α) sisymbrium β) myrthus et γ) serta rosacea. IV, 869-870. 15) Ut ne praeteriret silentio *nomen Veneris* in loco, quo Deos a Jove convocatos finxit, ut sententiam dicerent *de modo et ratione liberandi Romanos a Gallis obsidione Capitolii* et fame pressos, simpliciter „*Tum Venus — pro Latio*, inquit, *multa locuta suo.*“ VI, 375-376. Nam haec Dea prae caeteris ob Aeneam Romanorum fautrix et patrona male tacuisset aut abfuisset in concilio Deorum convocato hunc in finem, ut Romanorum ad incitas redactorum saluti consuleretur. 16) Venus pro *rebus venereis* (τὰ ἀφροδίσια) in loco memorabili, quo summam celebrat *sublimitatem* cognitionis rerum Universitatis h. e. naturae, magnitudinis, legum machinae mundi etc. h. e. Astronomiae, atque colligit occupatos in studio *scientiae omnium maxume sublimis* non posse non contemtu rerum humanarum et imperio cupiditatum, quae sensibus excitantur insignes esse. „*Non Venus*, inquit, *et vinum sublimia pectora fregit* etc.“ I, 301. It. I, 397: Ut festa Bacchi celebrarent, convenere quoque — *Panes et in Venerem Satyrorum prona juventus.*

Ver, is. A) 1) Prima *veris redeuntis* indicia et initia in Latio h. e. Italia media retulit Poeta ad d. 9. Febr. Ornatissimis vero usus verbis hoc fecit II, 147-152: „*En etiam, si quis Borean horrere solebat, gaudeat; a Zephyris mollior aura venit. Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis Lucifer, et primi tempora veris eunt. Ne fallare tamen; restant tibi frigora, restant:* magnaque discedens *signa relinquit hiems.*“ 2) Veris proxime instantis signum hirundinis circa d. 25. Febr. adventus II, 853-856: „*Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo et metuit, ne qua versa recurrat hiems? Saepe tamen, Proene, nimium properasse quereris; virque tuo Tereus frigore laetus erit.*“ 3) *Inter caussas*, cur d. 1. Mart. matronae Junonem colant h. e. Matronalia celebrent, *tertia* redditur haec: quod *tempora veris*, qui jam vere adsit et praesens sit, quod quidem ex omnibus notis propositis patere ostendit, *fecunda* sint atque ideo a matronis jure colantur (III, 243.). Temporum veris praesentis d. 1. Mart. notas enumeravit a Libr. III, v. 235-242. Quarum primae huc pertinent: *Quid? quod hiems, adoperta gelu, nunc denique cedit et pereunt victae sole tepente nives. Arboribus redeunt detonsae frigore frondes* etc. [Quod quidem loco ultimo positum in Saxonia *post initia mensis Maji* contingere solet, ita ut omnis generis arbores vireant foliis propullulatis initio demum Junii mensis.] 4) Veris tempora longe pulcerrima in Italia quoque in

menſem demum *Aprilem* incidunt. Hinc *Veneri* aptiſſima judicantur tum *propter blandam voluptatem*, cujus ſenſu *levem* excitet *amorem* (IV, 99 - 100.) tum *propter formoſitatem* formoſa Venere dignam. (IV, 129.) Aprilem ipſum multi dictum voluere inde, *quia ver* aperiat *tunc omnia, denſaque cedat frigoris aſperitas foetaque terra pateat* etc. (IV, 87 - 89.) *Veneri tempus, quam ver erat aptius nullum.* Nam *vere nitent terrae: vere remiſſus ager* etc. (IV, 125 - 126.) Hinc ſatis contorte *Aprilem Aphroditen* h. e. Veneris graeco nomine notatum contendit. 5) Ver ex dimidia parte praeteriiſſe narratur d. 25. Apr. Quod quidem his uſus verbis enunciat Poeta IV, 901 - 902: *Sex tibi, quae reſtant, luces Aprilis habebit; in medio curſu tempora veris erunt.* Ejusdem diei memorabilia ſubjunguntur haec: α) occaſus Arietis β) ortus Canis, ſignorum Zodiaci γ) Imbrium caſus. 6) Veris finis et aeſtatis initium incidebat, auctore Noſtro, in d. 13. Maj. atque Pleiadum exortu, h. e. d. 44. aut 48. *poſt aequinoctium vernum*, definiebatur. (d. 24. Mart. *„tempora nocturnis aequa diurna feres.“* III, 877 - 878.) Hinc Poeta V, 599 - 602: *„Pleiades adſpicies omnes — tibi ante Idus nox erit una ſuper. Tum mihi non dubiis auctoribus incipit aeſtas; et tepidi ſinem tempora Veris habent.“* Cfr. ad loca de primo medio et extremo vere obſſ. illuſtr. Faſt. intpr. B) Quanta laude in campo Poetarum tritiſſimo *de laeto veris tempore* verſari potuiſſet Noſter, oſtendunt loca Faſtorum, quae *deſcriptiones* gratiſſimae hujus anni partis continent I, 149 - 164. [Locus notabilis, quoniam *ratio princeps* eo continetur, cur non ab aequinoctio verno ſed *a ſolſtitio hiberno* annus incipiat.] β) III, 235 - 242. γ) IV, 87 - 124. Qui tamen locus *de effectu* veris h. e. blanda voluptate levique amore, et quae inde ſequantur, agit potius; cum contra ea paucis lineis abſolvat *imaginem veris* a verſu 125 - 132. δ) Quatenus ver tempus ſit florum, (der Blumen und Bluth.) hactenus *Florae* Dea convenientiſſimum eſt tempus. V, 201 ſqq. Inprimis huc pertinent verba v. 207 - 208: *Vere fruor ſemper; ſemper nitidiſſimus annus. Arbor habet frondes, pabula ſemper humus* etc. Cfr. loca ſplendida de vere, quatenus, *ſi bene eo deflorescant*, quae utiliſſimos ferant fructus (oleae) itemque omnium maxime neceſſarios (ſegetes) atque jucundiſſimos, (vites) laudatur, V, 263 - 266. 321 - 324. C.) Ver *imago laetioris vitae humanae temporis* omninoque ſecundae fortunae I, 495 - 496: *„Nec ferae tempeſtas toto tamen horret in anno; et tibi*, (Evandro patria profugo.) *crede mihi, tempora veris erunt.“*

Verticordia. Cognomen Veneris *ab avertendo quaſi ab impudicitia corde foeminarum repetitum* IV, 157 - 160. Quae ad originem cultus Veneris ſic denominatae originisque cauſſas pertinent, literate et erudite Nota docet loco laudato ſubjecta. Cfr. Ind. ſ. v. *Venus.*

Vertumnus, i. Poeta *cauſſam* redditurus (VI, 415.) cur matronae Veſtalibus, h. e. d. 9. Jun. (lbd. 247 - 248.) pedibus in forum deſcendant *nudis* (lbd. v. 397.), tanquam re nova nec ante viſa hoc adſpectu ſemet ipſum adeo obſtupefactum *ſimulat*, ut media tacitus ſubſtiterit in via. Jam per aliud *commentum* haudquaquam infacetum aut abhorrens a veri ſpecie ab anu ſic oculis in matronam defixis conſpectum ſe fingit, ut huic partes dare poſſet haud incongruas expediendi *cauſſam reconditam* rei viſae. Quae quidem cauſſa repetita a ſtagnantibus Tybridis ſaepiſſime exundantis aquis, quibus *coactae* quondam, quod *more* jam faciant (l. l. v. 414.), (lbd. v. 412.) *pedibus non velatis* deſcenderint in forum matronae; *„Nondum*

enim, addit, *convenient diversis iste figuris* nomen *ab averso coperat amne Deus*" h. e. Vertumnus, cui „*Romanum satis erat posse videre forum*" h. e. cujus ibi simulacrum erat. Vid. Propert. loc. claff. IV, 2. Cfr. Interpr. ad Horat. Epp. I, 20, 1. A *cauſſa* nominis igitur deſignatur hic Deus indiges in Faſt. loc. laud. VI, 409-410. Nam nomen ipſum non occurrit. Caet. cauſſa illa valuit tum demum, poſtquam *Tiberinus multum ſuis conceſſerat alumnis*. Vid. Propert. l. l. v. 9. Nam per ſe ita dictus eſt, quoniam *in quamcunque quis Deum hunc figuram vertere vellet*, huic figurae *opportuna erat natura ipſius*; quod pluribus exornat Propertius l. l. v. 21-46. Cui quidem loco Deus, qui ipſe loquens de ſe inducitur, ſubjicit haec v. 47-48: *At mihi quod formas, vertebar in omnes, nomen ab eventu patria lingua dedit.* Horatius de homine, *qui nulla in re ſibi conſtabat ſed inaequalis quaque hora aliis trahebatur ſtudiis*, ait: *Verumnis, quotquot ſint, natum eum faiſſe iniquis* h. e. irae numinum illorum, tribuendum hoc videri, quod mutabilitatem *ipſis proprium* homini communicaverint. Vid. Sat. II, 7, 14. Caet. verba Noſtri: „*diverſis iſte figuris Deus*" illuſtrantur etiam Propert. l. l. v. 1: Quid mirare meos *edit in uno corpore formas?*" — Juxta ſtatuam hujus Dei librarii divendebant libros v. c. Sofii Epiſtolas Horatii. Vide hanc in Epp. I, 20, 1.

Veſta. (Propter meliorem rerum ordinem, in quem omnia ac ſingula redigi multis de cauſſis non potuerunt, primo loco poſita hic eſſe deberent, quae videſis ſ. v. *Veſtalia*, n. 1-7.) 1) Aedes Deae *penetrale Numae* appellatur, quia in *atrio* ejus, *regio* dicto Numa habitaverat. Ad eam in monte Tarpejo conſtitutam caedebatur bidens Kal. Febr. v. II, 69-70. et Edit. cl. interpret. l. l. *arcana* aedes cur dicatur? — v. not. ad III, 145. Cfr. Ind. l. v. *arcanus*, *Cauae Penetralia Veſtae*. III, 417. 2) Ejusdem ſacra *ignes Iliaci* vocantur III, 29; it. *foci Iliaci*. v. 142. porro *ignes aeterni* v. 424; quibus adeſſet lanea capillos cincta vitta virgo, *Veſtae* ſacerdos, v. l. l. v. 30. 3) *Caſtitas* ſeu virginitas cum prima eſſet Deae virtus, egregia pudoris et indignationis Veſtae propter eam *ab Ilia* laeſam ſigna reſonantur, III, 45-48. Delendum eſt lignum per ſe pudori convenientiſſimum, et hinc loco primo poſitum *male mentitum eſſe Poetam* aut potius, ut ipſe fatetur, inſciliae errore lapſum male finxiſſe: v. VI, 295-298. 4) Quae nimirum *Veſtae ſimulacra* commentitus erat priori loco, ea *nulla in aede Veſtae* fuiſſe oſtendit loco poſteriori cauſſasque ſubjungit. 5) Martiis Kalendis quod ab his quondam annum auſpicati erant, Veſta quoque (h. e. aedes Veſtae) ut folio niteret velata recenti, ceſſit ab ara ejus *laurea cana* (der verwelkte od. verdorrte Lorbeerbaum) h. e. permutata eſt cum virenti et ſucculento, III, 141-142. 6) Kalendis iisdem arcana Veſtae in aede novus fieri ſolitus ignis; viresque flamma refecta capit. Eod. libr. v. 143-144. 7) Veſtae ſacra d. 6. Mart. facta eademque die a. U. c. 741. ſumti ab Auguſto *Pontificatus Maximi* honores (qui propterea Veſtam in Palatinam ſuam domum tranſtulit, ut pars aedium Veſtae conſtitueret, v. IV, 948-954.) junctim celebrantur, III, 415-428. Cauſſa redditur in not. 8) Propter eundem *Pontificatum Maximum*, quem Julius Caeſar quoque geſſerat, Veſta Poetam praeteritum Idus Martias monet primum: ipſam ſacerdotem ſuum (v. 699. cfr. V, 573.) telis parricidarum eripuiſſe et *inter Coelites* tranſtuliſſe; hinc jam templum ſibi dedicatum tenere Romae; ita ut non niſi *ſimulacra nuda umbramve Caeſaris* gladiis tranſfixerint; deinde cum ſemet ipſam telis petitam ſtatuerit

(v. 700.) quibus Caesar ceciderit, poenas quoque repetiisse a caedis viri auctoribus. Nam aut ad Philippos interiisse aut alia morte jacere merita. Subiungit hac ratione laudes Augusti, per quem ulta sit *Pontificale Caesaris caput*, v. loc. L. III, 697-710. Alio loco, L. V. a v. 545-578. ultio caedis ad Martem, hinc *Ultorem* dictum refertur et ad Augustum a Marte adjutum. 9) Palilium die (d. 21. Apr.) Populus haec monetur: I, pete *virginea* — suffimen *ab ara*: Vesta dabit, Vestae munere purus eris, etc. IV, 731-734. Illustrantur haec verba verbis versuum 637-640. 10) Inauguraturus Urbem suam Romulus in precum formula, qua Poeta eum uti jussit, inprimis praeter Jovem et Martem *Vestam matrem*, ut sibi adsit, orat. IV, 828. 11) A. U. 741. d. 28. April. postquam d. 6. Mart. Augustus *Pontificatum Maximum* acceperat. v. III, 415. *cognato* Vesta recepta est *limine* (h. e. Augusti in Palatio) i. u. Phoebus haberet partem (aedium), Vestae pars altera cederet, ipse (Augustus) tertiam teneret etc. v. notata ad IV, 948-954. (Hinc *numina trina* V, 146 et nostro loco *aeterni tres Dei*.) 12) Vestae templum purgatum d. 15. Jun. atque purgamina delata et abjecta in Tiberim. V, 227-228. Cfr. VI, 713-714: „*Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae, Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.*" Quo facto tempus nuptiis celebrandis, *quod per Majum et ad Idus Janii infaustum* fuerat, faustum demum habere coeperunt Romani. A Flaminica hoc docetur his usa verbis: (V, 233-234.) „*Tu quoque non propera: melius tua filia nubet, ignea cum pura Vesta nitebit humo.*" Quae Flaminicae observanda erant ipsi, dum adesset illa dies, v. V, 226. 229-232.

Vestalis, e; h. e. ad Vestam ulla aliqua ratione pertinens seu spectans. Hinc 1) *Ilia Vestalis* (i. e. Vestae sacerdos) coelestia semina partu ediderat etc. II, 383. (Loc. a v. 381-422. continet Iliae geminorum, Remi et Romuli, recens natorum prima fata, ornate et copiose enarrata.) 2) *Silvia Vestalis*, III, 11. Est eadem quae ante *Ilia Vestalis* dicta est. *Romana sacerdos*, per Anachronismum aut quia mater quodam modo Romanorum erat, nuncupatur v. 9. (Quaestio de origine et caussa nominis Martii mensis ejusque inter menses ordine ansam praebuit Nostro exornandi uberibri narratione, Loc. *de conceptis ex Marte natisque ex Ilia gemellis*, h. e. Romulo et Remo, eorumque fatis et factis ad Urbem usque conditam mensemque a Romulo patrio de nomine dictum. v. Loc. a L. III. v. 9. aut 11. ad v. 77.) 3) Fordicidiis Telluri postquam boves gravidae caesae ex earumque visceribus a ministris (den Opferschlächtern) vituli rapti erant, haec *Vestali maximae* peragenda quasi demandantur IV, 639: *Igne cremat* vitulos, quae natu maxima Virgo; Luce Palis populos purget ut ille cinis. 4) Hinc IV, 731-734 Palilium die populus jubetur *virginea* petere *ab ara* suffimen. Suffimen vero sanguinem esse equi vitulique favillam et culmen durae inane fabae.

5) *Vestalia* scil. sacra s. solennia, Nostro Festa Vestalia (VI, 395.) dicuntur et cum larga manu idem omnia dederit, quae ad Vestam Vestaeque cultum pertinent, locus de hac Dea ejusque sacris inter classicos referendus erit. Complectitur Libri sexti versus ducentos quatuor et viginti (a v. 249-472.), ita tamen ut plura intertexta sint, quae non arcto cohaereant cum texto nexu. 1) *Nomen* Vestae. Nugatur more multorum Veterum Noster in exploranda originatione vocabuli. Nam, inquit, cum *vi stet* Terra *sua*, (v. 299.) Vesta vero eadem sit quae terra (v. 287.) a *vi*, qua nullo fulcimine nixa (v. 270.) *stat*, vocata est Vesta

